DIARIUM
LITURGICO-THEOLOGICO-MORALE
SIVE
SACRI RITUS,
INSTITUTIONES ECCLESIASTICÆ MORUMQUE DISCIPLINA.

NOTANDA SINGULIS TEMPORIBUS ATQUE DIEBUS ANNI ECCLESIASTICI ET CIVILIS.

AUCTORE

FERDINANDO TETAMO
PANORMITANO.

ANNUS ECCLESIASTICUS.
TOMUS PRIMUS.



VENETIIS, MDCCLXXXIV.
EX TYPOGRAPHIA PETRI SAVIONI.
In Via Mercatoria ſub Signo NAVIS.

CUM PUBLICA ADPROBATIONE AC PRIVILEGIO.

TRACTATUS SECUNDUS
DIARII
LITURGICO-THEOLOGICO-MORALIS.

SACRI RITUS

INSTITUTIONES ECCLESIASTICÆ MORUMQUE DISCIPLINA.

NOTANDA

SINGULIS TEMPORIBUS, ATQUE DIEBUS ANNI ECCLESIASTICI.

PROŒMIUM.

Annus Eccleſiaſticus olim licet fuerit computatus a die Paſchæ, ut teſtatur Cujacius, & Scaliger apud Caſſalium *in Flor. c. 62. fine;* nunc autem initium habet ab initio Adventus, & deſinit ante Adventum, ut conſtat ex ordine Eccleſiaſticorum Officiorum, & notat Gavantus *in Rubr. Miſſ. par. 4. tit. 12. n. 19. & in Rubr. Brev. ſect. 3. c. 5. n. 8.*

Romana vero Eccleſia conſuevit in Divinis Officiis, ſacriſque Feſtivitatibus per hujuſmodi annum repræſentare fidelibus Jeſu Chriſti Sponſi ſui Vitam, ſeu Divina exempla virtutum, nec non Regni ejus conſtitutionem, & directionem per Spiritum Sanctum. Primo igitur repræſentat Expectationem Adventus Salvatoris in Mundum. Deinde celebrat Chriſti Nativitatem, Vitam puerilem, & juvenilem privatam. Tertio Vitam poſtea illius publicam; ejus videlicet Prædicationem, & Miracula. Quarto ejuſdem Chriſti Domini Paſſionem, & Mortem, Reſurrectionem, & in Cælum Aſcenſionem, ac Spiritus Sancti deſcenſum. Denique per ipſum Spiritum Sanctum Eccleſiæ Chriſti Directionem uſque ad Sæculi conſummationem, & diem Judicii univerſalis.

Nos itaque Tractatum hunc Secundum noſtri Diarii dividemus in ſex libros. In primo agemus de Sacris Ritibus, Inſtitutionibus Eccleſiaſticis morumque diſciplina notanda in Adventu; ſcilicet a Dominica pri-

ma Adventus uſque ad Vigiliam Nativitatis: quo tempore repræſentatur Expectatio Adventus Salvatoris in Mundum. In libro ſecundo agemus de ſimilibus notandis tempore a Nativitate Domini uſque ad Epiphaniam; & quaſi natalitio; hoc eſt ab Epiphania uſque ad Septuageſimam; quo tempore repræſentatur Vita puerilis, & juvenilis privata Chriſti Jeſu. In tertio de notandis a Septuageſima uſque ad feriam IV. Cinerum; quo tempore repræſentantur Prædicatio & Miracula Chriſti Domini. In quarto de notandis tempore quadrageſimali: hoc eſt a feria IV. Cinerum uſque ad Sabbatum Sanctum; quo tempore repræſentatur Paſſio & Mors Chriſti. In quinto libro agemus de notandis tempore Paſchali, hec eſt a Dominica Reſurrectionis uſque ad Sabbatum poſt Pentecoſten; quo tempore repræſentatur Reſurrectio Chriſti, & ejus in Cælum Aſcenſio, & Spiritus Sancti Miſſio. Denique in libro ſexto agemus de notandis toto tempore reliquo poſt Pentecoſten, uſque ad Sabbatum immediate præcedens Dominicam I. Adventus; ante cujus Veſperas clauditur Annus Eccleſiaſticus: quo quidem tempore ſignificatur, ſeu repræſentatur directio Eccleſiæ Chriſti per Spiritum Sanctum uſque ad finem Mundi. Ideoque in Dominica ultima poſt Pentecoſten legitur Evangelium de fine Mundi, & judicio univerſali. (Cur autem in ſubſequenti Dominica I. Adv. iterum legatur idem Evangelium? dicemus hic lib. 1. par. 1. c. 1. n. 4.) Licet etiam paulo aliter interpretentur aliqui quædam ex prædictis temporibus; puta, ut priores tres Dominicæ poſt Epiphaniam ſignificent tres annos Prædicationis Chriſti. Tempus a Septuageſima denotet tempus veteris Teſtamenti: quemadmodum ex aliis ſuo loco dicemus.

LIBER PRIMUS.

NOT. IN ADVENTU.

ADVENTUS tempore aliqua ad Inſtitutum noſtrum occurrunt notanda in genere; alia vero in ſingulis hebdomadis. Ideo primum hunc librum in duas partes dividemus; in prima agemus de iis, quæ tempore Adventus notanda occurrunt in genere. In ſecunda autem parte de iis, quæ in ſingulis hebdomadis.

PARS PRIMA.

NOT. IN ADVENTU IN GENERE.

EXPLICANTUR CAPITIBUS VIII.

Cap. I. *De Inſtitutione, & Obſervantia Adventus.*
Cap. II. *De Horis Canonicis.*
Cap. III. *De Miſſa.*
Cap. IV. *De Jejunio, & Abſtinentia Adventus.*
Cap. V. *De Prohibitione ſolemnitatis Nuptiarum.*
Cap. VI. *De Reſidentia Epiſcoporum.*
Cap. VII. *De Indulgentiis.*
Cap. VIII. *De Eleemoſyna pro Locis Sanctis in Hieruſalem.*

CAPUT I.

De Inſtitutione, & Obſervantia Adventus.

1 ADVENTUS eſt illud tempus, quod proxime præcedit Diem Natalem Domini ſecundum carnem; licet apud Veteres aliquando Adventus ſimpliciter dictus fuerit ipſe dies Natalis Domini; Dominicas vero, quas nos vocamus Adventus, illi dicebant, *ante Adventum* Domini: ut tradit Meratus *to.* 1. *in Gavant. p.* 4. *tit.* 1. *n.* 1. quod notare juvat, ne quis putet, eo nomine deſignatas fuiſſe Dominicas, quas nunc dicimus *poſt Pentecoſten*, vel: *a Pentecoſte ad Adventum*. Rurſus ne quis putet de Adventus tempore, pro ut a nobis ſumitur, ſcripta eſſe, quæ tamen Veteres illi dixere de die Natali Domini; ut e. g. hymni feſti Dominicæ Nativitatis apud S. Ambroſium inſcribuntur *De Adventu Domini*: Eodem teſte Merato l. cito:

Obſervat Durandus *in Ration. Offic. l.* 6. *c.* 2. *n.* 10. Adventum continere debere dies viginti ſupra unum; præter Vigiliam Nativitatis, ideſt tres ſeptimanas integras ad minus: ut

ut accidit, quando Natale occurrit feria ſecunda. Verumtamen per quatuor hebdomadas protrahi quando Natale incidit in Dominicam; ne videlicet Officium Vigiliæ Nativitatis in dicto caſu occurrens in Sabbato, concurrat cum feria quatuor temporum: Quod accideret, ſi adventus tribus abſolveretur hebdomadis. Porro jejunium quatuor temporum hyemalium in tertia Adventus hebdomada eſt celebrandum, ſecundum dicta tr. I. in Septemb. par. I. ſect. 5. ſubſ. 5. n. 44. Cur autem vitetur occurſus Vigiliæ Nativitatis quoad Officium, cum feria, ſeu cum Sabbato quatuor temporum explicavimus 24. Decemb. art. I. n. 3.

2 Adventus initium habet a Dominica, quæ eſt propinquior feſto S. Andreæ Apoſtoli, vel quæ venerit in ipſo feſto, quod celebratur die ultima Novembr. *Rubr. gener. Brev. tit.* 4. *n.* 7. Gavantus *in Rubr. Brev. ſect.* 3. *c.* 5. *n.* 13. Vel, ut Radulphus loquitur *lib. de Can. obſerv. prop.* 16. quæ venit poſt craſtinum S. Catharinæ Virginis, & Martyris: neque enim ante craſtinum, neque in craſtino ejuſdem Virginis contingit Adventus initium.

Prædicta Romano procedunt more: nam Ambroſiano, Adventus incipit in Dominica, quæ prima occurrit poſt diem feſtum B. Martini Epiſcopi Turonenſis; & continet ſex hebdomadas, teſte Radulpho l. cit. Orientalis autem Eccleſia incipit Adventum a die decima quarta Novembris, qua die celebrat feſtum S. Philippi Apoſtoli, ut refert Benedictus XIV. *to.* I. *Notif. II. n.* 4. Apud antiquos vero etiam latinos, tempus Adventui celebrando præfixum, non unum, & idem ubique fuiſſe oſtendit Merat. l. cit.

Tempus, quod Dominicæ Nativitatis memoriam antecedit, ideo Adventus nuncupatur, quia totus ejus Eccleſiaſticus ordo juxta contemplationem Adventus Domini diſpoſitus eſt: ait Rupertus Ab. *lib.* 3. *de Divin. Offic. c.* I. Hoc tempus ſemper fuit in maxima veneratione apud omnes Chriſtianos, ita ut Alexander III. *c.* I. *de tregua, & pace* graviter prohibuerit bellum, & pugnas tempore Adventus, ſicut & Quadrageſimæ; etſi prohibitio illa non ſit uſu recepta, vel jam conſuetudine ſit abolita: ut habet communis cum Dicaſtil. apud La-Croix *lib.* 3. *p.* I. *qu.* 190. §. I. Et vero feriæ Adventus ſunt quaſi Vigiliæ ſummæ feſtivitatis Domini, ait Gavantus *in Rubr. Miſſ. par.* I. *tit.* 14. *n.* 2. *lit. X.* qui etiam *tit. ſeq. n.* 2. *fine*, ex Ugone Victore dicit: Adventum fere æquiparari Quadrageſimæ: quod quidem facile colligi poteſt ex dicendis in ſequentibus: nam non ſolum Chriſtifideles corpus jejuniis Adventus tempore caſtigabant, ſed etiam, ut ſignificat Amalarius *lib.* 3. *de Eccl. Offic. c.* 40. ſeſe multis piis operibus, & Religioſis Officiis in Adventu Domini præparabant; hinc etiamnum in Adventu habentur ſacræ Conciones ad populum, ut notat Azor. *inſtit. Moral. par.* I. *lib.* 7. *c.* 16. *qu.* 3. *fine*. 3

Uſus itaque religioſe, nec ſine auſteritate aliqua exigendi tempus Adventus Dominici per multos dies ante Natale Salvatoris, eſt perantiquus. Aliqui, quibus adhæret Benedictus XIV. *to.* I. *Notificat.* 2. *n.* 7. piam hanc Inſtitutionem tribuunt S. Gregorio Magno Sæculo ſexto. Verum ætate Gregorii anteriorem eſſe probat Theophilus Raynaudus ex iis, quæ dicemus c. 4. & ipſa etiam viciniori Apoſtolicis temporibus ætate

Ad-

Adventum Domini religioſe exactum fuiſſe confirmat. Non admittit tamen, quod Durandus refert *in Rationali Offic. lib. 6. c. 2. n. 2.* quem ſequitur Gavantus *in Rubr. Miſſ. par. 4. tit. 1. n. 3.* qui in hoc relinquitur, atque refellitur ab ipſo Merato l. ſupracit. n. 2. hoc eſt, Divum Petrum Adventus celebrationem inſtituiſſe: ſed non eſt, inquit Raynaudus *to. 7. tract. de O. paraſcev. prælud. 3. §. 5.* unde hoc confirmari poſſit. Durandus quidem neminem ex antiquis pro ſua ſententia laudat ſuffragatorem. Imo apud vulgatum Clementem *lib. 5. Conſtit. cap. 12.* ubi deſcribitur Syllabus feſtorum, quæ colenda ſunt a fidelibus, mentio utique eſt Natalis Domini, minime vero præcurrentis Adventus. Concedit autem Raynaudus, minus antiquum eſſe Ritum peculiarem Eccleſiaſtici Officii, quo Eccleſia tempore Adventus utitur; nec enim ante tempora S. Gregorii viguiſſe probari poteſt l. cit. §. 6. fine; ubi etiam concedit, veriſimile eſſe, ipſum S. Gregorium, qui tam multis modis Ritus ſacros amplificavit, atque perfecit, hujus item Officii fuiſſe inſtitutorem.

4 Totum Adventus Sacri tempus *Præparatio* dici poteſt, ad excipiendum advenientem Chriſtum, ut obſervat Durandus *in Ration. lib. 6. c. 11. n. 6.* fine; & ex eo Raynaudus *to. 7. de O. Paraſcev. in arg. n. 3.* & ſignificavimus ſupra initio. Profecto S. Ambroſius *ſerm. 2. in Dom. I. Advent.* initio to. 5. oper. ejus edit. Paris. an. 1642. (quam tamen homiliam putat Meratus l. ſupracit. n. 2. S. Cæſario probabiliter eſſe adſcribendam;) ſic fideles alloquitur: *Hoc tempus, fratres chariſſimi, non immerito Domini Adventus vocatur; nec ſine cauſa Sancti Patres Adventum Domini celebrare cœperunt, & ſermones de his diebus ad populum habuerunt: Id namque ideo inſtituerunt, ut ſe unuſquiſque fidelis præpararet, & emendaret, quo digne Dei, ac Domini ſui Nativitatem celebrare valeret.* Inſtitutum igitur fuit hoc tempus, ut quiſque ſe præparet ad Adventum, & Nativitatem Salvatoris, per gratiam ejus in corde ſuo: memoriam agens illius Adventus, quando Deus Pater miſit Filium ſuum in mundum, & introduxit illum in orbem terræ, & natus eſt nobis Salvator; atque per hanc devotam præparationem ad hujuſmodi myſticam Nativitatem, & Spiritualem Adventum Domini, parati inveniamur in ſecundo Adventu ejuſdem Domini in fine vitæ, temporis, & Mundi. Hinc eſt, quod initio Adventus legitur Evangelium de extremo Judicio univerſali, & ſecundo Chriſti Adventu: ſed & reliquo ſubſequenti Adventus tempore idcirco etiam ea, quæ in lege, & Prophetis, & Pſalmis, & Evangelio habentur de utroque Chriſti Adventu, in Eccleſiaſticis Officiis perleguntur. Quod notavit S. Ivo Carnutenſis Epiſcopus *ſerm. de Adventu Domini*, ubi ſic loquitur: *Quia vero uterque Adventus noſtræ reſtaurationi fuit neceſſarius; utrumque ſub unius temporis obſervatione Sancta venerari conſuevit Eccleſia: ut incboata prioris beneficia recolat cum gratiarum actione; conſummata vero futuri Adventus bona cum pia expectet trepidatione. Idcirco ea, quæ de utroque Domini Adventu in lege, & Prophetis, & in Pſalmis, & Evangelio ſcripta ſunt, his quatuor hebdomadibus ſpecialiter legendo, & cantando, recitantur in Eccleſia; ut his quatuor teſtimoniorum gene-*

generibus de perceptis beneficiis ad gratiarum actionem moveamur, ad futuram vero ſolicitudine non pigra præparemur. Conſervemus igitur primam innocentiæ ſtolam, quam in primo Adventu recepimus, ut cum ea ad nuptias Patrisfamilias occurrentes, alteram quoque ſtolam immortalitatis percipere mereamur. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus; ut quem Redemptorem læti ſuſcipimus, venientem quoque Judicem ſecuri videamus. Hæc laudatus S. Ivo; ex quo etiam habemus alteram rationem celebrationis Adventus, videlicet in memoriam Adventus, & in gratiarum actionem pro Adventu Chriſti: *ut inchoata prioris* (Adventus) *beneficia recolat* (Eccleſia) *cum gratiarum actione*. Et rurſus: *ut de perceptis beneficiis* (in Redemptoris Adventu,) *ad gratiarum actionem moveamur*.

Denique celebramus Adventum, & oramus pro Adventu Chriſti: *Veni Domine, & noli tardare: Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terræ:* Quaſi nos reponendo in tempus antecedens Adventum Chriſti in Mundum: quemadmodum notat La-Croix *lib. 6. par.* 2. *qu.* 4. §. 13. fine; Cavalerius *to. 3. c.* 10. *n.* 10. Meratus *t.* 1. *p.* 1. *tit.* 12. *n.* 2. Confer dicta tr. 1. l. 1. c. 1. n. 59. & locis aliis ibi cit. Porro, ut obſervat idem La-Croix l. cit. Deus poteſt antecedenter moveri per preces, quas prævidet poſterius ponendas. Sic itaque potuit Deus Pater moveri ad mittendum, quem miſſurus erat, Filium ſuum in Mundum, per futuras etiam has preces noſtras; unde de Adventu Chriſti dicitur: *Veniet deſideratus cunctis gentibus*. Aggæi 2. 8. Omnino quidem oportuit a cunctis hominibus deſiderari, qui mittendus erat, ut ejus Adventu omnium peccata deleret, & omnes a ſervitute diaboli liberaret. Videri etiam poſſunt dicta tr. 1. l. 3. 17. Decembr. Art. 1. n. 8., & 9. Præfatis inſuper, ſimilibuſque formulis orandi, petimus, Nativitatis Dominicæ applicari nobis fructum. *Merat. & Caval. l. cit.*

CAPUT II.

De Horis Canonicis.

1 TEMPORE Adventus fit Officium quatuor Dominicarum ſub ritu ſolito Dominicæ, ſcilicet Semiduplici. *Rubr. gen. Brev. tit.* 2. *n.* 1. Omnes tamen hæ Dominicæ ſunt majores, & privilegiatæ, etſi non æquali claſſe, nec ratione pari; enim vero prima Dominica Adventus eſt Major, primæ Claſſis, & ſpecialiter privilegiata; quippe quæ excludit quodcunque aliud feſtum etiam primæ Claſſis, ut Patroni, Tituli Eccleſiæ, Dedicationis &c., aque adeo numquam omittitur. *Rubr. Gen. Brev. tit.* 9. *n.* 3. & *tit.* 10. *n.* 1. & *in duab. Tabell. excerpt. ex Rubric. general.* Reliquæ vero tres ſunt Majores, ſecundæ Claſſis: cedunt quidem feſto cuicumque ſolemni alicujus loci, quod in propria Eccleſia in iis occurrat primæ Claſſis, ut Patroni loci, Tituli Eccleſiæ, & ejuſdem Dedicationis 1. cl. minime tamen cedunt aliis Sanctorum feſtis 2. cl. *Rubr. gener. Brev. tit.* 10. *n.* 1. & *in duabus Tabell. excerpt. ex Rub. gen.* & Gavant. *in Rubr. Brev. ſect.* 3. *c.* 5. *n.* 11.

Nota hic: Dominicas nonnullas, quemadmodum & ferias quaſdam dici primæ, vel ſecundæ claſſis, non quoad ritu recitandi, ſed quoad excluſionem reſpectivam feſtivitatis alte-

te-

terius 1. vel 2. cl. forte occurrentis in illis. Quod tamen privilegium non conceditur, niſi ſolum in favorem Corporis Officii; hoc eſt quo ad Matutinum, & Horas, non item quo ad Veſperas: has enim cuilibet præcedenti, vel ſequenti duplici cedunt; vid. Caval. *to.* 2. *c.* 18. *in d.* 1. *n.* 1. *6. & 17. & in d. nu.* 2. De privilegio autem Veſperarum Dominicæ in Albis dicemus ubi de ea Dominica n. 4. & 5. De Dominicis tamen majoribus 1. vel 2. cl. concurrentibus cum ſequenti feſto duplici etiam 1. cl. Patroni, ſeu Tituli Eccleſiæ &c. fit commemoratio in 1. Veſp. dicti feſti etiam 1. cl. ut diſponit Rub. Brev. expreſſa in tabella de concurſu.

Itaque in Dominicis Adventus ſemper fit Officium de Dominica, quocumque feſto duplici, vel ſemiduplici adveniente, quia tunc feſtum transfertur; niſi illud feſtum ſit de principali Patrono alicujus loci, vel Titulo Eccleſiæ, aut ejuſdem Dedicatione ſub ritu 1. cl. quia tunc de hujuſmodi feſto fit tantum in Eccleſia, vel loco, cujus eſt Titulus, vel Patronus, aut Dedicatio cum commemoratione Dominicæ in utriſque Veſperis, & Laudibus, & cum nona lectione de homilia ejuſdem Dominicæ; excepta Dominica prima Adventus, de qua ſemper fit Officium, & nulli omnino cedit occurrenti feſtivitati. *Rubr. gen. Brev. t.* 4. *n.* 1. *& tit.* 9. *n.* 4. *&* 7. *& tit.* 10. *num.* 1.

2 In prædictis Dominicis ſi occurrat feſtum ſimplex, fit de eo ſola commemoratio ſine lectione, etiamſi eam habeat in Breviario propriam. *Rubr. gener. Brev. tit.* 9. *n.* 20. quia cum dicendum ſit nonum Reſponſorium, non congruit legere nonam Lectionem de Sancto: ſimiliter fiat, quando recitatur de feria, ob rationem eamdem. Porro tempore Adventus, in Officio de tempore, non dicitur *Te Deum*; ſed poſt ultimam Lectionem dicitur Reſponſorium. *Rubr. gener. Brev. tit.* 31. *nu.* 2. Contra vero, quando in feriis Adventus fit Officium de feſto novem Lectionum admittente commemorationem Simplicis, legetur nona Lectio de eo, ſi habeat in Breviario propriam de ejuſdem hiſtoria, ſeu vita. Vide dicta tr. 1. l. 3. Decembr. n. 2. Et licet in Vigiliis habentibus homiliam non legatur nona lectio Simplicis, eo quod ſit legenda de Homilia Vigiliæ: cum tamen de Vigilia in Adventu nihil fiat in Officio, ut infra dicetur, ideo ſi in Vigilia S. Andreæ occurrente in Adventu, aut S. Thomæ Ap. fieret de feſto novem Lectionum admittente Commemorationem Simplicis, locum haberet nona Lectio Simplicis, ſi hujuſmodi feſtum occurreret habens Lectionem propriam: ut animadvertit Cavaler. *to.* 2. *c.* 34. *in d.* 23. *n.* 3.

In Reſponſorio Brevi ad Primam dicitur: *Qui venturus es in mundum*: 3
quotidie uſque ad Vigiliam Nativitatis Domini incluſive, etiam in feſtis, niſi aliter notetur in proprio. Reſponſoria brevia aliarum horarum, quæ ponuntur in prima Dominica Adventus, dicuntur per totum Adventum, quando fit Officium de tempore. *Rubr. gener. Brev. tit.* 28. *n.* 4.

Oratio Dominicæ præteritæ ſemper dicitur per hebdomadam in feriali Officio, quando propria non aſſignatur. *Rubr. Gener. Brev. tit.* 30. *n.* 2. Et ad Horas Antiphonæ ſumuntur de Laudibus Dominicæ præcedentis, quando ad Laudes feriæ non aſſi-

aſſignantur propriæ. *Rubr. Gener. Brev. tit.* 21. *num.* 5. *& Rubr. poſt laudes, fer. ſecundæ poſt Dominicam* 1. *Adventus*. Omittenda autem eſſe *Alleluja*: argui poteſt ex eo, quod his careant Antiphonæ feriales cæteroqui ſolemniores in ſex feriis ante Vig. Nativit. confer dicta 23. Decembr. art. 1. n. 2. fin. Rationem vero facile intelliges ex dicendis cap. ſequ. n. 15. ſub init.

5 Commemorationes communes, ſeu Suffragia Sanctorum non fiunt per totum Adventum, etiam in Officio de Sanctis, nec de Cruce in feriali Officio. *Rubr. Gener. Brev. tit.* 35. *num.* 1. *& in Sab. ante Dom.* 1. *Adventus*.

In feriis Adventus, excepta Vigilia Nativitatis, dicuntur flexis genibus Preces feriales ad Laudes, & per horas diſtinctæ ut in Pſalterio. Item in iiſdem feriis dicuntur preces feriales etiam ad Veſperas, ſi non ſequatur feſtum. Ad Completorium dicuntur conſuetæ de Dominica, ſed flexis genibus. Dicuntur autem Preces flexis genibus ab hebdomadario uſque ad verſum: *Dominus vobiſcum*: ante primam Orationem; a circumſtantibus autem uſque ad verſum: *Benedicamus Domino*, poſt ultimam Orationem. *Rubr. Gen. Brev. tit.* 54. *n.* 3. *&* 4. In tom. 2. operis Merati *in* 2. *Append. Decret. Breviar. n.* 395. deſcribitur Decretum tenoris ſequentis: *Promotor Fiſcalis Curiæ Epiſcopalis Montis Politiani exponit: in illa Cathedrali vigere conſuetudinem, quandocumque cantantur Veſperæ feriales diebus Quadrageſimæ, Adventus, & jejuniorum, canendi etiam preces, quæ flexis genibus perſolvuntur alta voce, cum deſinentia ad unumquemque verſiculum, prout in feſto ſimplici in commemorationibus, & ad antiph. B. M. V. ſcilicet a* fa *ad* re *excepta oratione Dominica, quæ non canitur, ſed alta voce recitatur uſque ad verſic.* Et ne nos inducas *&c. quæ pariter canitur cum ſupradicta deſinentia: item pſalmus* Miſerere *non cantatur, ſed recitatur alta voce, & in eodem tono, ſicut ceteri verſiculi. Humillime quærit: an iſta conſuetudo ſervanda ſit? & quatenus: quo modo, & forma dicendæ ſint? Et reſponſum fuit: non eſſe attendendam conſuetudinem aſſertam concinendi preces feriales ad Veſperas, & ad Laudes in diebus jejuniorum per depreſſionem vocis a* fa *ad* re; *ſed utendum tono, ac voce uniformi per ſimplicem* fa. S. R. C. 9. Maji 1739.

6 Tempore Adventus Antiphona finalis erit: *Alma Redemptoris*. ℣. *Angelus Domini*. Or. *Gratiam tuam*. Rubr. Brev. de Antiph. final.

7 Omnes feriæ Adventus ſunt majores, & ita dicuntur, eo quod de iis fiat in Officio ſaltem Commemoratio, quocunque feſto adveniente. *Rubr. Gener. Brev. tit.* 9. *n.* 4. in utriſque Veſperis, & Laudibus *eod. tit. n.* 7. & *in duabus Tabell. excerpt. ex duab. Rub. geger.* Si faciendæ ſint aliæ commemorationes, quonam loco de feria majori fieri debeat Commemoratio? diximus tr. 1. l. 3. 14. Januar. art. 1. n. 25. ubi nimirum docuimus, de feria majori fieri Commemorationem poſt Commemorationem Octavæ, & ante Commemorationem Simplicis.

Rurſus prædictæ feriæ excludunt feſtum ſimplex; quo occurrente, admittunt de eo ſolam Commemorationem. *Rubr. gener. Brev. tit.* 9. *nu.* 2. recole dicta n. 2. Et occurrente in ipſis Vigilia, nihil fit de Vigilia, niſi in Miſſa. *Rubr. Gener. Brev. tit.* 6. *nu.* 2.

nu. 2. & *Rubr. particul.* 29. *Novemb.* & *in Sab. ante Dom.* 1. *Advent.*

8 Cur autem in feriis majoribus non fiat Commemoratio Vigiliæ, niſi in Miſſa? facile non eſſe aſſignare, dicit Cavaler. *to.* 2. *c.* 15. *in d.* 2. *n.* 18. Varias Auctorum refert opiniones: ipſe autem putat, id ideo fuiſſe diſpoſitum, quia cum Officium Vigiliæ reputetur, & principaliter ſit Officium de feria; ſi in Officio Feriarum Majorum, quod itidem eſt de feria, aut de tempore, fieret Commemoratio Vigiliæ, eo ipſo in officio de feria, fieret Commemoratio feriæ, aut duplex Commemoratio feriæ haberetur, ſi officium occurrens eſſet de feſto; quod eſt contra Rubricas Breviarii, & Decreta S. C. In Miſſa vero Commemorationem Vigiliæ fieri, inquit, eo quod cum conſiſtat in ſimplici Oratione, quæ propria eſt, non cenſeatur Commemoratio feriæ, ſed magis de Sancto, cujus feſtum Vigilia prævenimus; confer dicta 20. Decembr. n. 5.

9 In feriis Adventus fit de feſto Semiduplici etiam translato, adhuc poſt diem 17. Decembr. *Rubr. gener. Brev. tit.* 5. *n.* 1. & *tit.* 9. *n.* 2. & *in Sab. ante Dom.* 1. *Adventus*. Vide dicta tr. 1. 17. Decembr. n. 3. Et ſi occurrat etiam feſtum ſimplex, habens lectionem in Breviario, legetur de eo nona lectio, vide dicta ſuperius n. 2.

10 In Adventu legitur Iſaias, quia nemo ex Prophetis tam lucide, & aperte prophetat de Chriſti Adventu, & Nativitate, ſicut Propheta laudatus, uti obſervat Amalarius *de Ordin. Antiphon. c.* 76. Rupert. Ab. *de Divin. Offic. l.* 7. *c.* 11. *fine*, Durandus *in Ration. Offic. lib.* 6. *c.* 3. *n.* 1. *fine*, & Gavantus *in Rubr. Brev. ſect.* 5. *c.* 12. *num.* 8.

Tacetur vero *Te Deum*: quia Juſti ante Chriſti Adventum in triſtitia inferni (ideſt ſinus Abrahæ) tenebantur. Honor. *in Gem. l.* 3. *initio*, Hugo Victor. *de obſervat. Miſ. lib.* 3. *c.* 4. Item quia nondum præſens eſt, quem expectamus, & præſentes tantum hoc Cantico uti ſolemus, inquit Jo. Beleth *de Divin. Offic. c.* 64. & Durandus *in Ration. Div. Offic. l.* 6. *c.* 2. *n.* 5. qui *n.* 8. notat: omnes Antiphonas Dominicales in Matutinis Laudibus Adventus tempore terminare per *Alleluja*, ad ſignificandum, inquit, gaudium de certitudine Adventus Salvatoris habitum; ut in Matutino Officio ſit quaſi prædictio, & in Matutinis Laudibus putetur exultatio: & hinc etiam eſt, quod in Adventu, etſi taceatur *Te Deum*, dicatur attamen *Alleluja*. Profecto in Adventu aliqua lætitiæ Cantica tacentur, aliqua recitantur; quia hoc tempus partim mœroris eſt, partim lætitiæ: lætitiæ eſt, in quantum ſignificat primum Adventum Chriſti ad vivificandum mundum; mœroris autem, in quantum ſignificat, futurum ſecundum Adventum ejuſdem Chriſti Domini ad judicandum Mundum. Vide dicta c. 1. n. 4. & dicenda c. ſequ. n. 15. Jo: Beleth. cit. *c.* 64. Dur. *cit. c.* 2. *nu.* 6. Azor. *Inſtit. Moral. par.* 1. *l.* 10. *c.* 16. *qu.* 5. §. *de Adventu*. Bened. XIV. *to.* 1. *notific.* 11. *n.* 9.

Omittuntur autem Suffragia Sanctorum, ne ante Chriſtum natum implorare videamur eorum opem, & patrocinium, quos ipſe Chriſtus ſuo Adventu gratia, & ſanctitate donavit; & qui per Chriſtum noſtram tutelam, & patrocinium ſuſceperunt. Neque fit Commemoratio Crucis, ne videatur paſſus, antequam natus. Neque item de Pace,

quæ ante Nativitatem ejuſdem non fuit, ſed eo nato ab Angelis data eſt in terra hominibus bonæ voluntatis. Durand. *l. 6. c. 2. n. 7.* Azor. *l. cit.* Gavant. *ſect. 6. c. 1. nu. 1.* Merat. *ibi n. 1.*

11 Adventus tempore quando recitatur Officium de B. V. ad ultimum Pſalmum tertii Nocturni, pro Antiphona *Poſt Partum Virgo* dicatur *Angelus Domini*. Rubr. Brev. *in Offic. B. M. V. in Advent. in fine Breviar. & in Offic. Conceptionis* 8. *Decembr.* Congruentior utique ratione temporis Adventus, quo expectamus partum Virginis. Caval. *to. 2. c. 3. in d. 9. nu. 3.* Eadem diſpoſitio adeſt pro feſto Annunciationis. Vide dicta l. 3. 25. Martii n. 10.

12 *In primis Veſperis communibus diei Octavæ, & Dominicæ privilegiatæ Veſperæ debent recitari cum Pſalmis Sabbati, & a Capitulo de Dominica privilegiata, addendo in fine Commemorationem diei Octavæ.* S. R. C. 9. Novembr. 1622. apud Caval. *to. 2. c. 18. d. 1.* Gavan. *ſect. 3. c. 8. n. 13.* Supponitur autem in allegato Decreto, recitatum fuiſſe in Sabbato Officium diei ſeptimæ infra Octavam; ſi enim factum fuiſſet de feſto, Veſperæ huic integræ deberentur, ſi duplex foret: ſi autem ſemiduplex, dimidiatæ uſque ad Capitulum excluſive; a Capitulo enim fieret de Dominica, juxta Rubricas generales: quemadmodum animadvertit Caval. l. cit. n. 7. addendo ſemper Commemorationem diei Octavæ, ut dicitur in decreto. Et quidem ſi in præcedenti Sabbato ad diem Octavam recitatum fuerit Officium de feſto duplici, in ſecundis Veſperis feſti prius fiet Commemoratio ſequentis Dominicæ privilegiatæ, quam diei Octavæ. Caval. *n. 9.* Item ſi de feſto ſemiduplici fuerit Officium; cum hoc habeat dimidium Veſperarum, ut dictum eſt, congruit, ut ejuſdem Commemoratio præferatur etiam illi de die Octava, quæ in iiſdem Veſperis non habet, niſi meram Commemorationem ex allegato Decreto; Ita cum Gavanto Cavalerius *n. 10.* Deinde in ipſa Dominica, in Veſperis, ſi ſequatur feſtum duplex, Veſperæ erunt de ſequenti duplici cum Commemoratione prius de Dominica privilegiata, & poſtea de die Octava. Si vero ſequatur feſtum ſemiduplex, ſecundæ Veſperæ erunt de Dominica cum Commemoratione prius de die Octava, quam ſequentis Semiduplicis, quia ſumus in caſu ſolius Commemorationis tum diei Octavæ, tum feſti Semiduplicis, & conſequenter Commemoratio duplicis, hoc eſt diei Octavæ præferenda eſt Commemorationi Semiduplicis. Gavant. *n. 14.* Caval. *n. 3.* Si autem in Dominica privilegiata 2. cl. fiat Officium de feſto duplici 1. cl. & Commemoratio Dominicæ, & diei Octavæ; (ut ſi die Octava Conceptionis B. V. occurrente in Dominica tertia Adventus alicubi occurrat feſtum duplex 1. cl.) prius faciendam eſſe commemorationem Dominicæ privilegiatæ, deindæ diei Octavæ: contra Pittonum ſentit Caval. *n. 16.* Aliter autem fieri in Dominica non privilegiata, docuimus tr. 1. 14. Januar. art. 1. n. 25. Si ſimul occurrerent duæ Octavæ, & in Sabbato ante Dominicam privilegiatam, occurreret dies ſeptima unius. Octavæ, & fieret Officium de die infra Octavam alteram (ut poteſt accidere, ubi feſtum S. Franciſci Xaverii celebratur cum octava) tunc in eodem

dem in Sabbato ſecundæ Veſp. uſque ad Capitulum excluſive forent de eadem die infra Octavam, de qua eſt Officium recitatum; a Capit. fieret de Dominica, & poſt Orationem Dominicæ fieret prius Commemoratio de die infra Octavam, de qua recitatum eſt dimidium Veſperarum, deinde de die Octava alterius Octavæ: quemadmodum diximus de feſto Semiduplici occurrente in Sabbato ante Dominicam privilegiatam; quod enim in primis Veſperis communibus diei Octavæ; & Dominicæ privilegiatæ Veſperæ debeant recitari cum Pſalmis Sabbati, ut in allegato Decreto diſponitur, unice provenit ex eo, quia dies ſeptima Veſperas non habet; quibus tamen non carent dies aliæ infra Octavam, ut obſervat Caval. nu. 20. Die autem ſeptima Octavæ occurrente in Sabbato ante Dominicam privilegiatam non habet dies Octava primas Veſperas in dicto Sabbato, quia cum in ſequenti die non habeat Officium, nec etiam convenit habere primas Veſperas: ut in ſimili ait Rubr. gen. Brev. *tit.* 11. *n.* 10. Vid. Caval. n. 2. & 3. Aſſignatæ vero fuerunt Veſperæ integræ Dominicæ, quia cum in ſequenti die habitura eſſet Officium, jus quoque habebat ad primas Veſperas. Quoniam tamen Officium Dominicæ ſic eſt conſtitutum, ut non niſi a Capitulo incipiat in primis Veſperis, ideo Pſalmi de Sabbato ſumendi fuerunt, perinde ac ſi in eo Sabbato actum eſſet de feria, aut ſimplici Feſto; Officium enim feriale in defectu alterius ſemper ſubrogatur, & ſuccedit ex præſcripto Rubr. V. *de feriis num.* 1. ut obſervat Caval. *num.* 5. In prædicto autem caſu diei Octavæ occurrentis in Dominica privilegiata non dicentur Preces ob privilegium Octavæ, quod non amittit: Gavant. *cit. n.* 13. Merat. ibi num. 18. Quemadmodum nec fient Suffragia, ſi alias facienda forent, ut in Dominicis Septuag. &c. Si vero Dominica privilegiata concurrat cum ſequenti die Octava, etiamſi de die Octava facienda non ſit niſi commemoratio, propter occurrens in ea feſtum dupl. 1. aut 2. cl. nihilominus in primis Veſperis feſti prædicti prius fiet Commemoratio diei Octavæ, deinde Dominicæ, privilegiatæ. Vid. dicta tr. 1. 7. Decembr. n. 3.

A die 17. Decembr. incluſive uſque ad Epiphaniam excluduntur Octavæ Sanctorum, quæ non ſint in Breviario Rom. & incœptæ abrumpuntur. *Rubr. gen. Brev. tit.* 7. *n.* 1. *& in not. poſt Tabell. occurſ. in Breviar.* Vide dicta *tr.* 1. 16. *Decemb. art.* 1. *n.* 3. *& die* 17. *Decembr. n.* 11. 13

In toto Adventu ceſſat privilegium recitandi Officia illa, quæ concedi ſolent, ac permitti, ut recitentur ſemel in qualibet hebdomada, vel menſe, ex Decretis S. R. C. quæ allegavimus tr. 1. l. 2. par. 1. c. 2. nu. 3. Confer Merat. *to.* 2. *ſect.* 6. *c.* 1. *n.* 1. 14

In omnibus feriis ſecundis dicitur Officium Defunctorum. *Rubr. Brev.* (ſub quanam obligatione v. inf. n. 18.) Quoniam recitandum eſt ex Rubrica Officium Defunctorum quolibet menſe, prima die non impedita feſto novem lectionum: niſi adimplenda ſit Teſtatorum voluntas, pro qua permittitur ſeparatim diei Officium Defunctorum ab Officio diei a S. R. C. die 12. Junii 1628. apud Gavantum *in Rubr. Brev. ſect.* 9. *c.* 2. *n.* 10. ideo 15

Qu. I. Si in Adventu recitari non 16
queat

queat Officium Defunctorum in feriis ſecundis, eo quod omnes ſint impeditæ feſto novem Lectionum (ut accidit, quando Dominica prima Adventus occurrit die 29. Novembr.) an ratione menſis erit ſemel ſaltem recitandum prima die non impedita feſto novem lectionum?

℞. Andreas Caſtaldus apud Gavantus *in Rubr. ſect. 9. c. 2. num.* 12. negat debere dici in Quadrageſima, in qua ſimiliter Officium Defunctorum recitatur in omnibus ſecundis feriis: ea ratione, quia in Quadrageſima hoc Officium eſt adnexum onus diei. Idem autem valet in Adventu. Sed Gavantus etſi Doctrinam approbet, attamen rationem illam non convincere, ait, quia onus adnexum feriæ, non tollit onus, quod poteſt eſſe ratione primæ diei menſis; unde accidere notat, in feriis ſecundis per annum dici Miſſam pro Defunctis, ut in Rubr. Miſſal. *tit.* 5. *n.* 2. & feria tertia, quæ ſit prima menſis ſequentis, dici Miſſam rurſus pro iiſdem ratione prædictæ Rubricæ *n.* 1.

Gavantus itaque utitur hac alia ratione, nimirum, quia verba illa Rubricæ: *Ante Quadrageſimam, prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum: & ante Adventum prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum:* ita intelligenda ſint, ut intra Quadrageſimam, & Adventum nulla habeatur ratio menſis. Et confirmat ex *Rubr. gener. Miſſal. tit.* 5. *num.* 1. ubi dicitur: *Prima die cujuſque menſis (extra Adventum, Quadrageſimam, & tempus Paſchale) dicitur Miſſa principalis generaliter pro Defunctis &c.* quæ Miſſa, ait, certe reſpondet Officio Defunctorum, & rationem aſſignat: quia nullo habito reſpectu menſis, fiunt Suffragia ſæpius, hoc eſt ſemel in hebdomada qualibet tam Adventus, quam Quadrageſimæ.

Si vero aliquo anno (quod raro contingit) feriis ſecundis omnibus impeditis, non dicatur Officium Defunctorum, parum refert: neque enim ſupplere debemus, quod lex ſupplendum non præcipit. ex reg. quod *ubi lex non diſtinguit; nec nos diſtinguere debemus.* Eamdem ſententiam ſuſtinet Guyetus relatus a Caval. qui adhæret eidem, confirmatque ex alia Rubrica, Officio Defunctorum præfixa; quæ facta generali diſpoſitione de eodem Officio dicendo qualibet prima die Menſis non impedita extra tempus Paſchale, ſtatim ſubdit: *In Adventu autem, & Quadrageſima feria ſecunda cujuslibet hæbdomadæ ſimiliter non impedita &c.* dictio namque *autem* eſt adverſativa, & importat diverſitatem diſpoſitionis, præſertim quando præcedit diſpoſitio generalis.

Qu. II. Quoniam in Adventu recitatur Officium Defunctorum in omnibus ſecundis Feriis: quæres: utrum occurrente Vigilia Nativitatis Domini in feria ſecunda hebdomadæ quartæ Adventus, ea die recitandum ſit Officium Defunctorum? 17

℞. Ad hujuſmodi Quæſtionem negative reſpondet Gavantus contra Caſtaldum in Rubr. Brev. *ſect.* 9. *c.* 2. *nu.* 14. his rationibus: *In Breviario M. S. ex* 1550. *aperte negatur: quia non debent dici Veſperæ, niſi dicatur etiam Nocturnum cum Laudibus. Nocturnum autem cum locum habeat poſt Laudes diei, non congruit deinde, ut poſt Laudum Vigiliæ Officium, quod eſt duplex, dicatur Officium Defunctorum: & eo magis, quia eſt Officium duplex privilegiatum, quod excludit omne aliud*

aliud duplex. Adde, omitti eodem die Officium B. Virginis parvum, cum tamen agatur eadem die de proximo partu Virginis: quanto magis Officium Defunctorum, quod minuit jucunditatem illius Vigiliæ? Denique ſi concedatur Officium Defunctorum, etiam in Miſſa fiet Commemoratio eorumdem; quæ tamen nullam admittit Commemorationem, niſi Dominicæ, ſi in ea occurrat Vigilia, a qua excluditur duplex feſtum, & Miſſa conſequenter Defunctorum, quæ prohibetur dici in feſtu duplici. At Caſtaldus in Cæremon. lib. 3. c. 1. n. 1. *concedit, poſſe dici Officium Defunctorum in Vigilia Nativitatis, ratione feriæ* 2. *tum quia non eſt impedita feſto novem Lectionum; tum quia in ea Vigilia excluditur tantum a Rubricis Officium parvum B. Virginis; & ait prudentiſſime, potius eſſe recitandum pridie Veſperi, ubi eſt conſuetudo, quæ certe non tollitur a Rubricis Breviarii in Officio Defunctorum; dicunt enim:* Niſi alia ſit conſuetudo Eccleſiarum. *Cui tamen reſpondeo: in Breviario M. S. ex* 1550. *expreſſe probiberi Officium Defunctorum a Completorio pridie Vigiliæ Nativitatis cantato. Et ad primam rationem dico: æquiparari, & præcedere Officium dictæ Vigiliæ, ſi comparetur cum feſto quolibet novem Lectionum. Ad alteram: ibi non excludi Officium B. Virginis cum particula reſtrictiva* tantum: *ſed omitti de Officio Defunctorum id præſcribere, quod præſcriptum jam fuerat de Officio parvo B. Virginis. Imo non fuit neceſſe, aliud decernere, ſumpto argumento a fortiori, ut dixi, ſi excluditur Officium B. V. Ergo multo magis Defunctorum.* Huc uſq. Gavantus, cui conſentit Cavalerius *tom. 2. par. 2. c. 46. in d. 4. num. 1.*

Qu. III. An ſit obligatio recitandi in prædictis feriis Officium Defunctorum? 18

℟. Excepta die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, quotieſcunque per Rubricas Breviarii Romani præſcribitur recitatio Officii Defunctorum, numquam imponitur obligatio ulla ad illud recitandum prædicto utentibus Breviario: obligationem etenim omnem ſubſtulit Pius V. qui tantum exhortatur ad recitationem illius, & allicit propoſita indulgentia centum annorum: ut ex ejus Bulla Breviario Romano præfixa ſatis conſtat. Unde jam rejicitur Navarrus, qui ante Pium V. *de Orat. c.* 10. *n.* 4. docuerat: Officium Defunctorum certo die præſcriptum in Breviario, eſſe partem Horarum Canonicarum. Nulla ergo eſt obligatio recitandi ſive extra Chorum, ſive etiam in Choro prædictis feriis Adventus Officium Defunctorum. Vid. Caval. *to. 2. par. 2. c. 46. in d. 4. n. 2. & 3.* & dicenda lib. 4. par. 1. c. 3. n. 13.

Quod tamen intelligi debet præſcindendo ab alia obligatione aliqua, ſi forte adeſſet: puta ex voluntate Teſtatorum; tunc enim, qui illam haberent, deberent utique recitare ex vi obligationis illius, diebus iis, in quibus conceditur Miſſa *de Requiem*. Gavant. *in Rubr. Brev. ſect. 9. c. 2. n. 19. & 21.*

In aliis vero diebus, in quibus prohibetur Miſſa de *Requiem*, adhuc recitari poſſe etiam in Choro, docet Gavantus *loc. cit. n.* 20. Vellet autem excipi feſta 1. & 2. cl. & ultimum Triduum Majoris Hebdomadæ; quia, ait, diſpar eſt ratio inter Miſſam, & Officium Defunctorum: illa namque ſuppleri poteſt cum Miſ-

Miſſa de die, non item Officium Defunctorum cum Officio de die. Feſtum itaque etiam de præcepto ex minus ſolemnibus non impedit recitationem hujus Officii: maxime ſi adſit Eccleſiarum conſuetudo. Gavant. l. cit.

Si tamen accidat in his obbligationibus recitandi Officium Defunctorum aliqua neceſſitas ex cauſa rationabili reducendi aut commutandi, aut eas moderandi ad tempus, vel in perpetuum; refert Gavant. *loc. c. n.* 22. declaraſſe Congregationem C. Trident. poſſe Epiſcopum in Synodo, & Regularium Superiores in capitulis generalibus circa hæc officia decernere, quidquid magis judicaverint expedire; ea commutando in Miſſas &c. excipit vero, limitatque Gavantus idem, ſi ante Concilium ea fuerint impoſita. Quod eadem S. Congreg. ſignificare viſa eſt, inquit, in Decretis de Celebratione Miſſarum ſub Urbano VIII. 21. Junii 1625. §. *Ac primo*. Ubi dum prohibet reductionem Miſſarum *poſt* Concilium Trid. non item *ante* illud: indicat aperte, eam fuiſſe Sacri Concilii mentem, de qua dubitabant Doctores; ita Gavantus. Verum videtur Gavantus male confundere reductionem Miſſarum, de qua procedit allegata prohibitio Urbani; cum Reductione Officiorum, de qua loquitur allegata Declaratio Congregationis Conc. Trid.

CAPUT III.

De Miſſa.

IN Adventu infra hebdomadas, ſi dicenda ſit Miſſa de feria, niſi propria Miſſa aſſignetur, reſumitur Miſſa de Dominica præcedenti, omiſſo *Alleluja* cum verſu ſequenti, lecto tantum Graduali; & non dicitur Symbolum. *Rub. Miſſ. in Dom. I. Adventus*, & in *Rub. gener. tit.* 10. *n.* 4. *& tit.* 14. Præfatio erit Communis. Confer dicta tr. 1. in Dom. art. 4. nu. 56. Cætera ſervanda notabimus infra. 1

De feria ſemper fit Commemoratio in Adventu, quando Miſſa dicenda eſt de feſto novem lectionum, quodcumque illud ſit. *Rub. gener. Miſſ. tit.* 7. *n.* 2. & quidem ante Commemorationem feſti ſimplicis; ſi occurrat, ut infra dicetur. Sumitur autem Commemoratio de Dominica præcedenti, (niſi ſit feria quatuor temporum, in qua habetur oratio propria:) ſed non legitur in fine Evangelium Dominicæ.

Occurrente in feriis Adventus Vigilia; licet Officium ſit de feria Adventus abſque ulla prorſus Commemoratione Vigiliæ, quemadmodum Cap. præcedenti notavimus: Miſſa tamen erit de Vigilia cum Commemoratione feriæ juxta Rubr. gener. Miſſ. *tit.* 3. *nu.* 4. Cujus diſpoſitionis rationem dat Gavantus *in Rub. Miſſ. par.* 2. *tit.* 3. *nu.* 4. & Gupetus *lib.* 4. *c.* 5. *quæſt.* 4. quod nimirum feria Adventus Miſſam propriam non habeat, ſed tantum in ea repetatur Miſſa Dominicæ: quare Miſſæ propriæ convenit cedat Miſſa minus propria. Alteram rationem, fortaſſe addi poſſe, 2

ſe, ait Cavalerius *to.* 2. *c.* 15. *in Decret.* 4. *n.* 9. videlicet ut moneatur populus de jejunio.

Si tamen Vigilia occurrat in feriis quatuor temporum de Vigilia fit tantum Commemoratio: ut quandoque accidit Vigiliæ Sancti Thomæ Ap. *Rub. Miſſal.* 29. *Novembr.* & 20. *Decembr.* & non legitur Evangelium Vigiliæ in fine. Vide dicta tr. 1. in Septemb. par. 1. ſect. 5. ſubſ. 2. §. 1.

3 An autem ſit legendum Evangelium Vigiliæ in Adventu, in Miſſa de feſto novem lectionum, de qua facta ſit Commemoratio in eadem Miſſa? Huic Quæſtioni non adeſſe Reſponſionem facilem fatetur Cavalerius *l. cit. nu.* 10. Gavantus quidem Rubrici iſtarum Pater, ut eum appellat Benedictus XIV. *in Rubr. Miſſ. part.* 1. *tit.* 3. *nu.* 4. *lit. m.* negat eſſe legendum, eo quod in Officio lectum non ſit, nec legatur in Miſſa quatuor temporum, aut Quadrageſimæ, quando in iis feriis occurrat Vigilia. Gavanto cohæret Cæremoniale Monaſticum *lib.* 4. *c.* 11. *nu.* 10. Contra vero; affirmat, eſſe legendum cum Guyeto, & Biſſo Meratus in cit. locum Gavanti n. 6. & conſentire videtur Cavalerius *cit. nu.* 10. Moventur laudati Auctores ex eo, quod, ajunt Homilia Vigiliæ occurrentis in Adventu non legitur per accidens in Officio, quia nimirum de ea non fit Commemoratio ad laudes, quæ ſi fieret, procul dubio legeretur Homilia ad Matutinum, cum nihil ſit, quod impedire queat; feria quippe Adventus lectionem homiliæ non habet, quæ illam Vigiliæ impedire poſſet: unde Sacra Congregatio 16. Februar. 1737. declaravit, quod hac de cauſa feriæ Adventus non impediant nonam lectionem legi de ſimplici in Officiis de Sanctis hoc tempore occurrentibus: ut notavimus Cap. præcedenti nu. 2. & 9. Jam vero Evangelium, cujus homilia per accidens omittatur in officio, ſi in Miſſa Commemoratio fiat, etiam in fine Miſſæ ſtatuunt eſſe legendum; ſecus autem Evangelium illud, cujus homilia per ſe omittatur in Officio; & hujuſmodi eſſe, dicunt, Evangelium Vigiliæ occurrentis in feriis quatuor temporum, aut Quadrageſimæ; quantucumque enim enim in feriis quatuor temporum, & Quadrageſimæ fieret Commemoratio Vigiliæ ad Laudes, non propterea legeretur ejuſdem homilia ad Matutinum; quia etiam prædictæ feriæ admittunt Commemorationem feſti Simplicis, nec tamen admittunt lectionem ejuſdem; cum itaque in eo caſu homilia Vigiliæ per ſe omittatur in Officio, ideo eſſe, docent, quod nec Evangelium Vigiliæ legatur in Miſſa in feriis quatuor temporum, & Quadrageſimæ.

Alteram inſuper dant rationem, eamque petunt ex duabus Miſſis Conventualibus, quæ in noſtro caſu, non item in occurrentia feriæ Quadrageſimalis, & Vigiliæ dici præſcribuntur; quoniam tantum quando dicendæ ſunt duæ Miſſæ Solemnes, ſeu Conventuales, legitur Evangelium feriæ in fine Miſſæ privatæ: ad monendum, forſitan, populum de obbligatione jejunii: qua monitione non eget, quando Vigilia incidit in quatuor tempora, aut Quadrageſimam, cum jam ſignificetur id per Miſſam propriam Quadrageſimæ, vel Quatuor temporum.

Quidquid ſit de his rationibus: Statuo, male in præſenti facto eos agere, qui vellent ritum Miſſæ Vi-

giliæ omnino ex Officio deducere. Conſtat enim ex Rubricis, Vigiliam multo favorabiliorem ritum habere in Miſſa, quam in Officio. Id non ex eo ſolum probatur, quod Commemoratio Vigiliæ præſcribatur in Miſſa, quamvis nulla præceſſerit in Officio; ſed etiam quia in alios caſibus in quibus nihil in officio factum eſt de Vigilia, aut ſola Commemoratio; Miſſa tamen in Rubricis ordinatur de Vigilia: Sic in Adventu ipſo concurrente Vigilia cum feria; officium eſt totum de feria ſine Commemoratione Vigiliæ, & tamen Miſſa eſt de Vigilia cum Commemoratione feriæ: ut diximus ſup. n. 2. & alias per annum concurrente Vigilia cum die infra octavam, Officium eſt de infra Oct. cum Commemoratione Vigiliæ, ſed Miſſa eſt de Vigilia, cum commorat. Oct. ut accidit in Calendario Rom. die 14. Aug. concurrente Vigilia Aſſumpt. B. M. V. cum die infr. oct. S. Laurentii, quamvis dies infra oct. ſit ritus ſemidupl. & Vigilia ritus ſimpl. Cum ergo conſtet tam claris argumentis, Ritum Miſſæ manere integrum Vigiliæ, aut etiam præferri, nulla habita conſideratione Officii; non eſt, cur illam privemus lectione Evangelii prout in caſu, ex ſola ratione quod de Evangelio non lectum fuerit in Officio. Ad id quod objicitur de Concurrentia Dominicæ IV. Adventus cum Vigilia Nativitatis, in quo caſu Rubrica monet faciendam Miſſam de Vigilia cum Commemoratione Dominicæ ſine ejus Evangelio in fine, addendo rationem; *Quia nec in officio lectum eſt:* Reſpondeo quod ex noto Juriſperitorum Axiomate *Ratio Legis non cadit ſub Lege*. Enim vero caſus objectæ concurrentiæ eſt omnino ſingularis; pro quo ſufficit quod locum habeat ratio allata. Et ſane cum novum ac ſingulare ſit, in Dominica ad Miſſam fieri Commemorationem Dominicæ ſine Evangelio in fine; hanc admirationem elidit Rubrica aiendo, quod nec in officio lectum fuit. Cæterum afferri potuit alia ratio, ex qua in prædicta concurrentia decuit omitti Evangelium Dominicæ: Cum enim Dominica IV. Adventus remotius ordinetur ad feſtum Nativitatis, propius vero Vigilia, non decuit poſt lectum in Miſſa Evangelium Vigiliæ, illud legi Dominicæ, quod tamquam a longiori intervallo ordinatur ad feſtum. Poſtremo opinioni affirmanti legendum eſſe ut in caſu Evangelium; favet praxis Sacroſanctæ Baſilicæ Lateranenſis teſte Merato loc. ſup. cit.

A Dom. I. Adventus uſque ad Nativitatem Domini non dicitur *Gloria in Excelſis*. Rubr. Miſſ. *In Dom. I. Advent.* Et in fine Miſſæ dicitur: *Benedicamus Domino:* eo quod non ſit dictum *Gloria in excelſis*. 4

Tempore Adventus extra Dominicas in Miſſis ferialibus non dicitur *Alleluja*, ut ſupra notavimus n. 1. dicitur tamen, quando fit Miſſa de feſto, ſeu de aliquo Sancto: etiamſi legatur Miſſa votiva, quia non eſt de tempore: cum Gavanto, & aliis Meratus *to. 1. par. 1. tit. 4. n. 45.*

Tempore Adventus in Officio, & Miſſa de Tempore Paramentorum Sacrorum color violaceus erit. *Rub. gener. Miſſ. tit.* 18. *n.* 5. & quidem in Dominicis Adventus in Officio, & Miſſa de tempore adhibetur color violaceus, etiamſi occurrant infra Octavam Sancti, ſeu feſti, cui competat color albus, vel rubeus. *Rubr. cit. n.* 2. & 3. Ejuſdem coloris cum Celebrante 5

te

te erunt Sacrorum Miniſtrorum paramenta, nempe Diaconi, & Subdiaconi; atque adeo omnium etiam Altarium Antipendia, ſeu Pallia coloris ejuſdem erunt; Tabernaculi inſuper SS. Sacramenti Conopæum: juxta declarationem S. R. C. de qua teſtantur Bauldry, & Caſtaldus allegati a Merato *in Gavant. part.* 4. *tit.* 1. *n.* 3. apud quem Caſtaldus vult, in feriis, atque Dominicis Adventus adhibenda minime eſſe ſuper Altare, & inter Candelabra vaſcula cum floſculis, ac ornamenta ſimilia: excepta Dominica tertia *Gaudete*; quæ ex ſui inſtitutione lætiorem requirit ornatum: exceptiſque Sanctorum ſolemnitatibus, quibus competentia lætitiæ ſigna Adventus non adimit.

6 Diaconus, & Subdiaconus in feriis Adventus, (exceptis feriis infra hebdomadam tertiam Adv. in quibus Miſſa præfatæ Dominicæ *Gaudete* repetenda; excepta item Vigilia Nativitatis Domini) in Cathedralibus, & Collegiatis, atque præcipuis Eccleſiis adhibentur in Miſſa ſolemni Planetæ plicatæ ante pectus, quam Planetam Diaconus dimittit, cum lecturus eſt Evangelium: eaque tunc ſuper ſiniſtrum humerum ſuper ſtolam complicatur, aut ponitur aliud genus ſtolæ, ut dicitur, latioris in modum Planetæ plicatæ; & facta Communione reſumit Planetam, ut prius. Similiter Subdiaconus dimittit eam cum lecturus eſt Epiſtolam, quam legit in Alba; & ea finita, oſculataque Celebrantis manu Planetam reſumit, ut prius. *Rubr. gener. Miſſ. tit.* 19. *n.* 6. Vide Merat. *t.* 1. *in Gavant. part.* 4. *tit.* 1. *n.* 4. Teſte Joanne Alcozer in ſuo Cæremoniali. Sacra Rit. Congregatio conceſſit inſignioribus Regularium Eccleſiis uſum Planetarum complicatarum; Et ex una *Caliguritana* 23. Martii 1631. habetur, in Eccleſiis etiam Parochialibus poſſe adhiberi tempore Quadrageſimæ, & Adventus Planetas plicatas: apud Meratum *ind. decr. Miſſ. n.* 247. Eccleſias autem Parochiales intellige non inferiores, uti colligitur ex ſequenti Decreto apud eumdem Meratum l. cit. *n.* 731. *Rubrica concedit uſum Planetarum complicatarum ante pectus Diaconis, & Subdiaconis miniſtrantibus in Miſſa ſolemni in Cathedralibus, & præcipuis Eccleſiis in diebus jejuniorum, cum limitatione, ut ibi: in minoribus vero Eccleſiis Miniſtris prædictis dat tantum uſum Albæ cum Manipulo Subdiacono; & cum Stola, & Manipulo Diacono.* S. R. C. 13. Junii 1684. in *Angenopolitana*. Subditque Meratus ipſe, ex hoc ſequi, quod in Eccleſiis non inſignibus Regularium, & Monialium & in parvis Eccleſiis ſæcularibus etiam Parochialibus non concedatur uſus Planetarum complicatarum. Videatur idem *in par.* 4. *tit.* 1. *n.* 4.

A Dominica I. Adventus uſque ad Vigiliam Nat. poſt Orationem diei dicitur Oratio: *Deus, qui de Beatæ Mariæ:* & 3. *Eccleſiæ tuæ:* vel *Deus omnium fidelium*. Si autem facienda ſit Commemoratio alicujus feſti ſimplicis occurrentis; poſt Orationem diei dicitur Oratio de Sancto, & tertia de S. Maria, ut ſupra. *Rubr. Miſſ. in Dom. I. Advent.* quæ terminatur: *per eumdem Dominum* juxta Rubr. gen. Miſſ. *tit.* 9. *n.* 17. Similiter Oratio ſecreta, & Poſtcommunio. 7

In Dominicis Adventus occurrentibus infra Octavas dicuntur duæ tantum Orationes, una de Dominica, altera de die infra Octavam; niſi occurrat Commemoratio Simplicis, aut alterius diei infra aliam Octavam: tunc enim dicetur tertia Oratio de

 ſe-

feſto ſimplici, vel de alia Octava inferioris dignitatis.

Infra hebdomadas Adventus, quando dicitur Miſſa de feſto Semiduplici, ſecunda Oratio erit de Adventu, tertia de S. Maria, ut ſupra; quæ tamen omittitur, ſi facienda ſit aliqua Commemoratio, puta S. Simplicis occurrentis. Merat. *par.* 1. *tit.* 9. *n.* 5. Infra Octavam vero Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis in Miſſa de die infra Octavam ejuſdem feſti tertia Oratio erit de Spiritu Sancto: niſi facienda ſit alia Commemoratio ut dictum eſt, & notavimus tr. 1. 8. Dec. art. 2. ſect. 2. n. 20. Si tamen infra hebdomadas Adventus dicatur Miſſa de feſto duplici, poſt Orationem feſti dicitur Oratio tantum de feria Adventus. Porro de feria Adventus ſemper fit Commemoratio, quodcumque feſtum occurrat, uti ſupra n. 1. notavimus. Oratio autem feriæ eſt eadem, quæ dicta fuit in Dominica præcedenti: niſi ſit quatuor tempora, in quibus habetur Oratio propria. Vide dicta tr. 1. in Septembr. par. 1. ſect. 5. ſubſ. 2. §. 1. n. 17. Si autem occurrat Commemoratio diei infra Oct. in feſto duplici, vel ſemiduplici 2. Oratio erit de Octava 3. de feria. Quod ſi occurrat commem. ſimplicis fit poſt commemorationem feriæ.

In Miſſa Vigiliæ 2. Oratio de feria Adventus. 3. de S. Maria: *Deus qui;* ut ſupra, niſi occurrat feſtum ſimplex, quia tunc de eo erit tertia Oratio: quod accidit in Vigilia S. Andreæ Ap. quando de ea fit 29. Novembr. intra Adventum. Si autem fit feria 2. vide dicta 29. Novembr. n. 10. & die 20. Decembr. n. 5.

8 Quæres hic: Si in Vigilia infra Adventum occurrat alicubi feſtum novem lectionum, quo ordine in Miſſa de feſto dicendæ ſint Orationes de Adventu, & Vigilia?

℟. ex Gavanto *in Rubr. Miſſ. par.* 1. *tit.* 3. *n.* 4. *lit. m.* quem laudat Cavaler. *to.* 2. *c.* 15. *Comment. in decret.* 4. *n.* 9. cohæretque Meratus *tom.* 1. *in Gavant. par.* 4. *tit.* 1. *n.* 5. Oratio de Adventu dicenda eſt ante Orationem Vigiliæ; quia licet de Miſſa Vigiliæ alius ſit ordo, in Miſſa tamen alia, dignior eſt Oratio, quæ dicitur in Officio; & eruitur ex feſto S. Leonis 28. Junii, in cujus Miſſa Oratio de Vigilia dicitur poſt Orationem de die infra Octavam S. Joannis Baptiſtæ, licet ſi dictum feſtum minime occurreret, Miſſa Vigiliæ præferretur Miſſæ de Octava: & de facto præfertur, quando ratione Dominicæ Vigilia anticipatur in Sabbato.

In Miſſa Votiva, quæ celebrari aliquando poteſt infra Octavam in Adventu, Quadrageſima, Quatuor temporibus, Vigiliis, & ſecunda Rogationum, prima Oratio erit de Miſſa, ſecunda de Octava, tertia de feria, & non dicitur Evangelium feriæ in fine, ſed S. Joannis: In principio. *S. R. C.* 23. *Junii* 1736. apud Merat. *ind. decret. Miſſ. n.* 689. At vero *In Miſſis Votivis ſolemnibus, quæ dicuntur pro re gravi, vel ob occurſum feſti ſolemnis in aliam diem transferendi; etſi unica tantum canatur Miſſa, unica tantum Oratio dicenda eſt.* S. R. C. 29. Januar. 1752. in una Ordin. Carmelit. excalceat. Provinc. Polon. ad 9. dub. apud Caval. *to.* 5. *in collect. recentior. decretor.* Confer dicenda lib. 4. par. 1. c. 4. n. 18. *Tolerari poteſt Miſſa Votiva cantata B. M. V. toto tempore Adventus, ut in Polonia, exceptis ſolemnioribus feſtivitatibus: dummodo cante-* 9

te-

tetur ſine Symbolo, etiamſi Miſſa occurrens illud exigat, & ſolum cum Gloria in excelſis *in Sabbatis, & infra Octavam ejuſdem B. V. non omiſſa tamen Miſſa Conventuali.* S. R. C. 22. Aug. 1744. in Cracovien. in opere Merati *in 2. append. decret. Miſſ. nu.* 894. Confer alterum decretum infra dandum n. 10. *Exceptis ſolemnioribus feſtivitatibus:* confer dicta tr. 1. l. 1. c. 2. fine & lib. 3. 11. Decembr. n. 3. *Dummodo cantetur ſine Symbolo &c.* iterum confer dicta cit. n. 3. & notandum, quod S. R. C. interrogata. *An ſervari poſſit aſſerta conſuetudo pulſandi Organum tempore Quadrageſimæ, Adventus, & Vigiliarum in Miſſis votivis B. M. V. quæ ſingulis Sabbatis ſolemniter celebrantur, & in ejuſdem Litaniis, quæ poſt Veſperas cantantur?* Reſpondit: affirmative; *& amplius:* S. R. C. 14. April. 1753. in Conimbricenſi ad 4. dub. apud Caval. *to. 5. in Collect. recentior. decretor.*, & in opere Merati *in 2. append. decret. Miſſ. n.* 953.

10 *Miſſa Conventualis de feria in Quadrageſima, & Adventu nullo modo poteſt omitti, quando in eis etiam cadet feſtum alicujus Sancti, non obſtante contraria conſuetudine.* S. R. C. 24. Novembr. 1635. in Gallien. Apud Merat. *ind. decret. Miſſ. n.* 278. Confer dicta tr. 1. l. 1. c. 2. n. 13. Occurrente itaque Vigilia in feriis Adventus, ſi fiat de feſto novem Lectionum, cantandæ erunt duæ Miſſæ in Cathedralibus, & Collegiatis; de feſto videlicet, atque Vigilia: perinde ac fit in ſimili caſu temporibus aliis, ſicut eruitur ex Rubr. 3. Miſſ. n. 4. & Rubr. 7. n. 2. ut obſervat Cavaler. *to. 2. c. 15. Comment. in decret. 4. n. 9.* At vero *In Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ, in quibus fit de Duplici primæ Claſſis, & ſunt cantandæ duæ Miſſæ.* S. R. C. 5. Julii 1698. in Collen. apud Merat. *ind. decret. Miſſ. n.* 528. Sed in Cathedralibus, & Collegiatis cantabitur unica Miſſa de feſto 1. Claſſis, cum Commemoratione Dominicæ 2. Claſſis. Confer dicta tr. 1. l. 2. in Dominica n. 50. & Merat. *t. 1. par. 3. tit. 11. n. 4. decr. 17.*

In Sabbatis Adventus tempore occurrentibus, non impeditis Miſſa propria feſti novem Lectionum, vel Vigiliæ, aut feriæ quatuor temporum; licet Officium fiat de S. Maria in Sabbato, dicitur tamen Miſſa principalis, ſeu Conventualis *Rorate*: Votiva B. Mariæ tempore Adventus, cum *Gloria in excelſis*: quia eſt Sabbatum ſine *Credo*; ſecunda Or. de Adventu, & tertia de Spiritu S. vel feſto ſimplici, ſi occurrat: Præfatio de B. V. *Et te in veneratione*. In fine Miſſæ: *Ite Miſſa eſt*; & Evangel. S. Joan. Col. param. Celebrantis, & Miniſtrorum, nec non Altaris alb. tempore Miſſæ Solemnis: Si autem fuerint quatuor tempora, vel Vigilia, tunc etiam Miſſa Conventualis erit de feriis prædictis, vel de Vigilia in paramentis violaceis. *Rubr. Gen. Miſſ. tit. 3. n. 1. & tit. 4. n. 2. Meratus to. 1. part. 1. tit. 4. n. 1.*

Eodem caſu, quo Miſſa principalis, ſeu Conventualis in Choro eſt de S. Maria, etiam Miſſæ privatæ convenienter dici poterunt de eadem ut ſupra: quemadmodum obſervat Gavant. *par. 1. tit. 4. n. 2.* Meratus *ibi n. 2. & par. 4. tit. 1. n. 5.* niſi quod Antipendii, ſeu Palii altaris color erit tempori conveniens violaceus, etſi paramentorum Celebrantis debeat eſſe albus præfatæ Miſſæ conformis; ut idem Meratus docet; Confer dicta tr. 1. 2. Novembr. n. 81.

Præ-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Præfata Miſſa de S. Maria, cum non concordet Officio, eſt Votiva, in eo ſenſu minus rigoroſo, quo Miſſæ Votivæ nuncupari ſolent, quæ non concordant Officio occurrenti. Profecto Miſſæ Votivæ communiter non conveniunt Officio; attamen ut celebranda in Choro ex præcepto Rubricæ; non eſt votiva in eo proprio ſenſu, quo Miſſæ Votivæ proprie vocantur, quæ non conformes Officio legantur ſimpliciter ex voto, ſeu devotione, & arbitrio Celebrantis, vel alterius petentis. Vide dicta tr. 1. l. 2. in Sabbato n. 40. verſu *Profecto Miſſæ Votivæ*. Hæc igitur Miſſa proprie non eſt votiva, ſaltem pro Choro, ut obſervat Gavant. *par.* 1. *tit.* 4. *nu.* 2. conſentitque Meratus *ibi. n.* 3. & eadem parte 1. *in Præliminar. nu.* 56. docens: hanc Miſſam, ſimilemque non eſſe ſtricte, ſed late votivam, eo quod occurrenti non conformis Officio celebranda ſit ex voto, ſeu devotione Eccleſiæ erga Beatiſſimam Virginem.

11 Nota hic: Eccleſia, præſcribendo, ut in Sabbatis infra Adventum dicatur Miſſa principalis de Sancta Maria cum Commemoratione de Adventu; toto etiam Adventus tempore orationem de S. Maria quotidie in Miſſa recitari jubendo; & in Antiphonis Officii divini, & Canonici ad *Magnificat*, & *ad Benedictus* Mariæ præconia canendo; hoc item eodem Adventus tempore feſtum Conceptionis ejuſdem Beatiſſimæ Virginis cum Octava ſolemniter celebrando; per hæc evidenter ſuis inſinuare fidelibus, ut hiſce diebus Mariam impenſius venerentur, frequentius laudent, fidentius invocent: Quod fideles utique præſtant. Profecto, ſi, ut cap. 1. nu. 4. notavimus, totum Adventus Sacri tempus dici poteſt, ad excipiendum advenientem Chriſtum, præparatio: quæ melior naſcituro Domino præparatio, quam ad ipſius dilectiſſimam Genitricem accurrere? cujus glorioſis meritis, ac precibus ſperare valeamus naſciturum Salvatorem per gratiam in cordibus noſtris; ut bene obſervat Benedictus Plaza *devotion. vindic. par.* 2. *c.* 8. *n.* 22.

Huc facit ſequens S. R. C. Decretum: *Cum in Regno Poloniæ cum maxima ſolemnitate, & concurſu populi cantetur ab immemorabili tempore in Adventu Domini ſingulis diebus Miſſa votiva de Beata Virgine Maria, quæ vocatur*, Rorate. *Quæritur: utrum hæc Miſſa cenſenda ſit ſolemnis ratione concurſus populi, & pro re gravi inſtituta a Synodo Provinciali Regni Poloniæ 1628. a SS. Domino Noſtro Paulo V. approbata?* Reſponſum fuit: *Miſſa* Rorate, *etſi ſolemniter decantetur in Adventu; non eſt tamen recenſenda inter Miſſas Votivas pro re gravi, vel pro publica cauſa, ſed haberi dumtaxat poterit, ut mera populi devotio*. S. R. C. 29. Januar. 1752. in una Ordin. Carmelit. Excalceat. Provinc. Polon. ad 6. dub. apud Caval. *to.* 5. *in Collect. recentior. decretor.* Confer aliud decretum in *Cracovien.* ſupra datum n. 9.

In feriis ſecundis Adventus, quoad 12 celebrationem Miſſæ Conventualis pro Defunctis in genere, vel quoad ſolam Commemorationem de iiſdem: ſervetur Rubrica gener. Miſſ. *tit.* 5. *n.* 2. & videri poteſt Cavaler. *to.* 3. *c.* 8. *Comment. in Decret.* 1. *n.* 15. & recolantur dicta cap. præcedenti a n. 15.

In Adventu Miſſa Conventualis de 13 Tempore debet celebrari poſt Nonam. *Rubr. gen. Miſſ. tit.* 15. *n.* 2. Quocirca notetur ſequens Decretum: *Quadra-*

drageſima, *Adventus*, & *Vigiliarum temporibus*, *nec non in diebus Rogationum*, *occurrente aliquo feſto duplici*, *vel ſemiduplici*, *non licet poſt Primam celebrare Miſſam prædictarum feriarum*, *ſed ſervandæ ſunt Rubricæ*, *quæ præſcribunt poſt Nonam*. S. R. C. 22. Januar. 1701. in una Camaldulenſium Montis Coronæ. Apud Merat. *ind. decr. Miſſ. n.* 548., & confirmatum fuit 19. Januarii 1743. in altera eorumdem Camaldul. Mont. Cor. ut in opere ejuſdem Merati in 2. *append. Decret. Miſſ. n.* 868. Pro Miſſis Conventualibus videantur dicenda lib. 4. par. 1. c. 4. q. 1. & duabus ſequ. & videri etiam poſſunt dicta tr. 1. lib. 1. c. 2. qu. 5. & ſequentibus interrogat. Si præter Miſſam Conventualem celebretur alia Miſſa ſolemnis de aliquo feſto ſolemni, vid. dicenda in feria quarta poſt Dom. Pentecoſt. art. 2. n. 4.

14 In Choro in Miſſa ſolemni, ſeu Conventuali genuflectitur ab iis, qui non ſunt Prælati ad Confeſſionem cum ſuo Pſalmo. In Miſſis autem feriarum Adventus (& in quibuſdam aliis ſuis locis notatis, & notandis,) genuflectunt omnes etiam ad Orationes, & dicto per celebrantem *Sanctus*, uſque ad *Pax Domini*: & ad Orationes poſt Communionem. *Rubr. gener. Miſſ. tit.* 17. *n.* 5.

15 Tempus Adventus, ut cap. præcedenti notavimus, partim eſt lætitiæ, partim vero mœroris. Eſt tempus lætitiæ, ut repræſentat primum Adventum Chriſti, ad vivificandum, ſeu ſalvandum Mundum; unde ſpem generat. Eſt autem tempus mœroris, ut ſignificat futurum ſecundum Adventum ejuſdem ad judicandum Orbem terræ; unde timorem incutit. Vide Gavant. *in Rubr. Miſſ. part.* 4. *tit.* 1. *n.* 4. Benedict. XIV. *to.* 1. *Notificat.* 11. *n.* 9. & recole dicta cap. præcedenti n. 10.

In Miſſis ferialibus Adventus *Alleluja* tacetur, quia feriæ Adventus ſunt quaſi Vigiliæ feſtivitatis Natalis Domini, & in iiſdem erat jejunium, uti videbimus cap. ſequ. Quare ſicut in Vigiliis, aliiſque jejuniorum diebus (quibuſdam exceptis. Vide dicenda in Sab. poſt Dom. Pentecoſt. n. 5.) ex vulgato Alcuino *de divin. Offic. cap. de Paraſceve:* omittimus *Alleluja*, quod feſtivitatem indicat, & exultationem, ita & omittitur in ferialibus Miſſis Adventus. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 1. *tit.* 14. Idem vero *Alleluja* dicitur in Dominicis, prout Adventus ex parte eſt lætitiæ propter primum Adventum Domini.

Tempore Adventus in Miſſis de tempore, etiam in Dominicis tacetur hymnus Angelicus, ſeu *Gloria in Excelſis:* eo quod pertineat ad Nativitatem Domini, quæ tempore hoc repræſentative expectatur. Item quia Adventus ſignificat illud tempus, quo expectabatur gaudium pacis: & illud, quo ſoliciti præſtolamur conſummationem noſtræ ſalutis. Rurſus quia major eſt gloria Chriſti in Eccleſia tempore novi Teſtamenti, quam fuerit in veteri, quod in figura eſt Adventus. Inſuper tacetur, ut nocte Nativitatis, in qua primum fuit ab Angelis decantatus, Luc. 2. 14. (nimirum quoad verba priora:) quaſi Canticum novum, & inauditum, devotius, & avidius decantetur; (unde eſt, qui tradat recitari ceptum in Miſſa tantum Nativitatis Domini: vide Merat. *to.* 1. *par.* 1. *tit.* 8. *n.* 8. & 9. & *par.* 4. *tit.* 3. *n.* 6. Cavaler. *to.* 5. *c.* 9. *n.* 5.) Ita quo ad hæc ſentiunt

tiunt Hugo Victor. *de Obſervat. Miſſ. lib. 3. c. 4.* Amalar. *de Eccleſ. Offic. l. 3. c. 40. fin. Rupert. de Divin. Offic. l. 3. c. 2. fin.* Honor. in Gem. *l. 3. init.* Microlog. *c. 30. & 46.* Durandus *in Ration. lib. 6. c. 2. n. 5.* Radulph. *l. de Canoni obſervat. prop. 16. init.*

Non dicitur : *Ite Miſsa eſt* : ſed *Benedicamus Domino* : ad ſignificandam mæſtitiam temporis hujus; ut interpretatur Micrologus *de Eccl. Obſervat. c. 46.* & Cardinalis Bellarminus *t. 3. Controverſ. lib. 6. de Miſsa c. 27. Videtur enim*, (ait Bellarminus) *neſcio quid lugubre præſeferre*, *quod non publica denuntiatur dimiſſio*, *ſed unuſquiſque per ſe diſcedit*. Aliam rationem aſſignabimus l. 4. par. 1. c. 4. nu. 6. Dicitur autem facie verſa ad altare . *Rubr. gen. Miſs. tit. 13. n. 1.* & *de Rit. celebr. tit. 11. n. 1. fine* : quia celebrans hortatur populum , ut ſecum uniatur ad benedicendum Dominum , qui peculiari modo adeſt ſuper altare : Biel allegatus a Benedicto XIV. *de Miſs. ſect. 1. c. 23. tit. 2. ſub initium* , & cum Micrologo , & Gavanto Meratus *to. 1. par. 2. tit. 11. n. 5.*

Sacrorum Paramentorum color in Officio , & Miſſa de tempore eſt violaceus , prout Adventus tempus eſt mœroris , cui congruit color hujuſmodi . Vide dicta tr. 1. l. 3. 2. Februar. art. 3. §. 2. nu. 18. & die 23. menſis ejuſdem n. 19.

Ideoque a Sacris Miniſtris non adhibentur Dalmaticæ, quæ ſolemnitatem indicant, & lætitiam, uti docet Hugo Victor *de Obſervat. Miſs. lib. 3. c. 4.* & colligitur ex *C. de jejunio 3. diſt. 76.* ubi ſic legitur : *Et tunc* (in Vigilia Pentecoſtes, in Miſſa ſolemni) *propter ſolemnitatem Spiritus Sancti , Diaconi Dalmaticis induantur* . Idem ſignificat Amalarius *de Eccl. Offic. l. 3. c. 40. prop. finem* , & Micrologi Auctor *cit. c. 46. fine* . Porro Dalmatica fuit olim Veſtis Imperatorum & Regum : ex inſtitutione autem S. Sylveſtri Papæ ea uti cœperunt Diaconi Eccleſiæ Romanæ; deinde vero conceſſa eſt etiam Subdiaconis ; videatur Baronius *in not. Martyrolog. Rom. ſub 31. Maji in S. Paſchaſ. Diacon.* ubi breviter , & erudite ſcribit de hac re .

Igitur in feriis, & Dominicis Adventus (excepta Miſſa Dom. tertiæ, & Vigiliæ Nativitatis , ut ſupra dictum eſt): Miniſtri non utuntur Dalmaticis, ſeu Dalmatica , & Tunicella ob rationem explicatam , & aliam , quam indicat Honorius *in Gem. l. 3. initio*. Depoſitis autem propriis ornamentis, aſſumunt Veſtes Sacerdotales, nempe Planetas, ſeu Caſulas : *Quod neminem movere debet : Non enim ſic utuntur Caſulis Subdiaconus*, *aut Diaconus* , *ut in ipſis legant*, *vel miniſtrent; ſed lecturi*, *aut miniſtraturi*, *illas exuunt : manifeſte profitentes*, *illam ſuam non eſſe Veſtem*, *nec propter ſuum ordinem ſibi debitam*, *ſed propter Dominicæ*, *vel alicujus feſti reverentiam ſe accipere accomodatam*, *ut inopem* , *atque indecentem conſolentur expoliationem* . Verba ſunt Ruperti Ab. *de Divin. Offic. lib. 3. c. 2. fine*. Similiter hanc cæremoniam, ſeu Ritum hujuſmodi interpretantur alii Eccleſiaſticorum Rituum , & Cæremoniarum Interpretes , quibuſcum ſentit Benedictus XIV. *to. 1. Notific. 11. nu. 9. fine*; qui etiam de Sacrif. Miſſæ *lib. 1. c. 8. n. 10. & 11.* ex aliis tradit: veterem Planetam fuiſſe Veſtem , quæ a Collo ad pedes uſque Sacerdotem tegebat , & brachia , manuſque involvebat ita , ut eam qui adhibere voluiſſet, oportuerit, utrinque ſu-

ſuſtolere, vel fibula ſubligare. Jam vero ubi Diaconus, & Subdiaconus induebant Planetam hujuſmodi, ut miniſtrando eſſent expeditiores, oportebat, eamdem eſſe in anteriori parte plicatam: indeque morem hunc ortum eſſe, ut in Adventu, Quadrageſima aliiſque diebus a Rubrica ſignatis, cum Diaconus, & Subdiaconus Sacerdoti ſacra Myſteria celebranti miniſtrantes utuntur Planeta, eamdem habeant in anteriori parte plicatam: quamvis jam ſit Planetæ forma mutata. Videri etiam poteſt Meratus *to. 1. in Gavant. par. 2. tit. 1. n. 32. & par. 4. tit. 1. n. 4.*

C A P U T IV.

De Jejunio, & Abſtinentia Adventus.

1 Qu. Utrum in Adventu ſit obligatio jejunandi? Dubium oritur ex eo, quod videamus paſſim familias Regularium prædicto tempore jejunium, & abſtinentiam cuſtodire. Olim etiam Romanos Adventus tempore jejunaſſe, habemus ex Radulpho Tungrenſi *lib. de Obſervat. Canon. propoſit. 16. initio;* ex Epiſtola Nicolai I. ad Conſulta Bulgaror. & ex Innocentio III. in C. Conſilium: *De Obſervat. Jejun.* Idem jejunium ſervaſſe Turonenſes, conſtat ex Gregorio Turon. *lib. 10. hiſt. c. 31.* In Concilio Turonenſi II. celebrato an. 567. Canon. 13. edicitur, ut Monachi juxta antiqua ſtatuta, *in Decembri uſque ad Natalem Domini omni die jejunent*. Integra etiam Quadrageſima a nonnullis Monachis ante Natale Domini, præter illam fidelibus cunctis ante Paſcha communem, jam olim exigebatur, in qua ſimiliter atque in illa perfectum jejunium in ſola Dominica juxta morem Eccleſiæ, ſolvebatur; quamvis & in ipſa Dominica carnium abſtinentiam cuſtodirent, ut refert Theophilus Raynaudus *tom. 15. par. 1. ſect. 3. pu. 3. de elect. Sanctor. n. 31. initio*. Qui etiam *to. 10. tract. de Roſa c. 7.* ubi *de plurib. Quadrageſimis* & iterum *tract. de Gladio ſect. 3. §. 5.* meminerat Quadrageſimæ ante Natale Domini, ab ipſis Græcis ſervatæ cum jejunio. Item Rabanus Maurus *Inſtit. Cleric. lib. 2. c. 22.* ſcribit: ultra Quadrageſimam celebratam ante Paſcha, a Magiſtris Eccleſiæ conſtitutum fuiſſe, in Adventu fieri jejunium quadrageſimale; quod etiam vocat univerſale. Honorius in *Gemma lib. 3. c. 151. fine* ait: quod ſicut tota Eccleſia in Vere ante Paſcha Quadrageſimam jejunat: ita pleraque multitudo in hyeme ante Nativitatem Domini quadrageſimam obſervat. Joannes Beleth *de div. Offic. c. 65.* & Durand. *in Rat. div. Offic. lib. 1. c. 9. n. 8.* referunt Eccleſiam præter majorem Quadrageſimam inſtituiſſe olim alteram Quadrageſimam ante Natale Domini: quæ communiter vocabatur S. Martini, & durabat uſque ad Natale: quam tamen propter hominum fragilitatem, dicunt, redactam fuiſſe ad tres hebdomadas Adventus. Et rurſus Durand. *l. 6. c. 2. n. 6.* ſcribit: in Adventu eſſe jejunium; Et iterum eodem *lib. 6. c. 7. n. 18.* dicit in Adventu continuum eſſe jejunium. Rurſus Joannes Beleth *c. 11.* circa medium affirmat: in Adventu quaſi continuum jejunium obſervari debere. Concilium vero Matiſconenſe I. an. 581. coactum, ſancivit, can. 9. *Ut a feria S. Martini uſque ad Natale Domini ſecunda, quarta, & ſexta Sabbati jejunetur.*

2 ℞. His tamen non obſtantibus, in Adventu nulla eſt univerſalis obligatio jejunandi præter ordinarias Vigilias occurrentes, & jejunium Quatuor Temporum hyemalium in ipſo occurrentium. Ita Azorius *Inſtit. Moral. par.* 1. *l.* 7. *c.* 16. *q.* 3. Filliuc. *to.* 2. *tr.* 27. *par.* 2. *c.* 5. *qu.* 10. *nu.* 102. Fagund. *in* 4. *præcep. Eccl. l.* 1. *c.* 6. *n.* 9. Raynaud. *to.* 10. *tract. de Gladio ſect.* 3. §. 5. Sylveſter V. *Jejunium qu.* 1. *n.* 5. *fine*, qui dicit, hanc eſſe communem opinionem Doctorum; & conſtat ex ipſa praxi, quam non reprehendit Eccleſia.

3 Ad illa vero antiquæ diſciplinæ Monumenta ſuperius allegata, reſpondetur; olim fuiſſe quidem Jejunium, cujus congruentem rationem aſſignat Rabanus l. cit. dicens: *Congrua itaque diſpoſitione a Magiſtris Eccleſiæ hoc loco jejunium quadrageſimale fieri conſtitutum eſt, ut ante diem Natalis Domini jejunio, & abſtinentia nos metipſos caſtigemus; quatenus venientem Redemptorem digna converſatione ſuſcipere poſſimus*. Dicit etiam Gavant. *in Rubr. Miſſ. p.* 4. *tit.* 14. *lit. X.* celebratum fuiſſe, ſeu celebrari jejunium in Adventu, ad repræſentandum mœrorem Sanctorum Patrum expectantium Meſſiam.

Originem hjuſmodi diſciplinæ ſuperius laudato Concilio Matiſconenſi I. tribuit Marcus Battaglini Epiſcopus Nucerinus *hiſtor. univerſ. Concil. t.* 1. ubi de Concil. Matiſc. n. 1. fine. Alii vero Scriptores graves antiquiorem tradunt uſum prædicti jejunii; videlicet manaſſe, dicunt ex inſtitutione S. Perpetui Epiſcopi Turonenſis, qui anno 482. ſedebat; Confer dicta ſuperius n. 1. ex Concilio Turonenſi II. Laudatus itaque Sanctus Epiſcopus, teſte Gregorio Turon. *lib.* 10. *hiſt. c.* 32. jejunium a feſto S. Martini ad Nativitatem Domini inſtituit, vel ſingulis diebus celebrandum; ut habet Gavantus *in Rubr. Miſſ. par.* 1. *tit.* 15. *n.* 2. *fine*, vel ter in unaquaque hebdomada; videlicet feria ſecunda, quarta, & ſexta: ut ſcribunt Baronius ad an. Chr. 582. n. 11. & 12. & Raynaudus *to.* 7. *tract. de O. Paraſcev. prælud.* 3. §. 6. & *to.* 10. *tract. de Gladio ſect.* 3. §. 5. Qui quidem teſtantur, ex eo deinde uſu triduani qualibet hebdomada jejunii per tempus prædictum ante Natale Domini a S. Perpetuo inter ſuos Turonenſes inducto, manaſſe, ut plerique fidelium integrum Adventum non interpolatis, ſed continuis jejuniis obſervarent. Idem replicat Raynaudus eodem *tom.* 10. *tr. de Roſa c.* 7. ubi *de plurib. Quadrageſ.*

Noſtra tamen Ætate hoc jejunium diſparuit, inquit Fagundez ubi ſupra, & in deſuetudinem abiit, & quævis de eo lata lex eviguit, ait Raynaudus *to.* 10. *tr. de Gladio l. cit.* Sed ſolum apud Monachos, & Religioſos, nec quidem apud omnes manſit: qui partim ex propriis ſtatutis, partim uſu, & conſuetudine id retinuerunt; ita Azorius, & modo laudati Auctores *l. l. cit.* Et in ſpecie Fratres Ordinis Sancti Franciſci Minores jejunant a feſto omnium Sanctorum, uſque ad Nativitatem Domini, ex ſua ipſorum Regula, cujus meminit Caramuel *Theol. regul. par.* 6. *c.* 3. *num.* 1984. Fratres autem Tertii Ordinis S. Franciſci viventes in Communi, jejunant quotidie a feſto B. Martini uſque ad Nativitatem Domini ex ſua ipſorum Regula, cujus etiam mentionem facit idem Caramuel *par.* 7. *c.* 3. *n.* 2011.

An

An autem poſſit comedere carnes, in Dominicis occurrentibus in Adventu, qui vovit celebrare Adventum, pro ut communiter celebrant Monachi, ſeu multæ familiæ Regularium? Examinavimus tr. 1. lib. 2. in Dominica art. 9. qu. 8. n. 96.

CAPUT V.

De Prohibitione Solemnitatis Nuptiarum.

1 CONCILIUM Ilardenſe ſub annum quingenteſimum quadrageſimum apud Hiſpanos celebratum, ad Adventus Domini tempus religioſius obſervandum, præſcripſit intermitti celebrationem ſolemnem Nuptiarum per hoc temporis ſpatium, quod ab Adventu Domini ad Epiphaniam uſque decurrit: ſeu uſque ad mediam noctem incluſive diei Epiphaniæ; & refertur *C. Non oportet* 10. *diſt.* 4. *de pœnit.* Id confirmavit Tridentinum *ſeſſ.* 24. *c.* 10. *de Reform. Matrim.*

Prohibentur autem *Solemnitates* Nuptiarum, non ſimpliciter Nuptiæ jure communi: ut docent Canoniſtæ, ac Theologi & patebit ex infra dicendis. In his ſolemnitatibus primum occupat locum Benedictio ſolemnis, deinde ſolemnis Sponſæ in domum Sponſi traductio; ſolemniora convivia, & tripudia ec. Rit. Rom. infra allegandum; Buſemb. *lib.* 6. *par.* 3. *cap.* 3. *dub.* 1. §. *Dicitur* II. Dixi ſolemnitatem Nuptiarum; non ſimpliciter Nuptias prohiberi *jure communi:* quia, ut infra dicemus, alicubi Nuptiæ etiam ſimpliciter prohibentur temporibus, quibus ex jure communi ſola earum ſolemnitas interdicitur.

Calvinus, & Kemnitius apud Bellarminum *to.* 3. *de Matrim. c.* 1. reprehendunt Eccleſiam, eo, quod obſervet tempora Matrimonii contrahendi, ſicut & certas cæremonias, & benedictionem in eo contrahendo. Sed damnantur a Tridentino Can. 11 *Si quis dixerit: prohibitionem Solemnitatis Nuptiarum certis anni temporibus, ſuperſtitionem eſſe tyrannicam ab Ethnicorum ſuperſtitione profectam; aut Benedictiones, & alias Cæremonias, quibus Eccleſia in illis utitur, damnaverit; anathema ſit.* 2

Porro Adventus tempore interdicuntur ſolemnitates Nuptiarum, ad illud religioſius obſervandum, ut ſupra indicavimus; hoc etiam tempus eſſe aliqua ratione mœroris, notavimus c. 2. n. 10. Item tempus eſſe præparationis ad Nuptias Agni: hoc eſt ad Adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, obſervavimus c. 1. nu. 4. Alias quaſdam ex aliis rationes indicabimus l. 4. p. 1. c. 7. n. 1.

3 Prohibitionem Solemnitatis Nuptiarum pro tempore Adventus aliqui volunt, incipere a Veſperis in Sabbato. Diana vero cum pluribus aliis tenet, incipere ab ipſa Dominica prima; vide eumdem *to.* 2. *edit. coord. tr.* 6. *n.* 103. 104. Nec diſſentit, ſi ſit conſuetudo, La Cr. *l.* 6. *p.* 3. *q.* 64. §. 10. Hanc etiam poſteriorem ſententiam vocat communem, & ſequitur Bened. XIV. *to.* 1. *Notif.* 12. *n.* 9. eamdem eſſe fortaſſe probabiliorem exiſtimat Caval. *tom.* 4. *c.* 14. *Comment. in decr.* 22. *n.* 2.

4 Putant nonnulli, hoc præceptum non obligare ſub gravi; ſed oppoſitum tenendum eſt cum S. Anton. Sot. Sanch. Averſa, & aliis apud La-Cr. *l. cit.* §. 9. quia eſt de re gravi. Adde, hoc præceptum connume-

rari iter vulgaria Eccleſiæ præcepta, quæ omnia obligare ſub gravi, ſatis notum eſt. Putant quidem Sanch. Villal. Diana, & alii, non eſſe hanc gravem obligationem quoad abſtinendum a Conviviis, aliiſque lætitiæ ſignis: ſed contradicit cum Pont. & Averſa La-Cr. *cit.* §. 9. dicens: quod quamvis poſſit in hoc, ex levitate materiæ, tantum venialiter peccari, aut etiam nullo modo, ſi iſta ſint privata; attamen ſi adhibeantur publicæ pompæ, ſaltationes ec. peccari poſſet mortaliter: quia ſi ſecundum communem ſententiam, mortale eſt, tempore hoc vetito, ſacram Benedictionem ſolemniter adhibere (Vide Caval. *to.* 4. *c.* 15. *Comment. in decr.* 4. *n.* 3.) multo magis videri debet mortale, ſæculares uſurpare pompas publicas, cum hæ magis dedeceant tempus ſacrum, & avocent a Divinis. Porro prohibita *Solemnitas Nuptiarum* in Rituali Romano ſic explicatur: *ut Nuptias benedicere, Sponſam traducere, nuptialia celebrare convivia &c.*

5 Fagnanus *in Cap. Capellanus. De feriis a n.* 8. contendit, ſacris temporibus prohiberi etiam privatam deductionem Sponſæ ad domum Sponſi; itemque conſummationem Matrimonii. Sed contradicit communis, teſte La-Cr. §. 11. & quoad deductionem Sponſæ adeſt etiam declaratio S. C. C. ſtatim alleganda. Profecto Canones loquuntur de ſola benedictione nuptiali, ſolemni traductione Sponſæ, publicis lætitiis &c. Ex licita autem cohabitatione Sponſæ cum ſponſo facile eſt arguere licitum iiſdem fieri uſum Matrimonii. Vide Caval. *cit. c.* 14. *in Od.* 22. *n.* 5. *&* 6. *& c.* 15. *Comment. in decr.* 1. *n.* 6. Adde quod ſi novis Conjugatis prohiberetur Copula, etiam non liceret aliis Conjugatis. Hinc addit Pignatel. apud La-Cr. l. cit. declarationes, quæ adducuntur in contrarium, vel non eſſe authenticas, vel datas eſſe propter particulares conſuetudines in certis locis. Canones item antiquos, animadvertit Caval. *l. cit. n.* 6. accipiendos de mero conſilio.

Ex his infert Gobbat apud eumdem La-Cr. Parochum non agere contra ullum jus, ſi tempore Adventus, vel Quadrageſimæ aſſiſtat Matrimonio non ſolemni, dilatis Benedictionibus in aliud tempus; niſi obſtet alicubi conſuetudo: nam notat Taberna, teſte eodem La-Cr. & Caval. *in ſupra cit. d.* 22. *n.* 4. & ſignificatur in decreto, quod mox deſcribemus; jure particularium aliquarum Eccleſiarum non permitti in Adventu Matrimonium, etiam non ſolemnizatum, niſi adſit cauſa ſpecialis, & licentia Ordinarii: ſine qua erit omnino quidem validum, ſed illicitum. Habita autem facultate contrahendi Matrimonium, ibidem ſimul intelligitur permiſſa, atque adeo licita deductio Sponſæ in domum viri, attamen privata; ut declaravit S. C. Concilii in decreto tenoris ſequentis: *Nonnulli Parochi pro ſua, & Matrimonia contrahentium quiete, ſupplicant declarari: An conceſſa per Epiſcopum licentia contrahendi Matrimonium temporibus a Sacro Concilio vetitis in iis locis, in quibus diſpoſitio ejuſdem Concilii ad ipſum quoque Matrimonii contractum reperitur a conſuetudine extenſa; intelligatur permiſſa traductio Sponſæ, ſeu Uxoris ad domum viri? Reſp. affirmative, dummodo traductio fiat abſque ſolemnitate.* S. C. Concilii 10. Junii 1684.

1684. apud Cavaller. *tom.* 4. *cap.* 14. *d.* 22.

6 Parochus autem ſolemniter celebrans Matrimonium temporibus ab Eccleſia prohibitis, poteſt ab Epiſcopo puniri pœna arbitraria, ex declar. S. C. 3. Decembr. 1644. apud Pignatel. *to.* 1. *conſ.* 287.

7 Epiſcopum diſpenſare poſſe in præcepto certis temporibus prohibente ſolemnitatem Nuptiarum, aliqui negant; eo quod ſit lex Superioris. Alii affirmant, quia non reſervatur Papæ; idque admittunt Sanch. & Averſa apud La-Cr. §. 12. ex cauſa urgente, quæ rata erit, ſi non poſſit recurri ad Papam.

8 Denique quidam apud La Cr. *c. l.* 6. *p.* 3. *qu.* 67. §. 2. volunt; peccari mortaliter, ſi Matrimonium conſummetur ante Benedictionem Nuptiarum, & quidem ſecundum S. Anton. toties, quoties illud conſummabitur. Verum, quod non ſit mortale, convenire Doctores, teſtatur Caval. *to.* 4. *c.* 15. *Comment. in decr.* 1. *nu.* 7. Sed & Navarrus, Sanch. Pont. Laym., quos citat, & ſequitur La-Cr. tamquam probabilius ſuſtinent, in hoc nullum eſſe peccatum: quia nullibi invenitur præceptum, & Tridentinum *ſeſſ.* 24 *de reform. Matrim.* tantum *hortatur*; ut Conjuges ante Benedictionem in eadem domo non cohabitent.

9 An autem temporibus, quibus prohibentur ſolemnitates Nuptiarum, ſit licita Benedictio privata, ſeu non ſolemnis? accedente Epiſcopi diſpenſatione, licitam putat Cavalerius, qui videri poteſt *to.* 4. *c.* 15. *de Benedict. Nuptiar. Comment. in decr.* 4. *nu.* 4. *&* 5. Porro Benedictio Solemnis Nuptiarum ea eſt, quæ fit in Eccleſia, aut Oratorio etiam privato, in quo celebretur Miſſa, fiatque cum precibus in Rituali Romano præſcriptis & recitatis in Miſſa celebrata pro Sponſo, & Sponſa, ut in Miſſali, ubi de Miſſis votivis, ſiquidem non occurrat feſtum, vel Dominica, ſeu dies, in qua prohibentur Miſſæ votivæ; ſecus infra alterius occurrentis Miſſæ ſolemnia perſolutis. Vide Caval. *cit. c.* 15. *Comment. in decr.* 5. Contra vero privata creditur, eſſe ea, quæ extra Eccleſiam fieret, ſeu in loco, in quo non celebratur Miſſa, puta in domo Sponſi & extra Oratorium ad ſacrificium deputatum, cum precibus quidem ut in Rituali, ſed ſine Miſſa. Vide Caval. *in* §. *cit.* *d.* 4. *cit. n.* 4. *&* 5. Etſi vero temporibus, quibus interdicuntur Solemnitates nuptiarum, non valeant benedici Nuptiæ cum præſcripta Miſſa, poterit nihilominus coram Sponſis recenter Matrimonio junctis celebrari a Parocho Miſſa de die, eoſque in ea communicare licebit, dummodo non recitentur preces inſtitutæ pro hujuſcemodi benedictione; quemadmodum docet Benedictus XIV. *to.* 4. *notific.* 13. laudatus a Caval. *in cit. d.* 4. *fine*.

Denique notandum eſt: quod *Denunciationes Matrimonii fieri poſſunt temporibus prohibitis Nuptias celebrare*. Congr. Epiſc. & Regul. 18. Decembr. 1589. apud Caval. *to.* 4. *c.* 14. *d.* 23. At quid? ubi pro Matrimonio licentia Epiſcopalis exigitur: eritne itidem neceſſaria pro denunciationibus? Negat Caval. *l. cit. fine:* odioſa enim, inquit, lex iſta extendi non poteſt ad denunciationes, niſi etiam pro iſtis conſuetudo loci, aut Synodorum particularium diſpoſitio expreſſe procedat. 10

C A-

CAPUT VI.

De Reſidentia Epiſcoporum.

1 TRIDENTINUM *ſeſſ.* 23. *c.* 1. *de Reform.* indulget Epiſcopis, ex juſta cauſa ab eſſe a propriis Diœceſibus per trimeſtre, ſive continue, ſive interrupte intra annum; eos tamen ſimul admonet, ne per illius temporis ſpatium, Dominici Adventus &c. diebus ab Eccleſis ſuis Cathedralibus abſint: niſi forte Epiſcopalia munia in aliis Diœceſum ſuarum locis eos detineant. Vide dicenda in Appendice ad Calcem Diarii c. 11.

CAPUT VII.

De Indulgentiis.

In omnibus Dominicis Adventus habentur Indulgentiæ Stationum Romanarum; de his agemus l. 4. par. 1. c. 2. a n. 101. 1

CAPUT VIII.

De Eleemoſyna pro Locis Sanctis in Hieruſalem.

QUID notandum pro hujuſmodi eleemoſyna? Vide l. 4. par. 1. c. 9. 1

LIBRI PRIMI
PARS II.
NOTANDA IN ADVENTU SINGULIS HEBDOMADIS.
CAPUT I.
NOT. IN HEBDOMADA I. ADVENTUS.

ARTICULUS I.

Not. in Dominica I. Adventus.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS V.

Sect. I.	*De Horis Canonicis.*
Sect. II.	*De Miſſa.*
Sect. III.	*De Indulgentiis.*
Sect. IV.	*De Celebratione Nuptiarum.*
Sect. V.	*De Edicto Fidei*

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

1 QUÆNAM ſit Dom. I. Advent. diximus, & explicavimus hoc lib. 1. part. 1. cap. 1. numer. 2. Domin. I. Advent. eſt Major. prim. cl. & numquam omittitur. Vide dicta l. c. n. 1.

2 Si in Dom. I. Advent. occurrat feſtum S. Andreæ Apoſt. transfertur, quamvis ſit Titularis, in fer. 2. ſequentem (niſi fuerit impedicta feſto 9. lect.) & tunc in Veſp. omnia erunt de ſequenti feſto S. Andreæ, cum commem. præced. Dom. *rub.* Brev.

3 Dom. I. Advent. licet ſit pr. cl. habet tamen ritum ſemid. qui per ſe eſſe ſolet ritus cujuslibet Dom. excepta ſola Dom. in Albis. *Rubr. gen. Miſs. tit.* 2. *nu.* 1. Quapropter ſi occurrat feſtum ſimplex, fit utique de eo commem. Si ſequatur duplex, etiam minus Veſperæ erunt de ſeq. cum comm. Dom. præced. Quemadmodum in Veſperis Sabbati præc. fieri debuit de hac Dom. commemoratio ſola, ſi factum fuerit in eodem Sabbato de duplici; Vel a Capitulo fieri debuit de ea, ſi recitatum fuerit de ſemiduplici, ut notabimus, ubi de Sabbato poſt ultimam Dom. Pentec. ſeu ante Dom. I. Adv. Recole etiam dicta par. 1. c. 2. n. 1. verſu: *Nota hic.*

4 In lectionibus 1. Noct. Reſponſorium primum eſt ſingulare quia tres verſus habet: idque propter honorem magnæ feſtivitatis. Vid. *Amal. in Prologo Antiphonarii.* Tres verſus dicuntur nomine trium ordinum Sanctorum, qui ante Legem, in Lege, & poſt Legem Salvatorem expectarunt; quibus additur *Gloria Patri* in laudem SS. Trinitatis, quæ tandem miſit eum in Terras. Repetitur demum a capite Reſponſorium, ad denotandam plenam notitiam, perfectionemque Sanctorum, & quia iterum Adventus Domini a fidelibus expectatur. Repetitio fit a remotiori, deinde a minus remoto, & demum a propinquiori:

quia

quia Patres primi temporis remotiores fuerunt ab Adventu Chriſti, quam recentiores. Honor. *in Gemma lib.* 3.*c.* 1. Durand. *in Rat. offic. l.* 6. *c.* 3.*n.* 4. Gavant. *in Rub. Brev. ſect.* 5.*c.* 13.*n.* 5. & *ſect.* 6. *c.* 1. *n.* 2. Hujuſmodi autem Reſponſorium dicitur ex perſona Joannis Baptiſtæ. Amalar. *in Antiphonar. c.* 8. Honor. *l. cit.* Durand. *l. cit. c.* 2.

SECTIO II.

De Miſſa.

5 IN Miſſa non dicitur *Gloria*. 2. or. de S. Maria. 3. *Eccleſiæ*: vel pro Papa. Si occurrat feſtum ſimplex, fit de eo comm. 2. loc. & tunc 3. or. erit de B. V. quæ terminatur: *Per eumdem Dominum*. Similiter orat. ſecr. & Poſtcommun. Dicitur *Credo*, Præf. de Trinitate. In fine Miſſæ *Benedicamus Domino*. Color. Param. violac.

6 Licet in Eccleſiis, ubi Titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus populi, ad celebrandum feſtum, quod transferri debet, poſſint cantari duæ Miſſæ, una de die, alia de feſto; excipitur tamen Dom. I. Advent. *Rub. gen. Miſs. tit.* 6. quemadmodum & nonnulli alii dies ſuis locis notati, & notandi. Miſſam de feſto in prædicto caſu in hac Dom. conceſſit Caſtaldus; qui tamen ſcripſit, antequam circa primam Dom. Adventus fieret præfata diſpoſitio in noviſſima recognitione Rubricarum; ut animadvertit Meratus *in Gavant. par.* 4. *tit.* 1. *n.* 5. *initio*.

7 Quando dies Anniverſaria Conſecrationis Epiſcopi incidit in Dom. primæ claſſis, non poteſt diei Miſſa de dicta conſecratione, ſed in ipſa Miſſa de die fieri debet Collecta pro Epiſcopo ſub unica concluſione. Confer dicta tr. 1. lib. 3. 25. Dec. n. 101.

Poſſe tamen celebrari ſolemnem Miſſam *de Requiem* præſente cadavere; arguo ex decretis S. C. quæ dabimus in Append. ad calcem Diarii c. 8. ubi de die obitus, & depoſitione Defunctorum n. 22.

SECTIO III.

De Indulgentiis.

IN Dominica I. Adventus habentur indulgentiæ Stationum. Celebratur autem hodierna *Statio ad Sanctam Mariam Majorem*. 8

De Stationibus agemus l. 4. par. 1. c. 2. art. 1. ſect. 1. ſubſect. 4. §. 2. a n. 101.

SECTIO IV.

De Celebratione Nuptiarum.

A Dom. I. Adv. incluſive prohibentur ſolemnitates celebrationis Nuptiarum. Videantur dicta par. 1. hujus l. 1. c. 5. 9

SECTIO V.

De Edicto Fidei.

SINGULIS annis in Dom. I. Adv. ſicut & in Dom. I. Quadrageſimæ promulgandum eſt Romæ, & in vicinis Civitatibus, fidei edictum, univerſalis Inquiſitionis Romanæ, ex Decreto ejuſdem S. Inquiſitionis. 10. Martii 1677. De hujuſmodi edicto agemus, & plura ad illud pertinentia tractabimus in Dom. I. Quadrageſimæ. 10

A R-

ARTICULUS II.

Not. Feria II. poſt Dom. I. Adventus.

SECTIO UN.

De Lectione Decretorum Pontificum.

11 FERIA 2. poſt Dom. I. Adventus legantur in publica Menſa Decreta Urbani VIII. & Innocentii XII. *de celebratione Miſſarum* incip. *Nuper a Congregatione*. Quæ decreta videri poſſunt apud La-Croix *lib. 6. part. 2. q. 8.* Caval. *to. 5. c. 28.* & paſſim afferuntur a Moraliſtis.

Nota hic; hujuſmodi Decreta preſcribi, ut legantur *in Menſa:* nihilominus non opus eſſe, ut omnino legantur in Menſa; ſed ſufficere, ſi legantur alio loco, dummodo coram Communitate convocata legantur: docuimus tr. 1. lib. 1. c. 7. de Bened. Menſæ fine.

ARTICULUS III.

Not. in Sabbato poſt Dom. I. Adventus.

SECTIO UN.

De Horis Canonicis.

12 SI Sabbatum poſt Dom. I. Advent. venerit 9. Decembr. ubi fit octava S. Xaverii, notentur ea, quæ fieri debere in hoc caſu, diximus tr. 1. l. 3. 9. Decembr. art. 1. n 4.

CAPUT II.

Not. in Hebd. II. Adventus.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. II. Adventus.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS III.

Sect. I. *De Horis Canonicis.*
Sect. II. *De Miſſa.*
Sect. III. *De Indulgentiis.*

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

DOM. I. Adv. ſemidup. 2. cl. cedit quidem feſtis 1. cl. ut Principalis Patroni, Tituli *Eccleſiæ*, & ejuſdem Dedicationis 1. cl. quæ ad afficiendum populum maxime valent; ut obſervat Gavantus *in Rub. Brev. ſect. 3. c. 5. nu. 11.* Aliis autem minime cedit Sanctorum feſtis duplicibus 2. cl. quæ in ipſam incidentia, transferuntur in primam diem non impeditam. Vid. dicta 1. par. c. 2. n. 1. De Simplici vero fit tantum commemoratio ſine nona lect. de eo. Vid. dicta l. cit. n. 2. 1

Si Dominica 2. Adv. occurrerit die 8. Decemb. videantur dicta tr. 1. 8. Decembr. art. 1. ſect. 2. n. 9.

Occurrente Dom. 2. Adv. die 7. 2 Decembr. tunc in 1. Veſperis Conceptionis prius debet fieri commemoratio de die Octava Sancti, deinde de Dominica. Vide dicta 7. Decemb. art. 2. n. 3.

Si Dom. 2. Advent. venerit 10. Decembr. ubi fit octava S. Xaverii videantur dicta 9. & 10. Decembr.

Si Dom. 2. Adv. occurrerit infra 3

E octa-

octavam Concept. etiam in hymnis *Creator alme* : & *En clara vox* ; in fine dicitur *Jeſu tibi ſit gloria* , *qui natus es de Virgine* , & ad Prim. in ℟. br. dicitur , *Qui natus es* . Vide dicenda in Sabb. poſt. Dom. 28. Pentec. , ſeu ante Dom. I. Adv. n. 4. & dicta 8. Decembr. art. 2. ſect. 1. n. 17. & 18.

SECTIO II.

De Miſſa.

4 In Dom. 2. Adv. param. color violac., etiamſi occurrat infra Octavam Conceptionis , aut infra aliam Octavam . *Rub. gen. Miſs. tit.* 18. *n.* 2. *fine* , & *n.* 3. in quo caſu tamen octava non amittit privilegium , ut dicantur duæ tantum Orationes , una de Dominica , altera de die infra Octavum , juxta Rub. *de orat. & commem.* niſi facienda ſit commemoratio S. Simplicis , tunc enim dicetur utique tertia oratio de eo .

SECTIO III.

De Indulgentiis.

5 Hodie habentur Indulgentiæ Stationum . Celebratur autem hodierna *Statio ad Sanctam Crucem in Jeruſalem* . De Stationibus agemus hoc tr. 2. lib. 4. par. 1. c. 2. art. 1. ſect. 1. ſubſ. 4. §. 2. a n. 101.

ARTICULUS II.

Not. in Sabb. poſt Dom. II. Advent.

SECTIO UN.

De Horis Canonicis.

Si Dom. 2. Adv. venerit 8. Dec. in feſto Concept. & conſequenter hodie fuerit dies 14. Dec. quid faciendum in Veſperis hujus Sabbati? notavimus tr. 1. 14. Decemb. art. 1. n. 4. Videatur etiam Rubr. Brev. Rom. deſcripta ſub die 14. Decemb. fine. 6

CAPUT III.

Not. in Hebd. III. Adventus.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. III. Adventus.

Explicantur Sectionibus III.

Sect. I. *De Horis Canonicis.*
Sect. II. *De Miſſa.*
Sect. III. *De Indulgentiis.*

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

Dom. III. Adv. ſemid. 2. cl. non cedit niſi feſtis 1. cl. ut Patroni principalis , vel tituli Eccleſiæ , vel Dedicationis ejuſdem 1. cl. Vide dicta cap. ſup. n. 1. De Simplici fit ſola commemoratio ſine nona lect. de eo Vide dicta l. c. n. 2. Vocatur Dominica *Gaudete* : quia hujus Dominicæ Introitus Miſſæ incipit *Gaudete in Domino*; ſicut Dominica quarta Quadrageſimæ vocatur *Dominica* 1

lætare; ex ſimili ratione, ut ibi notabimus ex Gavanto *in Rub. Brev. ſect. 6. c. 11. n.* 10. Uſus enim eſt denominandi Dominicas ſaltem principales ab initiali voce divinæ Liturgiæ, hoc eſt Miſſæ (Vide Merat. *t.* 1. *in Gavant. part.* 1. *in præliminar. n.* 7.) ut notat Raynaud. *to.* 10. *tr. de Roſa c.* 1. *initio*.

In Dom. 3. Adv. mutatur Invitatorium, quod concordat cum Capitulo Veſperarum, & Laudum, ad excitandos magis animos erga Chriſtum venientem; ut notavit Gavantus *in Rubr. Brev. ſect. 6. c. 1. n.* 4.

2 Si Dom. 3. Adv. venerit 13. Decembr. transfertur feſtum S. Luciæ in feriam ſecundam ſequentem niſi fuerit impedita feſto 9. lect. *Rub. Brev.* 13. *Decembr.* Quod autem non eſt intelligendum pro locis, ubi celebretur ſub ritu duplici 1. cl. uti ſi Patrona ſit principalis; ut initio dictum eſt in genere. Vide etiam dicta 1. par. hujus lib. 1. c. 2. n. 1.

Si Dom. 3. Adv. inciderit in diem octavam Concept. videantur dicta 15. Decembr. n. 351. Dominica 3. Adv. venerit 17. Decemb. Antiphonæ feriales ad laud. & per Hor. dicendæ in officio feriali in ſex feriis ante Vigiliam Nat. incipiunt fer. 2. ſequenti. Vide dicta 17. Decembr. n. 1.

SECTIO II.

De Miſſa.

3 Ab initio Introitus Miſſæ hujus Dominica hæc vocatur *Dominica Gaudete*: ut ſect. præced. notavimus; & cum lætitiam denotet, Dalmaticis ornati Miniſtri ad ſolemnem Miſſam procedunt: ut indicat *Rub. gen. Miſſ. tit.* 19. *n.* 6. & obſervat Gavantus; vide dicta 1. par. hujus lib. 1. c. 3. n. 6. Quo etiam capite n. 15. oſtendimus, Dalmaticas ſignificare ſolemnitatem, & lætitiam. Itaque Diaconus, & Subdiaconus utuntur Dalmatica, & Tunicella, quando Sacerdoti Miniſtrant in Miſſa ſolemni Dom. 3. Adv., etiam in Eccleſiis Minoribus: & ſimiliter in Feriis ejuſdem hebdomadæ, in quibus Miſſa hujus Dominicæ repetatur. *Rubr. cit. Vid. Merat. to.* 1. *in Gav. par.* 4. *tit.* 1. *n.* 4.

Meratus *t.* 1. *par.* 1. *tit.* 18. *n.* 1. tradit ex Gerlaco Vinitore, & Cæremoniali Epiſc. *l.* 2. *c.* 13. §. 11. in Dominic. 3. Adven. & 4. Quadrageſimæ paramenta ſolemniora adhibenda tam pro Celebrante, quam pro Altari, eſſe oportere coloris roſacei: & in ejus defectu, coloris violacei. Sed Rubrica Miſſ. *tit.* 18. *de colorib. ſacror. parament. n.* 5. ubi de colore violaceo, præſcribens colorem violaceum in Adventu, Dominicam hanc tertiam non excipit. Similiter colorem eumdem aſſignans tempori Quadrageſimali, inter exceptas ibi dies, functiones que ſacras non adſcribit Dominicam quartam ſive Miſſam illius. Deinde inter illos quinque colores, quibus, Rubrica teſte, Romana uti conſuevit Eccleſia, roſaceus non apparet. Denique idem Merat. *par.* 4. *tit.* 6. *n.* 25. ubi de Dom. 4. Quadrageſimæ, colorem aſſignat tantummodo violaceum: *Domicica* 4. *Quadrageſimæ pulſantur Organa, & in Miſſa ſolemni Miniſtri ſacri utuntur Dalmatica, & Tunicella coloris violacei.* Ita ille. Quapropter Cæremoniale Epiſcoporum poſſe intelligi puto de Violaceo clariori, & quodammodo tendente ad rubrum: ad cujus differentiam in fine ejuſdem paragraphi monet, ornamenta Dominicæ IV. ſi

incidat in Vigiliam Nativitatis, eſſe debere coloris abſolute violacei.

5 In Dom. 3. Adv. occurrente in novem diebus ante Nativitatem, ubi adeſt antiquiſſima conſuetudo, vel concurſus, poteſt decantari unica Miſſa Votiva de B. M. V. non omiſſa tamen Conventuali ſtatuta hora decantanda: ex Decr. S. C. R. relato a nobis tr. 1. 16. Decemb. art. 2.

Si Dom. 3. Adv. venerit in die oct. Conceptionis, videantur dicta 15. Decembr. n. 7.

SECTIO III.

De Indulgentiis.

6 HODIE habentur Indulgentiæ Stationum. Celebratur autem hodierna *Statio ad Sanctum Petrum*. De Stationibus agemus hoc Tract. 2. lib. 4. par. 1. c. 2. a n. 101.

ARTICULUS II.

Not. Fer. IV. poſt Dom. III. Adventus, Quæ eſt Fer. IV. Quat. temp. hyemal.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS IV.

Sect. I. *De Horis Canonicis.*
Sect. II. *De Miſſa, & Collatione Ordinum.*
Sect. III. *De Indulgentiis.*
Sect. IV. *Not. Pro Jejun. Quatuor Temporum.*

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

7 QUID notandum pro Hor. Canon. in Feriis Quatuor Temporum? Expoſuimus tr. 1. in Septembr. par. 1. n. 13. ubi egimus de Quat. Temp. in genere. Hic autem in ſpecie notanda indicantur ſequentia. Si Feria IV. Quatuor Tempor. Adventus occurrat infra oct. Concept. B. V. vid. dicta 8. Decembr. n. 19. & ejuſdem menſis die 14. n. 3. Si vero occurrat in die octava Concept. vid. dicta 15. Decemb. n. 2.

Si Feſtum Expectationis Partus B. V. venerit in fer. IV. Quatuor Temp. ubi recitatur officium de hujuſmodi feſto; videantur dicta 18. Decembr. n. 4.

SECTIO II.

De Miſſa, & Collatione Ordinum.

8 QUID notandum pro Miſſa in Feriis Quatuor Temporum? expoſuimus in Septembr. par. 1. a n. 14. & tro Miſſa Feriæ IV. quid ſpecialius notandum? diximus ibi n. 24. Hic autem in ſpecie notanda indicantur, quæ ſequuntur.

Si Feria IV. Quatuor Temp. Advent. occurrat infra oct. Concept. pro Miſſa vid. dicta 8. Decemb. n. 22. & ejuſdem menſis die 14. n. 6. & 7. Si vero incidat in diem octavam Conceptionis; Vid. dicta 15. Decembr. num. 6.

Si feſtum Expectationis partus B. V. venerit in Feria IV. Quat. Temp. ubi dicitur Miſſa de hujuſmodi feſto; vid. dicta 18. Decembr. n. 6.

Si Vigilia S. Thomæ Ap. incidat in Fer. Quat. Temp. vid. dicta 20. Decembr. n. 6. & 8.

Quid notandum pro collatione ordinum? Vid. in Sept. par. 1. n. 37.

SE-

SECTIO III.

De Indulgentiis.

9 IN Feriis Quatuor Temporum habentur Indulgentiæ Stationum. Celebratur autem hodierna *Statio ad Sanctam Mariam Majorem*. Cujus diſpoſitionis congruentiam aſſignat Rupertus *de divin. offic. lib.* 3. *c.* 6. dicens; quod *Prima jejunii die, ſcilicet quarta feria ſtatio ad Sanctam Mariam convenienter ordinata eſt. Ad illud enim Templum Domini, ad illud Sacrarium Spiritus Sancti, in quo totus Deus novem menſibus habitans, dignatus eſt, homo fieri, totum ejus diei officium proprie pertinere, manifeſtum eſt*. De ſtationibus agemus hoc tr. 2. lib. 4. par. 4. c. 2. a n. 101.

SECTIO IV.

Not. pro jejunio Quat. Temporum.

10 JEJUNIUM Quatuor Temporum pro tempore hyemali celebratur in hac hebdommada tertia Adventus; hac ſcilicet feria quarta, & feria ſexta ac Sabbato ſequentibus. Hoc autem jejunium congrua diſpoſitione iſto eſt tempore conſtitutum, *quando*, (ait Rabanus de Inſtit. Cleric. lib. 2. c. 23.) *venturi Salvatoris ſalubris in ſacris lectionibus prædicatur Adventus, ut fideles quique hac Religione inſtructi & medicamine Sanctarum orationum ſimul cum ſacro jejunio confirmati, Nativitatem Redemptoris læti expectent*. De jejuniis Quat. Temp. fuſe diſputavimus tr. 1. in Septembr. p. 1. a n. 44. Vide ibidem n. 45. cur hoc Jejunium hyemale dictum ſit Jejunium Decimi Menſis.

ARTICULUS III.

Not. Fer. VI. poſt Dom. III. Adventus, Quæ eſt Fer. VI. Quat. Tempor. hyemal.

SECTIO UN.

De Horis Canonicis Miſſa &c.

QUID in hac feria ratione Quatuor Temporum ſit notandum pro Horis Canonicis? Vid. tr. 1. in Sept. par. 2. n. 13. Quid pro Miſſa? ibidem a n. 14. & pro Miſſa Fer. VI. quid ſpecialius notandum? ibi n. 25. Quid pro collatoine Ordinum: ibidem n. 38. Pro Indulgent. ibidem n. 43. Pro Jejunio: ibidem a n. 44. 11

ARTICULUS IV.

Not. in Sabbato poſt Dom. III. Adv. Quod eſt Sabbat. Quat. Tempor. hyemal.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS III.

Sect. I. *De Horis Canon. Miſſ. & Indulgent.*
Sect. II. *De Collatione Ordinum.*
Sect. III. *De Jejunio.*

SECTIO I.

De Horis Canon. Miſſ. & Indulgent.

QUID in hoc Sabbato ratione Quatuor Temporum notandum ſit pro Horis Canonicis? Vid. tr. 1. in Septembr. par. 1. n. 13. Quid pro Miſſa? ibidem a n. 14. & pro Miſſa Sabbati, quid ſpecialius notandum? ibi a n. 26. Quid pro Indulgentiis? ibid. n. 43. 12

Si S. Thomas Apoſtolus ſit Titulus Eccleſiæ, & occurrat in Dominica

nica IV. Adventus, quid notandum in hoc Sabbato? vid. 20. Decembr. n. 3.

Si Vigilia Nativitatis venerit in Domin. IV. Adventus, quid in eo caſu notandum? vide 23. Decembr. n. 2.

S E C T I O II.

De Collatione Ordinum.

13 AUCTOR Micrologi c. 28. verſus finem tradit ex Pontificali Romano: *Omnes Apoſtolicos a Beato Petro uſque ad Simplicium Papam ordinationes tantum in jejunio Decembris celebraſſe*. Utique in hoc Sabbato tantum ordinationes habitæ ſunt prioribus Eccleſiæ Sæculis, quibus ingenti opus non erat ſacrorum copia Miniſtrorum; confer dicta tr. 1. in Septemb. par. 1. n. 39. hinc frequens illa in Actibus Summorum Pontificum clauſula: *Ordinavit Menſe Decembri Romæ Presbyteros ec.* vel: *More Majorum, menſe Decembri creatis Presbyteris ec.* Fuiſſe autem selectum tempus propinquum Nativitati Dominicæ, *nullam ob aliam cauſam, niſi intimando, conjungendos propinquius Chriſti corpori, qui per ſacrum miniſterium provebuntur* ait Amalar. *de Eccl. Offic. lib.* 2. *c.* 1. Ratio altera videri poteſt apud Meratum *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 1. *n.* 7. Alia notanda pro collatione Ordinum videantur in Septembr. l. c. & num. ſequentib.

S E C T I O III.

De Jejunio.

CONCILIUM Salegunſtanum apud 14
Gratianum C. *de jejunio* 3. *diſt.* 76. monet: ut jejunium decimi menſis, hoc eſt jejunium Quatuor Temporum hyemalium celebretur in Sabbato præcedente Vigiliam Natalis: ne jejunium hoc concurrat cum Vigiliæ, ideſt cum jejunio Vigiliæ Natalis; non enim voluerat illud Concilium, concurriſſe in unum diem duo jejunia, jejunium videlicet Vigiliæ, & jejunium Quatuor Temporum, ut eodem cit. c. dicitur. Vid. dicta tr. 1. in Septembr. par. 1. ſect. 5. ubi de jejunio Quatuor Temporum n. 46. Verum jam poſſunt concurrere in unum diem duo jejunia, & caſus non eſt rarus. Deinde in re præſenti quando Natalis occurrit feria 2. etſi ejus Vigiliæ officium, & Miſſa celebretur in ipſa immediate præcedenti Dominica, ob rationem aſſignatam tr. 1. 24. Decembr. art. 1. n. 3. At jejunium Vigiliæ anticipatur de more, in Sabbato præcedenti, quamvis in eo occurrat jejunium decimi Menſis, ſeu unum ex tribus jejuniis Quatuor Temporum hyemalium; ut etiam notavimus in Septembri loco cit. An autem concurrente jejunio Quatuor Temporum cum jejunio Vigiliæ Natalis Domini poſſit ſumi collatio pinguior, ut permittitur in Vigilia Natalis? examinavimus 24. Decembr. art. 6. qu. 6.

CAPUT IV.

Not. in Hebdomada IV. Adventus.

1 HEBDOMADA IV. Adventus utpote proxima Nativitati, dicta olim fuit hebdomada Præparationis. Honor. in *Gemma l. 3. c. 4.* Durand. *in Rational. lib. 6. c. 11. nu. 6.* initio, quid videlicet, in ea fit ſpecialis præparatio ad Natale Domini. Vid. dicta 17. Decembr. n. 9.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. IV. Adventus.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS III.

Sect. I. *De Horis Canonicis.*
Sect. II. *De Miſſa.*
Sect. III. *De Indulgentiis.*

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

2 DOM. IV. Adventus ſemid. 2. cl. non cedit feſtis niſi 1. cl. ut Patroni principalis, vel Tituli Eccleſiæ, aut ejuſdem dedicationis 1. cl. Vid. dict. hujus l. 1. par. 1. c. 2. nu. 1. De Simplici fit commemoratio ſine nona lectione de eo, Vid. dicta l. c. n. 2.

In Dom. IV. Adventus Antiphona ad *Benedictus: Ave Maria*, ut in Breviar. hic. Si autem inciderit in diem 21. Decembr. Antiphona erit: *Nolite timere*; et ſi venerit in diem immediate præcedentem Nativitatis Vigiliam ſcilicet 23. Decembr. erit: *Ecce completa*. Rub. Brev.

3 Si Dom. IV. Adventus occurrerit in ipſa Vigilia Nat. ſcilicet 24. Decembris, fit de Vigilia cum commemoratione Dominicæ 4. Adventus. Quomodo autem ordinandum ſit officium Vigiliæ in hoc caſu? patet in Breviario Romano, in Rubr. ante Vigil. Nat. Solum hic obſervamus cum Gavanto, quod & notavimus 24. Decemb. art. 1. n. 3. hoc eſt, non legi in dicto caſu in officio Evangelium Dominicæ IV. quod ideo ſaltem in præcedenti Sabbato lectum eſt.

Antiphonæ de Laudibus Dominicæ IV, quando ipſa occurrit in Vigilia Nat. recitantur in Sabbato præcedenti, quarta prætermiſſa; hæc autem quarta Antiphona reſumitur quarto etiam loco in Vigilia Nativitatis, ne officium Dominicæ ullo modo pereat, ut notavimus 23. Decembr. art. 1. n. 2.

Si Feria 2. poſt Dom. IV. Adventus ſit Vigilia Nativit., an hodie recitari debeant Veſperæ Defunctorum? examinavimus hujus l. 1. par. 1. c. 2. q. 2. nu. 17.

SECTIO II.

De Miſſa.

GAVANT. *in Rubr. Miſſ. par. 4. tit. 2. n. 6. & 7.* hæc notat: *Dominica poſt Sabbatum ordinationis dicebatur vacans, ex Microl. c. 29. quia putabatur ejuſdem officii cum Sabbato, & deinde Evangelium hujus Dominicæ quartæ eſt idem ac præcedentis Sabbati; quod in temporibus etiam, quæ accidunt in vere, prima hebdomada Quadrageſimæ obſervabis. Sabbato enim, & Dominica ſequenti legitur idem Evangelium Transfigurationis Domini; in aliis autem Quatuor Temporibus Dominicæ ſequentes alia ratione ſe habent; nam in Pentecoſte variatur Evangelium propter* 4

octa-

octavam illius. In Autumno item ob inſtabilitatem Quatuor Temporum, quæ non habent certam hebdomadam, ut ſuo loco videbimus. Introitus, Graduale, & Communio Dominicæ IV. Adventus ſumpta ſunt de feria quarta præcedenti; ne ſcilicet officium Dominicæ proprium contingat eo anno omitti, quo Vigilia Nativitatis Domini in Dominica quarta occurrit, inde vacans Dominica, ideſt, ſine officio proprio fuit olim appellata. Hæc Gavantus; videri etiam poſſunt Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 2. *n.* 7. Rupertus Ab. *de divin. offic. l.* 3. *c.* 11. & Durand. *in Rational. divin. offic. l.* 6. *c.* 11. *n.* 7. qui & alias rationes aſſignat, cur hæc Dominica vacans olim fuerit nuncupata, & idem Evangelium legatur, quod in Sabbato præcedenti?

5 In Dominica IV. Adventus, ubi adeſt antiquiſſima conſuetudo, vel concurſus, poteſt decantari unica Miſſa Votiva ſolemnis B. V. M. non omiſſa tamen Conventuali Statuta hora decantanda: Ex Decr. S. C. R. Vid. dicta 16. Decemb. art. 2. n. 5.

6 Quando in Dominica IV. Adventus occurrit Vigilia Nativit. Domini; Miſſa eſt de Vigilia Nativitatis; & non legitur in fine Evangelium Domini, quia nec in officio lectum eſt. Rub. gener. Miſſ. *tit.* 13. *n.* 2. Vid. dicta 24. Decembr. art. 2. n. 7. Videri etiam poſſunt dicta hoc lib. 1. par. 1. c. 3. n. 3.

SECTIO III.

De Indulgentiis.

7 HODIE habentur Indulgentiæ Stationum. Celebratur autem hodierna *Statio ad Sanctos duodecim Apoſtolos*. De ſtationibus agemus lib. 4. par. 1. c. 2. art. 1. ſect. 1. ſubſect. 4. §. 2. a n. 101.

ARTICULUS II.

Not. Fer. II. poſt Dom. IV. Adventus.

SECTIO UN.

De Hor. Canon. & Officio Defunct.

UBI feſtum S. Thomæ habeat ritum duplicem 1. cl. quid pro horis canonicis notandum in hac feria, quando feſtum prædictum occurrit in Dominica quarta Adventus? Vide 20. Dec. art. 1. n. 3. 8

Si Feria 2. poſt. Dom. IV. Adventus fuerit Vigilia Nativitatis, an ſit recitandum officium defunctorum? examinavimus hujus l. 1. par. 1. c. 2. qu. 2. n. 17.

ARTICULUS III.

Not. in Sabbato poſt Dom. IV. Advent.

SI Hebdomada IV. Adventus ſe extendat uſque ad Sabbatum, tunc Sabbatum erit Vigilia Nativitatis. In Vigilia autem Nat. occurrente in Sabbato, quid ſpecialiter notandum ſit? Vid. tr. 1. 24. Decembr. art. 1. n. 3. fine. 9

CAPUT V.

Not. in Vigilia Nativ. Dom.

NE repetamus quæ de Vigilia Nativitatis Domini dicta ſunt tr. 1. 23., & 24. Decembr. ideo pro notandis in dicta Vigilia remittimus ad præfatas dies.

L I-

TRACTATUS SECUNDI LIBER SECUNDUS.

SACRI RITUS INSTITUTIONES ECCLESIASTICÆ, MORUMQUE DISCIPLINA

NOT. A NATIVITATE DOM. USQ. AD SEPTUAGESIMAM.

AB Adventus tempore gradum jam faciamus ad tempus Natalitium, quod, ut ſignificavimus in proœmio, fluit a Nativitate Domini uſque ad Epiphaniam: & quaſi Natalitium, quod reputari poſſunt hebdomadæ ſequentes Epiphaniam uſque ad Septuageſimam.

CAPUT I.

Not. in genere a Nativitate Domini uſque ad Octavam Epiphaniæ.

De Horis Canonicis, & Miſſa.

1 A NATIVITATE Domini uſque ad Octavam Epiphaniæ dantur Dominicæ quæ dicuntur vacantes, eo quod de illis in officio diei nihil omnino agatur. Non ſemper autem ſunt vacantes Dominicæ occurrentes infra tempus, quod fluit a Nativitate Domini, uſque ad Octavam Epiphaniæ. Porro ſi dies trigeſima prima Decembris ſit Dominica, tunc prædicto tempore occurrunt Dominicæ duæ, quarum neutra vacat, ſed eadem die, qua occurrit Dominica, fit reſpective officium, vel commemoratio ejus: nimirum die 31. in officio S. Silveſtri fit commemoratio Dominicæ infra Octavam Nativit. Altera vero Dominica in dicto caſu occurret die ſeptima Januarii, & erit infra Octavam Epiphaniæ, fietque officium de ea, eadem die, qua occurret. Igitur non ſemper vacant Dominicæ occurrentes a Nativitate Domini ad Octavam Epiphaniæ. Sed vacant ſæpius: nimirum quando incidant in feſta Nativit. Domini, S. Stephani, S. Joannis Apoſtoli, SS. Innocentium, ac in horum feſtorum omnium dies octavas, nec non in vigiliam, feſtum & diem octavam Epiphaniæ: de his enim omnibus nihil omnino agitur in officio diei. Excepta vero Dominica, quæ occurrat in diebus a Circumciſione incluſive ad diem Epiphaniæ incluſive, quæ Dominica vacat omnino, & plane omittitur; cæteræ autem non ita vacant, ut earumdem officium minime transferatur, ſive anticipando, ſive poſtponendo. Porro de Dominica occurrente in die Nativitatis, vel S. Stephani, vel S. Joannis, vel SS. Innocentium fit officium die 30. Decembr. De Dominica vero occurrente in die octava Epiphaniæ fit in Sabbato præcedenti.

ti. Sola igitur Dominica illa, quæ a die Circumciſionis ad diem Epiphaniæ incluſive poteſt occurrere, nullum habet officium in Breviario; ita ut nec de ea aliquid in proprio die agendum ſit, nec altero die poſſit ejuſdem officium reſumi. Sed & hujuſmodi quoque Dominica, ſi cui videatur, nec præteriri dicendo: vigiliam Epiphaniæ nomine tenus eſſe vigiliam, re autem vera Dominicam, in eaque poni officium Dominicæ, quæ in præfatis diebus poteſt occurrere: non reprobat Guyetus, teſte Cavalerio, qui nec refragatur *to.* 2. *comment. in decr. S. R. C. c.* 14. *comment. in decr.* 4. *nu.* 2. imo & ſe ita credere affirmat ſequenti cap. 15. n. 18. Profecto illa Vigilia ſemiduplici ritu donatur inſtar Dominicæ, cujus & gaudet privilegiis ſuo loco explicatis, ac feſtivum habet officium. Videantur dicta in ea Vigilia 5. Januarii. Hujuſmodi Dominicarum tempore prædicto vacantium congruentias aliquas adducit Gavantus *in Rubr. Brev. ſect.* 3. *c.* 5. *n.* 4. quas tamen reſpuit, refellitque Caval. *comm. in cit. d.* 4. *n.* 3.

Si in Dominica vacante occurrat alicubi feſtum ſimplex habens lectionem propriam deberet in officio occurrente, nec reſpuente commemorationem ſimplicis, ea legi pro nona lectione: quoniam non adeſſet homilia Dominicæ a qua excluderetur. Caval. *to.* 2. *c.* 34. *comment. in decr.* 23. *n.* 3.

2 A die decima ſeptima Decembris incluſive uſque ad Epiphaniam, ſeu uſque ad diem 6. Januarii incluſive excluduntur Octavæ, quæ non habeantur in Breviario. Rationem pro tempore ante Nativitatem dedimus 17. Decembr. n. 11. ex Gavanto. Hic autem ex eodem, cit. ſect. 3. c. 8. n. 8. damus aliam pro tempore poſt Nativitatem: ea vero eſt, quia poſt Nativitatem dies omnes, & ſinguli proprium habent officium, nullo modo omittendum; fieri vero de octava, quæ non habetur in Breviario, ſolam commemorationem, viſum eſt modicum quid, quod congruentius omitti poteſt in gratiam Infantiæ Chriſti, & Octavarum, non ſine myſterio comitantium Nativitatem Chriſti, ex S. Bernardo; ita Gavantus: quam rationem approbat Caval. *to.* 2. *c.* 19. *n.* 6. qui n. 3. dixerat, addi poſſe, quod cum diebus prædictis Eccleſia in celebrandis Octavis ſit ſatis occupata, ulterius gravanda non erat.

CAPUT II.

Notanda a Nativitate Domini uſque ad octavam Epiphaniæ ſingulis diebus.

Quæ notanda ſint ſingulis diebus a Nativitate Domini uſque ad octavam Epiphaniæ, expoſuimus tr. 1. lib. 3. a die 24. Decembr. uſque ad diem 13. Januarii. Videantur ergo ſub iis notata diebus. 1

Hic ſolum eſt opportunum, aliqua notare de conſuetudine illa, quam habent Galli, & Belgæ, comedendi carnes in omnibus Sabbatis a Nativitate Domini uſque ad Purificationem Beatæ Virginis. In quibusdam igitur Galliæ Diœceſibus & apud Belgas a Nativitate Domini uſque ad Purificationem B. Virginis, in omnibus Sabbatis comedendi carnes conſuetudo eſt approbata; quia introducta, aut certe retenta videntibus Prælatis, immo nunc ſe-

ſequentibus illam; in aliquibus etiam Gallicanorum Præſulum Synodis memorata, & minime reprobata, ut ex Thomaſſino in tractatu de jejunio *par.* 2. *c.* 6. & ex de l' Isleo in hiſtoria Jejunii c. 5. refert Benedictus XIV. *de Synodo Diœceſana lib.* 11. *c.* 5. *nu.* 5. *fine*. Introducta autem ob bonum Puerperii Beatæ V. Mariæ, quod omnibus ſordibus, & ſecundinis caruit, cujus aliquando contrarium quidam Hæretici Laudatæ Dei Genitricis partui, & puritati detrahentes afferere non erubuerunt. In quorum Hæreticorum deſpectum, Catholici illi conſueverunt lætioris epuli refectione tam hanc, quam illum venerari, & recognoſcere, ut apud Salmanticen. *to.* 5. *tr.* 23. *c.* 2. *pu.* 5. §. 2. *n.* 109. teſtantur Paludanus, & Covarruvias, idemque teſtatur Beyerlinck in Theatro Vitæ hum. V. *Jejunium*, qui hujuſmodi conſuetudinem nuncupat piam, ob rationem prædictam.

Dici etiam poteſt introductam fuiſſe ad extendendam lætitiam Natalis Domini, & memoriam Verbi Divini Incarnati: nimirum ſicut illi, qui nec voto, nec obſervantia regulari ſunt adſtricti in feria ſexta, vel Sabbato, ſi feſtum Nativitatis Dominicæ die ipſo venire contigerit, carnibus, propter feſti excellentiam, & ad memoriam Verbi, quod caro factum eſt, veſci poſſunt; ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ generalis: ut 25. Decembr. fuſius eſt explicatum; ita ſimiliter Gallis, & Belgis ſpecialis conſuetudo hujuſmodi privilegium permittit extendere per tempus prædictum, ut gaudium illud magnum, quod evangelizatum eſt de apparitione Verbi Dei in carne, diffundatur per totum tempus illud, quo propinquitas Natalis Domini ingerit, recenſque objicit memoriæ fidelium tantum beneficium Divinum. Quam rationem aſſignat Molanus poſt Heſſelium, quos citat, & ſequitur Raynaud. *to.* 10. *tr. de Gladio ſect.* 5. §. 5. Sed cur non etiam in feria ſexta prædictam ſimiliter conſuetudinem ſervant veſcendi carnibus præfato tempore? Proculdubio, quia rigor, cum quo introducta eſt abſtinentia feriæ ſextæ, id non eſt paſſus, ut intelligi facile eſt ex dictis tr. 1. in feria 6. ubi de abſtinentia illius feriæ. Deinde præcipua ratio prædictæ conſuetudinis eſt cultus Beatæ Virginis, ut confirmatum eſt; ad id autem ſatis fuit, illum adhibere in Sabbatis; porro Sabbatum eſſe ſpecialiter dedicatum cultui Beatæ Virginis, notavimus ubi de Sabbato tract. 1. lib. 2. p. 2. c. 7. art. 5.

Jure vero hic arguit Raynaudus ac reprehendit ſuperſtitioſam anilitatem, ac barditatem, ut ipſe ait ſeu hebetudinem eorum, qui referente Joanne Heſſelio ad tertium præceptum c. 17. in Decalogi explicatione: retulerunt eam indulgentiam ad recordationum languoris Deiparæ ex partu, cui per totum illud tempus a partu, eſus carnium ad reparandas vires fuerit neceſſarius. Meminit etiam neſcio quorum ineptiæ, qui Beatæ Virgini mox poſt partum jacenti appinxerunt obſtetricem, quæ porrigeret laſſatæ ſorbillum; ut qui capiti Imaginis decumbentis Deiparæ in publica ſupplicatione circumlatæ multa pulvinaria ſupponebant; ut refert, & merito cum Heſſelio, Catharino, & aliis explodit Molanus *l.* 2 *de Imagin. c.* 27. Apage, ſubdit Raynaudus, craſſam ignorantiam! Numquid enim B. Virgo inſtar fœ-

minarum corruptarum, feſſa jacuit poſt partum? ut debuerit, ad inſtaurationem virium fomento talis edulii ſuſtentari, & mollibus ſuppoſitis pulvinaribus membra virginea tamquam laſſa fulcire? Lege eum l. cit. & *to.* 7. *in Dyptic. Marianis par.* 1. *pu.* 7. *n.* 18. *& ſequentibus*, & recole dicta 25. Decembr. n. 66. fine.

2 Sed Quæres I. An peregrinus, aut vagus dum moratur in *Belgio*, ſeu locis præfatis, ubi conſuetudo vigeat veſcendi carnibus in Sabbatis a Nativitate ad Purificationem, poſſit & ipſe dictis Sabbatis veſci carnibus? ℞. Affirmative, Diana *t.* 4. *edit. coord. tr.* 6. *reſolut.* 45. §. 2. Azorius *Inſtit. moral. par.* 1. *lib.* 7. *c.* 19. *qu.* 4. *fine*. Buſemb. *lib.* 1. *de legib. c.* 2. *dub.* 2. *reſolut.* 3. *& dub.* 4. *Reſol.* 1. ubi citat Sanch. Suar. Bonac. Ratio eſt, quia exemptio a lege communi eſt quoddam quaſi privilegium locale, quo frui poſſunt omnes, qui in loco morantur. Buſ. *cit. dub.* 4. Gobat. *to.* 1. *tr.* 5. *caſ.* 17. *n.* 385. ubi præter Auctores laudatos adducit Caſtropalaum, teſtantem, eſſe communem, & receptam ſententiam: & licet ibi afferat exemplum de feſto univerſalis Eccleſiæ; ratio tamen adducta valet etiam pro jejunio univerſali, & pro quocumque præcepto univerſalis Eccleſiæ, ut per ſe patet. Confirmat auctoritate Gloſſæ in C. *Illa*. 11. diſt. 12. ajentis: *Si fueris Romæ Romano vivito more*. Quod, ait, etſi non contineat præceptum, proponit tamen aut conſilium, aut licentiam. Videri poſſunt dicta tract. 1. 23. Julii a nu. 13.

3 Qu. II. Si Belga aliquis, aut Gallus veniat alio, ubi non habeatur prædicta conſuetudo ſuæ Patriæ; ſi tamquam Peregrinus moretur; poteſt ne ibi veſci carnibus prædictis Sabbatis?

℞. Negative, quia privilegium ejus non eſt perſonale, ſed locale, ideoque expirat extra locum. Buſ. *l. cit. dub.* 3. Gobat *to.* 1. *tr.* 5. *caſ.* 3. *ſect.* 2. *n.* 95. Thom. Sanch. *in ſumm. to.* 1. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 39. Suarez *to.* 1. *de Relig. lib.* 2. *c.* 14. *num.* 27., *&* 28. & alii paſſim, quorum aliquos adhuc infra citabimus; eſt enim communis contra nonnullos, quorum ſententiam, quamvis Diana putaverit non carere probabilitate, & ut talem cum P. Amico amplexus fuerit *to.* 4. *edit. coord. tr.* 6. *R.* 48. §. 4. attamen Suarez ait, neque eſſe probabilem, neque tutam in praxi. Prædicta Reſponſio procedit etiam ut patet, in quolibet alio ſimili privilegio, aut conſuetudine particulari, puta comedendi ova, & lacticinia.

At objicies: In jure: Statim Reverſurus dicitur præſens: & abeſſe non dicitur, qui brevi eſt reverſurus, ut ex pluribus locis juris oſtendit Diana *to.* 4. *edit. coord. tr.* 3. *Reſol.* 161. §. 2. qui etiam id confirmat ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* ajente: *Quoniam autem qui aliquantis per tantum abſunt, ex veterum Canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reverſuri ſunt; Sacroſancta Synodus vult &c.* Quæ ratio tanta eſt, ut ex illa motus fuerit Thomas Sanchez, ad affirmandum: Mediolanenſem primis quatuor diebus obſervantiæ Quadrageſimalis poſſe frui privilegio ſuæ Patriæ, in qua licet veſci carnibus, etiamſi moretur in Oppido, ubi viget jus commune, ſi brevi in Patriam eſt reverſurus; cujus ſententiam approbat P. Fran. Amicus *to.* 5. *de Juſt. diſp.* 5. *ſect.* 16. *n.* 359. & placet Dianæ *to.* 4. *edit.* 4

coord.

coord. tr. 6. *Reſol.* 48. & illam laudaverat *tom.* 3. *Reſol.* 161. §. 3. Addit Amicus l. cit. non teneri peregrinum ſervare leges, & conſuetudines loci, per quem tranſit, ſed poſſe uti privilegio ſuæ Patriæ.

℞. 1. Prædicta ratio eruta ex jure, quæ dicitur tanta eſſe, ut ex illa motus fuerit Thomas Sanchez ad docendum ec. prædicta, inquam, ratio tanta ėſt, ut illam deinde rejecerit idem Sanch. & ſententiam ſuam retractaverit in ſum. l. ſup. c. ubi poſtquam ſic habet: *Quamvis l.* 3. *de Matrim. diſp.* 18. *nu.* 7. *tenuerim cum Palacios contrariam ſententiam, nunc autem prorſus placet hæc, & eam tenent Henriquez l.* 9. *de Miſſa c.* 25. *n.* 2. *fine in commento lit. S. Manuel in Bulla Cruciatæ* §. 1. *n.* 8. *ad fin. & videntur clare tenere Metina* 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *ad fin. in dub. penul. Sayro in clavi regia l.* 3. *c.* 4. *nu.* 15. *& copioſe probans tenet Suar. to.* 1. *de Relig. lib.* 2. *c.* 14. *nu.* 27. *&* 28. Hæc Sanch.

℞. 2. Ad eamdem rationem ex jure, retorquendo argumentum. Statim reverſurus dicitur præſens, & abeſſe non dicitur, qui brevi eſt reverſurus. Ergo tenetur ſervare leges peculiares patriæ ſuæ. Quod negat Amicus loc. cit. & Diana ut probabilius tuetur, non teneri *to.* 4. *edit. coord. tr.* 6. *Reſol.* 45. §. 2. Ergo ſi hæc præſentiæ fictio non ſat eſt, ut hujuſmodi cenſeantur præſentes in ſuo domicilio, ita ut localibus illius legibus teneantur: cur ſat erit, ut privilegiis localibus gaudeant? Ita arguit ipſemet Sanch. poſtquam ſententiam mutaſſet. Qui etiam refellit diſtinctionem, quæ forte aſſignari poſſet, dicendo: hoc eſſe favorem, illud vero odium: *Nec proderit* (ait) *dicere, hoc eſſe favorem, illud vero odium; quia cum per hoc fiat reductio ad jus commune, eſt potius favorabile extendendumque: ſicut lex correctoria, quæ valde odioſa eſſe ſolet, eſt favorabilis, & extendenda, quando per eam ad jus commune reditur; ut ex multis probavi lib.* 1. *de Matrim. diſp.* 12. *n.* 2. Hæc Sanch. & eadem habet Suarez cit. n. 28.

℞. 3. Directe ad eamdem rationem ex jure, dicendo cum eodem Sanch. loc. cit. fictionem juris non extendi ultra caſus in jure expreſſos: ut communiter tradunt Doctores, teſte eodem Sanch. Ideo dicere: exeuntes ad breve tempus haberi fictione juris tamquam præſentes: non probat, quemlibet abſentem ad breve tempus a patria ſua, poſſe frui in quocumque caſu quibuslibet privilegiis patriæ ſuæ. Confer dicta t. 11 in Sabbato n. 54. & 61.

℞. 4. Ad rationem propriam P. Amici, quæ erat: *Quia non tenetur quis ſervare leges, & conſuetudines loci per quem tranſit, ſed poteſt uti privilegio ſuæ patriæ: ita communiter DD.* Hæc ratio ſic abſolute, & ſimpliciter prolata falſa eſt. Et primo, teſte Thoma Sanch. *in ſum. lib.* 1. *c.* 12. *n.* 36. concordant Auctores, in duplici caſu teneri Peregrinum ſervare leges, & conſuetudinem loci, per quem tranſit. Prior eſt circa ſolemnitates, & conditiones Contractuum; quippe ſunt ab univerſis ſervanda, quæ in loco Contractus obligant: Dempto contractu Dotis, cui peculiare eſt, ut ineundus ſit juxta leges domicilii Viri. Poſterior eſt, quando legis tranſgreſſio cederet in peculiare illius Oppidi damnum; ut

ſi lex

ſi lex inde triticum, aut alias merces extrahi vetet; aut peregrinos ultra tale tempus ibi detineri: ob illius Oppidi bonum; ita Sanch.

Secundo, ultra hos duos caſus, eſt ſententia communior, teneri Peregrinum ſervare leges, conſuetudines, & præcepta ſpecialia loci, in quem venit, ſi eadem habentur in præcepto, & veniat in locum, in quo ſit aliud ſpeciale feſtum de præcepto. Ita Suarez *de Relig. to.* 1. *tr.* 1. *lib.* 2. *c.* 14. *n.* 15. Thom. Sanch. *de Matrim. to.* 1. *lib.* 3. *diſp.* 18. *n.* 3. & in *Decal. to.* 1. *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 21. Bonac. *to.* 2. *to. de legib. diſp.* 1. *qu.* 1. *pu.* 6. *n.* 52. Caſtropal. *par.* 1. *tr.* 3. *de legib. diſp.* 24. §. 3. *num.* 6. Quamvis oppoſitum dicant eſſe probabile, Tamb. & La-Croix, ut diximus tr. 1. 7. Decemb. n. 14.

Tertio; eſt ſententia valde probabilis, ut fatetur Sanch. *in ſum. loc. cit. n.* 37. teneri Peregrinum abſolute ſervare leges, & conſuetudines loci, per quem tranſit; cujus ſententiæ Auctores retulerat *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 18. *num.* 4. & ultra illos, hoc loci alios laudat: Leonardum, Sa, Sayr, Suar. Etſi verum quidem ſit, hos Auctores fateri omnes, non ſatis eſſe ſolum tranſitum per id Oppidum ad hanc obligationem; licet diverſimode in explicanda hac mora loquantur.

Quarto, communiter docent Auctores: quod Peregrinus tenetur ſervare leges, conſuetudines, & præcepta, quæ ſervantur in loco, ad quem venit, ſi illa ſint communia toti Eccleſiæ: quidquid ſit, an domi ſuæ fuerit derogatum, vel ob privilegium, aut contrariam conſuetudinem; & de hoc non eſſe dubium, inquit Petr. a S. Joſeph in *Idea Theol. Moral. lib.* 1. *cap.* 8. *Reſ.* 3. ubi poſtquam cenſuiſſet cum Auctoribus tertiæ ſententiæ jam relatæ, quoniam vero illam ſententiam non defenderat, nec ſubſtinuerat ut certam ſubdit monens: *Nota tamen, prædicta intelligi de legibus, quæ ſunt ſpeciales illius loci, per quem Peregrinus tranſit: nam ſi agatur de legibus communibus, dubium non eſt, quin teneatur eas obſervare, etſi in illius Patria non vigeant. Unde peccaret Caſtellanus, qui tranſiens per Galliam, Animalium inteſtinis die Sabbati veſceretur; & Civis Mediolanenſis, qui Romæ* 4. *primis diebus Quadrageſimæ carnes comederet*. Hæc Petr. a S. Joſeph. Rationem cum multis Auctoribus hujus quartæ ſententiæ, quæ eſt communis, adduxi ſupra num. 3. ubi etiam dixi, quod licet nonnulli contrarium docuerint, illorum tamen ſententiam neque probabilem, neque tutam in praxi eſſe, doceat Suarez.

CAPUT III.

Not. in genere

Toto tempore poſt Epiphaniam uſque ad Septuageſimam.

EXPLICANTUR ARTICULIS II.

Art. I. *De Horis Canonicis.*
Art. II. *De Miſſa.*

ARTICULUS I.

De Horis Canonicis.

1 POST diem octavam Epiphaniæ reſumuntur Suffragia, ſeu Commemorationes communes Sanctorum in Laudib. & Veſp. quando recitari debent juxta Rubricas. Pro B. V. Antiphona conſueta: *Sancta Maria*, ſed ℣. *Poſt partum*. Or. *Deus, qui ſalutis*, uſque ad Purificationem; licet hæc eadem Oratio, Verſuſque dicantur poſt Antiphonam finalem ejuſdem B. Virginis; quod etiam accidit in die Circumciſionis Domini quoad Orationem, ut notavimus 31. Decembr. Neque putes, hanc eſſe exceptionem regulæ generalis, præcipientis variationem, ſi quando accidat convenire Commemorationes Sanctorum, quæ fiunt in Officio: nam Antiphonæ finales non ſunt pars alicujus Horæ Canonicæ; ſed additamentum quoddam ſucceſſu temporis in Breviarium Romanum invectum: quælibet autem Hora per Collectam, ſeu orationem terminatur: ut obſervat Cavalerius *Comment. in Decr. S. C. R. to.* 2. *c.* 40. *in d.* 2. *n.* 1. Unde animadverte, in Breviario Romano orationes, quæ finales Antiphonas ſubſequuntur, abſolvi concluſione breviori. Porro Orationes, quæ extra Miſſam, & Officium recitantur, concluſione breviori abſolvendas eſſe, docuimus alibi. Ex præcepto tamen ſunt recitandæ: ut monet Caval. *c.* 41. *in d.* 12. fine, ubi ait: idcirco eas eſſe veluti partem Officii. Ad Primam reſumitur ℣. *Qui ſedes.*

2 Ab Epiphania, imo a Natali Domini uſque ad Septuageſimam leguntur Epiſtolæ S. Pauli: quia dum repræſentatur Chriſtus in Mundo; novi Teſtamenti Præcones audiri debent ante Septuageſimam, quæ ſignificat tempus veteris Teſtamenti. Rupert. *de Divin. Offic. l.* 9. *c.* 12. Gavant. *in Rubr. Brev. ſect.* 5. *c.* 12. *nu.* 8. Adveniente autem Dominica Septuageſimæ quidquid ſupereſt de Epiſtolis B. Pauli, quæ diſtributæ ſunt pro numero Dominicarum, & hebdomadarum poſt Epiphaniam, eo anno omittitur. Rubr. Brev. *tit.* 26. *n.* 8. Itaque Epiſtolæ S. Pauli, quæ non poſſunt legi in primo Nocturno infra hebdomadam, in qua ſunt repoſitæ, omittuntur. Dixi, *quæ non poſſunt legi infra hebdomadam, in qua ſunt repoſitæ*; nam ſi poſſunt legi quamvis non in propriis feriis; legi debent, pro ut locus erit in feriis ſequentibus, vel antecedentibus, reponendo etiam ſimul, ſi opus ſit, plura initia Epiſtolarum; dummodo infra ipſam hebdomadam, cui ſunt adſcriptæ. Juxta ſenſum Rubricæ 26. n. 7. quæ licet de Epiſtolis B. Pauli non meminerit, nihilominus ipſis etiam applicanda eſt, ut animadvertit Caval. *to.* 2. *c.* 34. *in decr.* 13. *n.* 4. Rubricæ vero allegatæ hæc ſunt verba: *Cum initium alicujus Epiſtolæ Catholicæ, tempore paſchali, aut alicujus Prophetæ minoris menſe No-*

Novembri infra hebd. illorum temporum impeditur aliquo feſto IX. lect. habente proprias lectiones de Scriptura, dictum initium Epiſtolæ, & Prophetæ, quoad commode fieri poterit, ponatur in ſequenti feria, alio ſimili initio Scripturæ ponendo, vel feſto non impedita, ita ut aliquo modo ponatur, etiamſi plura initia eodem die poni oporteat. Et licet Gavant. *in Rubr. Brev. ſect.* 5. *c.* 12. *nu.* 12., & iterum *ſect.* 6. *c.* 8. *n.* 6. fuerit opinatus, omnes epiſtolas S. Pauli ſimul conſtituere unum librum Scripturæ, quem propterea putavit, ſatis eſſe, incœpiſſe; at vero hujuſcemodi Gavanti ſententiæ non adhæret Meratus *to.* 2. *ſect.* 5. *c.* 12. *n.* 7. eamque communiter rejici, teſtatur Caval. *to.* 2. *c.* 14. *in decr.* 2. *n.* 36. & *c.* 34. *in decr.* 13. *n.* 2., & 3. ubi rationes refellit, quæ pro ea facere poſſent. Confer etiam Merat. *ſect.* 6. *c.* 17. *num.* 3. Habes autem hic regulam generalem pro reponendis initiis librorum Scripturæ; ea nimirum eſt, ut quæ in Dominicis incidunt, (quod communiter fit, eo quia Dominica eſt caput hebdomadæ:) numquam valeant anticipari, ſed ſolum transferri per hebdomadam, vel hebdomadas, quibus ſunt addicta. Quæ infra hebdomadam recurrunt, locentur in ſequenti die non impedita feſto habente lectiones proprias, vel alio initio, alioquin in præcedenti die ſimiliter non impedita; ita ut in paritate impedimenti, ſemper ſequens dies ſit præferenda, dummodo ſit intra hebdomadam: Diximus: *in paritate impedimenti:* quia ſi ſequens dies impedita foret per feſtum habens lectiones proprias, & præcedens per initium aliud; tunc non in ulteriorem ſequentem diem initium rejiciendum foret, ſed in memorata præcedenti collocandum; quia initium, quod ipſa habet, ejus eſt quidem rationis, ut reſpuat aliud initium, quod in alia die poni valet; non tamen quando aliter fieri non poteſt; ut eſt, ſi feſtum habeat lectiones proprias. Ita Caval. *cit. in decr.* 13. *n.* 4. & *in decr.* 16. *n.* 2.

Non poſſunt autem poni initia plura tribus eadem die in primo nocturno, ex decr. S. R. C. 5. Julii 1698. apud Caval. *to.* 2. *c.* 34. *decr.* 14. & quamvis legi poſſint tres ad modum unius lectiones cujuslibet initii, non eſt tamen obligatio legendi niſi unicam lectionem cujuslibet initii, quando legenda ſunt tria initia, ex D. S. R. C. 5. Julii 1698. apud Caval. *l. cit. decr.* 13. Si vero legenda ſint duo initia; tunc una lectio erit de præcedenti, & duæ de currenti: minus enim quam fieri poteſt, lædi debet jus uniuscujusque. Caval. *l. cit. n.* 5. Quoties autem initia plura tribus inſtant ponenda, diſtribuuntur per reliquas ejuſdem hebdomadæ ferias. Quod ſi tota hebdomada fuerit occupata officiis habentibus lectiones proprias, aut de communi aſſignatas, tunc quod inter illa fuerit ritus inferioris, minoris dignitatis, & ſolemnitatis, privetur lectionibus propriis, aut aſſignatis de Communi, ut fiat locus initiis Scripturæ, quæ aliter omittenda eſſent, quemadmodum declaratur in ſequenti Decreto: *Quando in feſto aliquo lectiones aſſignantur legendæ ſive propriæ, ſive de communi, omittitur etiam initium Scripturæ, quod reponendum eſt infra hebdomadam in officio ritus inferioris, minoris dignitatis, & ſolemnitatis, etiamſi tale feſtum habeat lectiones proprias, aut ſint de Scriptura*. S. R. C.

5. Maji

5. Maji 1736. in Einſidlen: apud Caval. *l. cit. decr.* 16. Si vero feſta ſint undique paria, illud cedat, in quo cadit initium. Caval. *loc. cit. numer.* 4. Non probatur autem feſtum 1. vel 2. claſſis privari lectionibus propriis, ne aliquod initium omittatur; ſed videtur juxta cauſa omittendi: vid. Caval. *loc. cit. nu.* 4. Porro initia librorum Scripturæ omitti poſſunt ex legitima cauſa. Rubr. ſup. cit. & Decr. S. R. C. 4. Julii 1698. apud Caval. *d. n.* 15.

Nota denique hic, quod etſi dictum fuerit; initia librorum Scripturæ numquam transferri extra ſibi deſignatam hebdomadam; nihilominus initium librorum illorum, quorum lectio per duas, aut plures hebdomadas extenditur, reſumi poteſt, & debet in omnibus hebdomadis, in quibus eorumdem lectio perſeverat; nec tamen cenſetur eorum initium extra ſuam hebdomadam transferri, quia tunc hebdomadæ omnes, per quas hujuſmodi lectiones librorum ſunt diſtributæ, cenſentur & ſunt propria illorum hebdomada. Caval. *in c.d.* 16. *n.* 1.

3 Poſt Epiphaniam uſque ad Septuageſimam habentur in lectionibus Noctur. Reſponſoria propria in ſingulis feriis, excepto Sabbato, in quo, quando fit de feria, dicuntur Reſponſoria feriæ quartæ. Rubr. gen. Brev. *tit.* 27. *n.* 5. *fine*.

In Officio de tempore Capitula Dominicalia poſita in Pſalterio in 1. & 2. Veſperis de Laudibus, & Horis dicuntur a Dominica tertia poſt Epiphaniam uſque ad Septuageſimam: (a Dominica ſecunda; habet Rubr. Brev. mox alleganda; ſed corrigenda poſt quam univerſaliter eſt inſtitutum ſpeciale feſtum SS. Nominis Jeſu, addictum Dominicæ ſecundæ poſt Epiphaniam.) Capitula autem ferialia dicuntur poſt Epiphaniam uſque ad Dominicam primam Quadrageſimæ. Rubric. gen. Brev. *tit.* 29. *n.* 2.

A Dominica III. poſt Epiphaniam incluſive uſque ad Dominicam primam Quadrageſimæ excluſive in Officio Dominicali Hymnus Matutin. *Primo die quo Trinitas*; Deinde ad Laudes: *Æterne Rerum Conditor*. Rub. Brev. ibi. Pſalmus *Confitemini* dicitur ad Primam in Dominicis cum aliis Pſalmis in Pſalterio aſſignatis a Dominica tertia poſt Epiphaniam incluſive ad Septuageſimam excluſive. Rubr. gen. Brev. tit. 22. nu. 3. Quando, nimirum, recitetur Officium Dominicale.

In Dominicis poſt Epiphaniam uſque ad Septuageſimam excluſive occurrente in eis feſto duplici, fit de feſto, & commemoratio de Dominica cum nona lectione de Homil. Dom. Rubr. gen. Brev. *tit.* 4. *n.* 1. *&* *tit.* 9. *n.* 3. *&* 10., *&* *tit.* 26. *n.* 3.

In ultimo Sabbato poſt Epiphaniam immediate præcedente Dominicam Septuageſimæ, in Martyrologio, ad Primam, & in ſecundis Veſperis, fiat quod notabimus in Sabbato poſt Dominicam ſextam Epiphaniæ.

Dominicæ poſt Epiphaniam uſque 4
ad Septuageſimam, vel ad ſummum ſex poſſunt occurrere, vel ad minimum una; & ideo poſitum eſt officium ſex Dominicarum. Quo propior eſt, vel remotior Septuageſima, quæ a Paſchatis mobilitate dependet, eo plures, vel pauciores ſunt Dominicæ infra hoc tempus; quæ autem ſuperſunt transferuntur poſt Dominicam 23. Pentecoſtes. Rubr. gen. Brev. *tit.* 4. *n.* 3. *&* 4. Gavant.

vant. *in Rubr. Brev. ſect. 6. c.* 8. *n.* 1. & reponuntur eo ordine, quem exponemus lib. 6. ubi de Dominica 24. poſt Pentecoſten: Excepta Dominica ſecunda poſt Epiphaniam, in qua ſi occurrat Septuageſima, officium, vel ſaltem commemoratio de prædicta Dominica ſecunda ſemper fit ante Septuageſimam, ut dicemus in Sabbato poſt Dominicam primam Epiphaniæ.

Reliquæ igitur Dominicæ Epiphaniæ, videlicet, 3. 4. 5. & 6., ſi non habent locum poſt Epiphaniam ante Septuageſimam, transferantur poſt Pentecoſten. Si autem neque poſt Pentec. earum alicui remaneat locus, tunc de ea, quæ locum nullibi habet, fiat ſimiliter officium in Sabbato, quod proxime præcedit Dominicam Septuageſimæ. *Rub. gen. Brev. tit.* 4. *n.* 5. ſi non fuerit impeditum feſto novem lectionum de præcepto duplici, vel ſemiduplici occurrente, vel translato, aut aliqua octava. Si vero fuerit ſic impeditum, fiat officium Dominicæ prædictæ in alia dicto Sabbato magis propinqua feria præcedenti, quæ non fuerit impedita, puta ſexta, quinta aut etiam ſecunda. Rub. Brev. *cit. n.* 5. Gavant. *in Rubr. Brev. ſect.* 3. *c.* 5. *n.* 9., *&* 10. *& ſect.* 6. *c.* 8. *n.* 7. Caval. *to.* 2. *c.* 14. *in decr.* 2. *n.* 7. *&* 8.

Quod ſi tota hebdomada ſit impedita officiis novem lectionum prædictis, tunc in Sabbato proxime præcedentem Dominicam Septuageſimæ, etiamſi occurrat feſtum dupl. 1. cl. fiat in officio occurrenti commemoratio prædictæ Dominicæ anticipatæ. Rubr. cit. *n.* 5. Caval. *l. cit. n.* 9. *&* 18. Merat. *to.* 1. *par.* 1. *tit.* 7. *n.* 2. *circa medium*, & *to.* 2. *ſect.* 6. *c.* 8. *n.* 3. *fine*, *& nu.* 5. *fine*. Ratio eſt, ne poſt Epiphaniam omittatur ulla Dominica, quin de ea ſaltem commemoratio fiat, ſi non poſſit Officium. *Rubr. gen. Brev. tit.* 4. *n.* 3. Gavant. *in Rubr. Brev. ſect.* 3. *n.* 5. Caval. *l. cit. n.* 1.

Dictum eſt: de prædicta Dominica anticipanda recitandum eſſe officium in Sabbato, vel in feria non impeditis feſto novem lectionum *de præcepto:* quia ſi occurrat feſtum *ad libitum* ſive duplex ſive ſemid., id eſt omnino omittendum eo anno; (niſi habeat ſimul ritum ſimplicem de præcepto, quo caſu fiet de eo commemoratio:) & faciendum de Dominica anticipanda; ut conſtat ex ſequenti declaratione S. C. *Officia Sanctorum* ad libitum *ſive duplicia, ſive ſemiduplicia, occurrentia in die, quo fieri debet officium de Dominica anticipanda ante Septuageſimam, vel ante Dominicam* 24. *poſt Pentecoſten, non ſunt recitanda cum commemoratione dictæ Dominicæ, neque transferenda, ſed potius omittenda*. S. R. C. 4. Aprilis 1705. in Lycien. apud Caval. *tit. c.* 14. *d.* 3.

Si autem eo die, quo occurrit feſtum ad libitum, reponatur aliquod feſtum translatum, tunc Dominica anticipanda, quæ non habet jus impediendi hujuſmodi repoſitionem feſti translati, amittit jus ad officium pro illa ipſa die. Plus concedit Caval. in cit. decr. 3. n. 4. ubi exiſtimat, ſatis eſſe quod habeatur officium de præcepto reponendum, de quo ſi fieret in die in qua occurrit feſtum ad libitum; Dominica utique anticipanda non haberet jus integri officii ſed ſolius Commemorationis: & in hoc caſu putat ipſe Cavalerius fieri poſſe de feſto ad libitum cum Commem. Dominicæ, ulterius tranſe-

ſe-

ſferendo feſtum de præcepto. Docet etiam cum Merato idem Caval. nu. 3. recitari poſſe de officio ad libitum, ſi habeatur infra eamdem hebdomadam dies altera libera, & vacua, in qua valeat recitari, & reponi officium Dominicæ anticipandæ; cum adhuc ſervetur intentio Decreti ſupra allegati, parandi, videlicet, locum officio Dominicæ, quod alias cum ſola commemoratione deberet peragi, nec neceſſarium ſit, cum alieno incommodo, conſulere alicujus commodo, quod adhuc æque bene poteſt haberi; ita ille.

Sed contra eſt: quia Rubrica deſignat diem, in quo ſit reponendum officium Dominicæ anticipandæ, videlicet: *in præcedenti Sabbato*; ergo officium ad libitum occurrens in Sabbato, occurrit in die, in quo eſt officium Dominicæ reponendum. Sed ex allegato Sacræ Congregationis decreto officia novem lectionum ad libitum (occurrentia in die, quo fieri debet officium de Dominica anticipanda,) ſunt omittenda, ut fiat de Dominica. Ergo officium novem lectionum ad libitum occurrens in Sabbato, debet omitti, ut recitetur in eo de Dominica anticipanda, etiamſi infra eamdem hebdomadam habeantur alii dies non impediti feſto novem lectionum. Nec intelligi poteſt quod ponit Cavallerius de feſto de præcepto reponendo in die quo occurrit feſtum ad libitum. Quia feſta ad libitum ſi ſunt acceptata, non ſunt transferenda a die proprio, ne detur locus alteri officio reponendo. Ergo ſumus in caſu decreti, in quo ſi faciendum occurrit de feſto ad libitum prævalet officium Dominicæ anticipandæ.

Dices: Rubricam non ſimpliciter deſignare Sabbatum, ſed addere: (quod non ſit impeditum feſto novem lectionum, alioquin in alia præcedenti die ſimiliter non impedita.) Sed Reſpondetur: Rubricam, per ſe deſignare Sabbatum ad recitandum officium de Dominica anticipanda, & non niſi eo impedito procedere ad deſignationem alterius diei præcedentis. Impedimentum vero eſt ſolum officium novem lectionum, & quidem de præcepto, ut conſtat ex allegato Decreto, declarante, officia ad libitum nullum afferre impedimentum in ordine ad reponendam officium Dominicæ anticipandæ in die, in qua Rubrica præſcribit. Ergo ſi Sabbatum per officium ad libitum non eſt impeditum in ſenſu Rubricæ, ad effectum reponendi in eo officium Dominicæ anticipandæ, debet in eo Sabbato officium Dominicæ prædictæ reponi, excluſo feſto ad libitum; etiamſi habeantur alii dies infra eamdem hebdomadam non impediti feſto 9. lectionum. Idem dic, ſi feſtum ad libitum occurrat in feria proximiori Sabbato: nam, impedito Sabbato ex feſto novem lectionum de præcepto, Rubrica aſſignat feriam proximiorem non ſimiliter impeditam, Dominicæ anticipandæ: unde excludendum ſimiliter eſt feſtum ad libitum ab illa feria proximiori Sabbato, in qua cenſetur occurrere Dominica anticipanda. Quamvis autem demus Cavallerio, poſſe ulterius transferri officium de præcepto translatum ut recitetur officium ad libitum in die, qua occurrit; id tamen non intelligendum eſt in præjudicium Dominicæ anticipandæ, cui Rubrica, & decretum S. C. expreſſe tribuunt jus excludendi officium ad libitum: Neque ex eo quod poſſes in tali feria

ria recitare de Tranſlato, ſequitur quod poſſis ſubſtituere officium *ad libitum* in concurſu Dominicæ anticipandæ. Quod autem, impedito Sabbato, feria proximior non impedita, ſit habenda pro affixa Dominicæ anticipandæ, iſtud docuimus ſupra ex ipſomet Caval. qui ſupra cit. *decr.* 2. *numer.* 8. monet: *Sabbato impedito integrum non eſſe in qualibet feria hebdomadæ anticipare officium Dominicæ, ſed poni debere in feriis Sabbato proximioribus, & ſolum his impeditis, in aliis præcedentibus locum habere uſque ad feriam ſecundam incluſive.*

Ex his habes: Feſtum ad libitum ſe habere, tamquam ſi non occurreret in Sabbato, ſeu alia die præcedenti, & magis propinqua Sabbato, quando reponendum eſt officium de Dominica anticipanda.

Quæ de officiis ad libitum dicta ſunt, procedunt etiam quoad officia Votiva, ſeu menſtrua, vel hebdomatica, de quibus egimus tr. 1. lib. 2. par. 1. c. 2. ubi n. 3. notavimus, quod ex Decreto S. R. C. officia ſemel in hebdomada, vel menſe recitari conceſſa prohibentur recitari in illa feria, in qua ſecundum Rubricas reponendum eſt officium Dominicæ.

Si Septuageſima venerit in Dominica 2. poſt Epiphaniam, in quanam die reponi debeat officium Dominicæ 2. prædictæ anticipandæ? dicemus in Sabbato poſt Dom. I. Epiphaniæ.

6 Hactenus egimus de die, in qua reponi debeat officium, vel fieri commemoratio Dominicæ III. & ſequentium poſt Epiphaniam, quando earum aliqua ob occurrentiam Septuageſimæ anticipanda ſit, eo quod non inveniat locum poſt Dominicam 23. poſt Pentecoſten; nunc autem explicanda venit ratio recitandi, vel faciendi commemorationem ejuſdem. Itaque quando officium Dominicæ anticipandæ habet locum in Sabbato, aut alia præcedenti feria, totum officium recitandum erit, ut in feria currenti, perinde ac ſi fieret de feria; dicuntur autem Pſalmi de feria, quia extra diem ipſam Dominicam, non ponuntur congrue Pſalmi de Dominica, eidem diei Dominicæ præciſe aſſignati. De ipſa Dominica vero legentur lectiones de ejuſdem Homilia, cum Antiphona ad *Benedictus*, & Oratione propria Dominicæ, cum verſiculis de feria currenti; Reſponſoria item ad lectiones erunt de occurrenti feria: Dummodo Dominica anticipata non habeat propria Reſponſoria, quæ nondum ſint poſita; quia in hujuſmodi caſu tria Reſponſoria primi Nocturni Dominicæ recitari debent. Non dicitur: *Te Deum*, ſed tertium Reſponſorium. Fit commemoratio feſti Simplicis, ſi occurrat, ſine lectione propria. Fient Suffagia Sanctorum, & etiam de Cruce; non recitantur autem preces feriales, ſed Dominicales. Totum officium, quod incipit a Nocturno, terminatur ad Nonam inſtar cujuſcumque alterius officii ferialis per annum. In Choro recitabitur officium parvum B. Mariæ, & ſi ſit prima dies menſis non impedita, etiam officium Defunctorum. Caval. *to.* 2. *c.* 14. *in decr.* 2. *num.* 10. & 12. Gavant. *in Rubr. Brev. ſect.* 3. *c.* 5. *num.* 3. & 9. Merat. *to.* 2. *ſect.* 3. *c.* 11. *n.* 10. & *ſect.* 6. *c.* 8. *n.* 5. Rubr. gen. Brev. *tit.* 4. *num.* 4. & 5. & *tit.* 27. *num.* 7. *Rubr. particul. ante Dominicam I. poſt Epiphaniam.*

Si in die præcedenti ad diem, in quo recitabitur officium Dominicæ anticipatæ, factum ſit de feria, aut feſto Simplici, & una cum officio Dominicæ occurret feſtum aliquod ſimplex, Veſperæ erunt de feria cum commemoratione ſequentis Simplicis; etenim eſſe non poſſunt de Simplici præcedenti, cujus officium terminatur ad Nonam; nec de Dominica, cujus officium incipit a Nocturno, nec de ſequenti Simplici, quod, cum in die ſequenti non habeat officium, nec habere convenit primas Veſperas: erunt igitur de feria, cujus officium ſemper ſuccedit in alterius defectu. *Rubr. de concurren. n.* 10. Caval. *n.* 14.

7 Ubi autem hebdomada tota fuerit impedita feſtis 9. lectionum de præcepto, fiet de Dominica commemoratio in Sabbato hoc modo: in tertio nocturno feſti occurrentis legetur nona lectio de Homilia Dominicæ anticipatæ, & tantum in Laudibus fiet commemoratio ejuſdem cum Antiphona, & Orat. propr. ſed ℣. de Laudibus Sabbati. Rub. gen. Brev. *tit.* 4. *n.* 5. Caval. *n.* 9. Merat. to. 1. *par.* 1. *tit.* 7. *nu.* 2. circa medium, & *to.* 2. *ſect.* 3. *c.* 11. *n.* 9. & 10. Etiamſi occurrat feſtum dupl. 1. cl. in Sabbato, fiet nihilominus Dominicæ anticipatæ commemoratio, modo prædicto. Caval. *n.* 18. Merat. *to.* 1. *cit. n.* 2. & *to.* 2. *cit. n.* 10. & *ſect.* 6. *c.* 8. *n.* 3. *fine*, & *n.* 5. *fine*. In eodem caſu, quo de Dominica anticipata fit ſola commemoratio in Sabbato, lectiones primi Nocturni, ſi feſtum non habeat proprias erunt de Scriptura occurrente in ipſo eodem Sabbato, non autem illæ de Dominica anticipata. Caval. *a n.* 26.

Deinde ſi feria, in qua anticipatur, & fit officium Dominicæ habeat initium libri alicujus, vel Epiſtolæ, non debet transferri poſt Dominicam anticipatam, ſed anticipatur in diebus præcedentibus infra eamdem hebdomadam, in qua ponitur, ſi ſit locus: ſecus debet omitti; etenim poſt quam factum fuit de Dominica anticipata, legendum eſt initium aſſignatum eidem Dominicæ: atque adeo in ſequentibus feriis hebdomadæ, in qua factum eſt de Dominica anticipata, legendæ ſunt lectiones aſſignatæ feriis hebdomadæ prædictæ Dominicæ, juxta Rubr. 26. nu. 8. ita ſe habentem: *Quod ſi fiat de aliqua Dominica poſt Epiphaniam anticipata in feria, tunc poſt officium Dominicæ anticipatæ in ſequentibus feriis legatur de Epiſtolis S. Pauli aſſignatis Dominicæ anticipatæ, & ſequentibus feriis, omiſſis aliis, quæ ſunt aſſignatæ præcedenti hebdomadæ*. Legentur autem lectiones occurrentes in reſpectivis feriis poſtquam lectum fuerit initium Dominicæ anticipatæ, ut e. g. ſi de Dominica anticipata recitetur officium in feria ſecunda, initium pro ea Dominica ponetur in feria 3. deinde in feria 4. legentur occurrentes ipſa feria 4. & ſimiliter in ſequentibus feriis. Si vero infra hebdomadam occurrant initia aliqua, hæc legi debent, licet eorumdem plura ſimul poni oporteat, etiam in die, in quo ponitur initium ipſum Dominicæ. Quod ſi aliquando cuncta locum non habeant, omittantur; & in caſu, quo poſt officium Dominicæ poni non poſſit ejuſdem initium, omittatur. Porro initia librorum Sacræ Scripturæ extra ſuam hebdomadam numquam transferuntur: nova

va autem hebdomada incipit illico poſt anticipationem Dominicæ. Caval. *n.* 35. 44. *&* 46.

9 Denique docet Caval. *n.* 16. quod ſi eveniret, officium Dominicæ anticipari in Vigiliam, officium eſſe deberet de Dominica anticipata ſine commemoratione Vigiliæ, ſi vero occurreret feſtum novem lectionum, officium eſſet de feſto cum commemoratione Dominicæ anticipatæ, & nona lectione de eadem, nihil autem de Vigilia in officio: quia inquit Dominica anticipata inſtar ſe habet feriæ majoris, & hanc in privilegiis ſuperat: quapropter ſervanda eſſent, quæ diſponit Rubrica VI. *de Vigiliis* nu. 2. circa Vigiliam incidentem in Adventum, aut Quadrageſimam, vel Quatuor Tempora.

Quomodo autem recitandum ſit officium Dominicæ 2. poſt Epiphaniam, ſi anticipetur? exponemus in Sab. poſt Dom. I. Epiphaniæ Art. 7.

ARTICULUS II.

De Miſſa.

Pro toto tempore in genere poſt Epiphaniam uſque ad Septuageſimam.

1 Poſt Epiphanim variatur Introitus cum ſuis acceſſoriis, Graduali, Offertorio, Communione, in primis tantum tribus Dominicis; & hoc triplex Officium (ut loquuntur veteres Scriptores,) Dominicalis Miſſæ ſignificat tres annos prædicationis Chriſti, ut recte poſt Octavam Epiphaniæ, in qua Baptiſmus Chriſti celebratus fuit, repræſentetur. In ultimis vero tribus Dominicis 4. 5. & 6. poſt Epiphaniam, Introitus, & acceſſoria ſunt eadem, quæ habentur in Dominica tertia, ut in Antiphonario Gregoriano: & ratio eſt, quia ſæpius transferuntur poſt Pentecoſten, quo loco mutuantur Introitus, & acceſſoria, ſcilicet Graduale, Offertorium, & Communionem a Dom. 23. poſt Pentecoſten, quemadmodum ſuo loco videbimus; ut cum ea ejuſdem fere rationis tunc eſſe videantur. Quia ergo ſunt Dominicæ vagæ, non habent ideo certum Introitum, nec proprium Officium, exceptis orationibus, Epiſtolis, & Evangeliis. Honor. *in Gemma lib.* 4. *c.* 110. Durand. *in Ration. lib.* 6. *c.* 18. *n.* 1. *& c.* 20. *a n.* 2. *verſus finem*, & *c.* 21. *n.* 1. *&* 23. Gavant. *in Rubr. Miſs. par.* 4. *tit.* 4. *n.* 2.

Dicitur *Gloria in excelſis* in Dominicis poſt Epiphaniam uſque ad Septuageſimam excluſive. In ferialibus vero diebus, quando reſumitur Miſſa de Dominica præcedenti, non dicitur. *Rubr. Miſs. in Dom.* 2. *Poſt Epiphan.* 2

Ab Octava Epiphaniæ uſque ad Purificationem incluſive, niſi fuerit duplex, poſt orationem diei dicuntur iſtæ orationes: *Deus qui ſalutis;* & *Eccleſiæ tuæ*, vel *Deus omnium fidelium*: ut in Miſſali in Dominica 2. poſt Epiph. *Rubr. ante Dom.* 2. *Epiph. & in Dom. Septuageſ.* Poſt Purificationem vero, ſeu poſt diem 2. Febr. dicitur 2. Oratio *a cunctis*. 3. ad libitum. *Rubr. Miſs. in Dom.* 4. *poſt Epiph.* Vid. dicta tr. 1. 2. Febr. art. 4. n. 61. Quando autem facienda eſt commemeratio Simplicis, tertia dicitur, quæ eſt prima de tempore. 3

Ab Octava Epiphaniæ uſque ad Septuageſimam in officio de tempo- 4

re

re adhibetur paramentorum color viridis, *ex Rubr. gen. Miſs. tit.* 18. *n.* 4. exceptis Dominicis infra octavas occurrentibus tempore prædicto, in quibus color feſti ſervatur. *Rubr. gen. Miſs. l. c.* quia tota Octava eſt unum, & idem feſtum. *Gavant. in Rubr. Miſs. par.* 1. *tit.* 18. *n.* 2. *lit. b.* Viridis color medius eſt inter colores, & ideo hic adhibetur in diebus ferialibus, & communibus, *Innoc. III. apud Gavant. l. cit. nu.* 4. qui ſunt veluti medii inter dies feſtivos, & lugubres: hujuſmodi autem ſunt dies ab octava Epiphaniæ uſque ad Septuageſimam, & item ab octava Pentecoſtes uſque ad Adventum excluſive in officio de Tempore. *Gavant. l. cit.*; unde illis etiam diebus colore viridi utimur, ut ſuo loco dicemus. Dies quoque Dominici minus ſolemnes ſunt temporibus his, communeſque vocantur ab Innocentio, comparative ad alias Dominicas, & anni ſolemnitates. Gavant. l. cit.

5 Si tempus breve fuerit ab octava Epiphaniæ uſque ad Septuageſimam; itaut officia ſequentium Dominicarum in ſua ſede, ſeu diebus propriis expleri non poſſint: tunc officia illarum, quæ ſuperſunt poſt Dominicam ſecundam Epiphaniæ, eo anno transferuntur, ſeu reſumuntur quoad orationem, Epiſtolam, & Evangelium dumtaxat, poſt Dominicam vigeſimam tertiam Pentecoſt. *Rubr. Miſs. ante Dom.* 2. *Epiph.* Si autem neque poſt Pentecoſten earum aliqua habeat locum; tunc de ea in Sabbato, vel feria præcedente Dominicam Septuageſimæ, dicatur Miſſa, aut fiat commemoratio cum ejuſdem Dominicæ Evangelio in fine juxta regulas traditas cap. præcedenti pro officio, ſeu horis canonicis in eodem caſu. Miſſa enim ſequitur officium; ut obſervat Gavant. *in Rubr. Miſs. par.* 4. *tit.* 4. *n.* 1. Confer dicta tract. 1. l. 1. c. 2. n. 51.

Itaque quando recitatur officium de Dominica anticipatæ, Miſſa erit de eadem Dominica ſine *Gloria*, & ſine *Credo*: quia eſt ferialis, ut eum aliis obſervat Caval. *to.* 5. *c.* 12. *nu.* 15. (alias per errorem n. 16.) & Merat. *to.* 1. *par.* 1. *tit.* 11. *n.* 5. cum tribus orationibus juxta exigentiam temporis, prout ſuperius explicavimus. Fit commemoratio ſimplicis, ſi occurrat: dicitur Præfatio communis, vel de octava, ſi occurrat, quæ habeat præfationem propriam, ut infra notabimus. In fine Miſſæ, *Benedicamus Domino*. 6

Si recitetur de feſto, vel die octava, & facta ſit de Dominica anticipata ſola commemoratio in Miſſa, licet ſolemni, de feſto etiam primæ claſſis, vel de die octava, fiet ejuſdem Dominicæ commemoratio, & illius Evangelium legetur in fine. Caval. *to.* 2. *c.* 14. *in d.* 2. *n.* 21. Merat. *to.* 1. *part.* 1. *tit.* 7. *n.* 2., & *to.* 2. *ſect.* 3. *c.* 11. *n.* 10. 7

Si daretur caſus, quo de Dominica anticipata fieret commemoratio in feſto novem lectionum occurrente in Vigilia; in Miſſa, de feſto facienda foret commemoratio Vigiliæ, poſt commemorationem Dominicæ, & in fine legendum eſſet Evangelium Dominicæ, non autem Vigiliæ, Caval. l. cit. *n.* 16. & *eodem to.* 2. *c.* 15. & *in d.* 4. *n.* 14.

Si vero de Dominica anticipata fieret officium in Vigilia; Miſſa foret de Dominica cum commemoratione Vigiliæ, nec in fine Miſſæ legendum eſſet Evangelium Vigiliæ. Caval. *cit. n.* 16. Confer dicta hoc tr. 2. l. 1. c. 3. n. 3.

Si

Si in Miſſa de feſto facienda ſit commemoratio diei infra octavam, fiet ante Dominicam prædictam, non obſtante, quod Dominica anticipata habeat Miſſam, quando fit officium de die infra octavam, ut ſtatim docebimus; & ratio eſt, quia in caſu ſolius commemorationis dignior eſt ea ſemiduplicis, quam ſimplicis, ſeu feriæ, etiam majoris, cujus inſtar conſideraratur Dominica anticipata. Caval. *to.* 2. *c.* 14. *in d.* 2. *n.* 21.

8 Quando in Miſſa de feſto fit commemoratio Dominicæ anticipatæ, cantandas eſſe duas Miſſas, unam de feſto, alteram de Dominica, negat Caval. *l. cit. n.* 22. quia Rubricæ Miſſalis nihil hujuſmodi præſcribunt: cum tamen caſus admodum frequens adveniat. Eodem vero to. 2. c. 15. in d. 4. n. 15. docet, quod ſi occurreret Dominica anticipata in Vigilia, Miſſa altera de Vigilia in Collegiatis cantanda foret præter Miſſam de feſto, ſi occurreret; vel præter Miſſam de Dominica anticipata, ſi de ea recitatum fuiſſet officium.

9 Si recitetur officium de die infra Octavam; Miſſa erit de Dominica anticipata ſine *Gloria*, & ſine *Credo*, cum 2. orat. de octava, & quia Miſſa eſt ritus ferialis, dicetur tertia oratio: hæc autem non erit, quam tempus, ſed octava exigit, de qua etiam erit Præfatio, ſi propriam habuerit. Caval. *t.* 2. *c.* 14. *in d.* 2. *nu.* 23.

10 Officio, & Miſſæ prædictæ Dominicæ anticipatæ debetur color viridis, ex Rubr. *de color.* ſupra cit. Cav. *l. cit. n.* 25. Niſi occurrat infra Octavam, quo caſu adhibetur color competens Octavæ, ut ſupra notavimus. Caval. loc. cit.

Nota hic: quid etſi in Dominicis prohibitæ ſint Miſſæ Votivæ, ex Rubr. gen. Miſſ. *tit.* 4. *n.* 3. & *tit.* 5. *nu.* 2. nihilominus licita eſt votiva privata, quando die feriali recitatur Officium Dominicæ anticipatæ. La-Croix *lib.* 6. *par.* 2. *qu.* 72. §. 4. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 1. *tit.* 4. *n.* 3. *lit.* O. *fine* Merat. *ibid. n.* 11. Dixi: licita eſt votiva *privata:* quia de ſolemni, ſeu Conventuali ſecus dicendum eſt. Vide Rubr. gen. Miſs. *tit.* 4. *n.* 3. Merat. *l. cit. fine;* & dicta tract. 1. lib. 1. c. 2. qu. 16. n. 51. 11

CAPUT III.

Notanda in ſpecie pro Hebdomada I. poſt Epiphaniam.

OMISSIS hic quæ pro Dominica I. poſt Epiphaniam ad Horas Canonicas & Miſſam explicuimus tract. 1. ſub die 6. Januarii art. 2. ſect. 2. ſubſect. 2. a n. 60. gradum facimus ad Sabbatum poſt Dom. I. pro quo peculiariter adnotanda ſive pro Horis Canonicis, ſive pro Miſſa duobus Articulis abſolvemus.

ARTICULUS I.

Not. in Sabbato poſt Dom. I. Epiphaniæ.

De Horis Canonicis.

SI cras non fuerit Dominica Septuageſimæ, quoniam in Dom. 2. poſt Epiphan. fieri debet de SS. Nomine Jeſu ſub ritu duplici 2. cl. ideo in hoc Sabbato præcedenti in Martyrologio ad Primam primo loco nuncietur hujuſmodi feſtum ſequenti Dominica celebrandum. 1

Veſ-

Veſperæ erunt de SS. Nomine Jeſu dupl. 2. cl. omnia ut in prop. commem. Dom. 2. poſt Epiphan. ad hymnum Complet. *Jeſu tibi*. *Qui natus*. Si factum ſit hodie feſtum ſemiduplex, non fit de illo commemoratio, ſed Dominicæ 2. Epiph. tantum; ſimiliter nec fit commemoratio de ſequenti Simplici, ſi occurrerit, ſed ſolum de eo habebitur commemoratio in craſtinis Laudibus, & Miſſa privata. Porro duplex 2. cl. non admittit in primis Veſperis commemorationem præcedentis ſemiduplicis, aut ſequentis Simplicis.

2 Si Dominica Septuageſimæ occurrerit poſt Dominicam primam Epiphaniæ, atque occupaverit locum Dominicæ poſt Epiphaniam, tunc in Sabbato iſto in Martyrologio ad Primam, & in Veſperis fiat quod notabimus in Sabbato poſt Dom. ſextam, & ultimam Epiphaniæ.

Rurſus ſi Dominica Septuageſimæ venerit in Dominica 2. Epiphaniæ, de Dominica 2. prædicta fit in hoc Sabbato ſi non fuerit impeditum officio occurrenti novem lectionum de præcepto duplici, vel ſemiduplici. *Rubr. ante Dom. 1. Epiph.* Caval. *to. 2. c. 14. in decr. 2. num.* 54. & 80. Merat. *to. 1. par.* 4. *tit.* 4. *n.* 2. & *to.* 2. *ſect.* 6. *c.* 8. *n.* 2.

Quod ſi Sabbatum hoc fuerit ſic impeditum, officium præfatæ Dominicæ faciendum eſt in prima die poſt octavam Epiph. translato ſemiduplici in ea die occurrente. Confer dicta tr. 1. 14. Januarii n. 4. Quod ſi ea die occurrerit feſtum duplex de præcepto, fiet de Dominica in ſubſequenti alia die, quæ prima occurrerit poſt octavam Epiph. non impedita feſto duplici occurrenti. Rub. cit. Caval. n. 55. & 56. Merat. l. cit. Si autem hebdomada tota impediretur feſtis duplicibus præter Sabbatum, in quo occurreret ſemiduplex: in Sabbato fieri deberet officium Dominicæ, translato ſemiduplici. Caval. n. 55. Merat. cit. nu. 2. prope finem. Officium de infra octavam cedit huic Dominicæ, atque ſi impedito Sabbato, ut ſupra, occurrat prima aut alia ſubſequenti die poſt octavam Epiphaniæ officium diei infra aliquam octavam, eo omiſſo, fieri debet officium Dominicæ ſecundæ poſt Epiphaniam. Gavant. *in Rubr. Brev. ſect. 6. c. 8. n.* 5. Caval. *n.* 64.

Sed quid? Si prima die poſt octavam Epiphaniæ occurrat feſtum ſemiduplex, & in Sabbato ante Dom. Septuag. occurrat officium de die infra octavam? In hoc caſu exiſtimat Caval. n. 70. & 72. quod ſi feſtum ſemiduplex occurrat adhuc infra eamdem octavam, officium de Dominica recitari debeat in Sabbato, omiſſo Officio diei infra octavam. Si vero feſtum ſemiduplex non occurrat infra octavam, tunc officium Dominicæ recitari debeat in dicta prima die in qua illud occurrit, eo ſemiduplici translato in aliam diem.

Si prima die poſt octavam Epiphaniæ, occurrat officium diei infra octavam, & ſimiliter in Sabbato, officium Dominicæ anticipandæ recitari debet prima die poſt octavam Epiphaniæ, quia in æquali impedimento Rubrica vult officium Dominicæ reponendum prædicta prima die. Caval. n. 74.

3 Si prima dies poſt octavam Epiphaniæ ſit dies infra aliquam octavam, & occurrat feſtum ſemiduplex poſt octavam vero occurrat aliud feſtum ſemiduplex, docet Caval. n. 76. of-

officium Dominicæ, impedito Sabbato, non eſſe reponendum in illa prima die poſt octavam, Epiphaniæ, ſed in die poſt prædictam particularem octavam, in qua occurcurrit illud alterum ſemiduplex; quia inquit, ſecus ſequeretur majus incomodum: amotio, ſcilicet, feſti ſemiduplicis, & ſuppreſſio diei infra octavam.

Rurſus docet idem Caval. nu. 78. quod ſi prima die poſt octavam Epiphaniæ occurrente feſto ſemiduplici, alia ſubſequens dies foret libera, impedito Sabbato, officium Dominicæ reponi poſſet in die libera, & vacua: quia, inquit, dum Rubrica, Sabbato impedito, feſto ſemiduplex occurrens in primam diem poſt octavam Epiphaniæ transferendum edicit, procedit, ſupponendo, quod nulla ſit, uti revera nulla eſt in Calendario Romano alia dies vacua, in qua officium Dominicæ valeat collocari. Patens fit, inquit, intentio Rubricæ ex eo, quod in caſu Sabbati non impediti, huic officium Dominicæ adſcribit, & parcit prædicto ſemiduplici.

4 Officium translatum cujuſcumque fuerit claſſis, cedit huic Dominicæ anticipandæ. Atque adeo ſi in Sabbato ante Dominicam 2. Epiphan. anticipandam occurrat feſtum translatum, ulterius transferatur ut fiat de Dominica. Similiter ſi impedito Sabbato feſto dupl. vel ſemidupl. occurrenti, in prima die poſt octavam Epiphaniæ occurrat feſtum translatum, ulterius transferatur, ut fiat de Dom. Caval. n. 80.

Officium ad libitum cedit huic Dominicæ. Vide omnino dicta in præcedenti par. 1. hujus 2. par. c. 1. n. 5.

Docuimus ſupra: officium ſemiduplex de præcepto occurrens in Sabbato cedere huic Dominicæ, ſi præcedentes omnes dies hebdomadæ fuerint impediti feſtis duplicibus occurrentibus. Si tamen Sabbatum, & dies præcedentes Sabbatum poſt octavam Epiphaniæ forent omnes impediti feſtis duplicibus occurrentibus de præcepto, tunc de Dominica habenda eſſet commemoratio. Caval. *nu.* 55. Gavant. *ſect.* 6. *c.* 8. *n.* 4. Merat. *ibi n.* 3. Commemorationem vero hujus Dominicæ faciendam eſſe non in Sabbato, ſed prima die poſt octavam Epiphaniæ, exiſtimat Caval. *n.* 56. contra Gavant. Guyetum, & Meratum, qui docent eſſe faciendam in Sabbato. Feſtum 1. claſ. non excludit commemorationem hujus Dominicæ anticipatæ. Merat. *n.* 3. *fine*, & 5. *fine*. Confer dicta par. 1. hujus 2. par. c. 1. n. 4. fine, & n. 7.

Hactenus egimus de die, in qua ſit reponendum officium, vel facienda 5 commemoratio Dom. 2. poſt Epiph. quando debeat anticipari ob occurrentiam Septuageſimæ; nunc exponenda eſt ratio recitandi, vel faciendi commemorationem. Itaque quando locum habeat officium Dominicæ prædictæ in Sabbato, aut alia feria præcedenti, fit officium de Sabbato, vel feria occurrenti, (ob rationem aſſignatam præc. par. 1. hujus 2. par. c. 1. n. 6.) in qua ponuntur Reſponſoria primi nocturni Dominicæ ſecundæ poſt Epiphaniam, (cum præcedenter non fuerint poſita:) & tres lectiones leguntur de homilia ejuſdem Dominicæ, cum ejus Antiphona ad *Benedictus*, & oratione. Rubr. ante Dom. 1. Epiph. Caval. *in cit. d.* 2. *n.* 49. Merat. *to.* 2. *ſect.* 6. *c.* 8. *n.* 2. Verſiculi tamen

erunt

erunt de fer. currenti. Merat. *n.* 3. *fine*. Non dicitur *Te Deum*, ſed tertium Reſponſorium; fit commemoratio feſti Simplicis, ſi occurrat, ſine lectione propria; fient ſuffragia Sanctorum, & etiam de Cruce; dicuntur preces Dominicales, ut in ſimili diximus 1. par. cap. 1. n. 6. Totum officium, quod incipit a Nocturno, terminatur ad Nonam. In Choro recitabitur officium parvum B. Mariæ, atque officium Defunctorum pro die prima menſis non impedita: Vid. dicta l. cit. Si ſit dies infra octavam, non fit commemoratio octavæ. Caval. n. 66. atque adeo dicuntur preces, & reliqua ut ſupra. Caval. ibid.

6 Ubi autem Sabbatum, & dies præcedentes ad Sabbatum poſt octavam Epiphaniæ fuerint omnes impediti feſtis duplicibus de præcepto, fiet commemoratio Dominicæ ſecundæ Epiphaniæ in prima die poſt octavam Epiphaniæ, ut ſupra diximus ex ſententia Cavaleri, aut in ipſo Sabbato; juxta aliorum ſententiam. Fiet autem cummemoratio hoc modo: in tertio nocturno feſti occurrentis legetur nona lectio de homilia Dominicæ 2. poſt Epiph. & in Laudibus fiet commemoratio ejuſdem cum Antiphona, & oratione propr. ℣. de Laudibus fer. Vide dicta cit. par. 1. hujus 2. partis c. 1. n. 7. in eodem caſu, quo de Dominica 2. Epiph. anticipata fit commemoratio, lectiones primi nocturni, ſi feſtum non habeat proprias, erunt de Scriptura occurrenti, non autem initium Dominicæ 2. prædictæ. Vide dicta l. cit.

Poſtquam vero factum fuerit de Dom. anticipata prædicta, ponitur initium ejuſdem Dominicæ, atque adeo in ſequentibus diebus legendæ ſunt lectiones aſſignatæ ejuſdem hebdomadæ in ſuis reſpectivis feriis. Vide dicta l. cit. n. 8.

ARTICULUS II.

Notanda in Sabbato poſt Dominicam I. Epiph.

De Miſſa.

MISSA ſequitur officium, ut ex Gavanto diximus præced. par. 1. c. 2. nu. 5. ideo quæ dicta ſunt de officio pro Dom. 2. Epiphaniæ anticipanda ob occurrentiam Septuageſimæ, intelligentur dicta quoque de Miſſa; ita ut in Sabbato, aut alia feria præcedenti, in qua fiat officium de prædicta Dominica, dicatur & Miſſa ejuſdem Dominicæ ſine *Gloria*, & ſine *Credo*, & cum Præfatione communi, quia eſt ferialis cum tribus orationibus, 1. de Dominica; 2. *Deus qui ſalutis æternæ*; 3. *Eccl.* vel pro Papa; niſi occurrat commemoratio Simplicis. Si autem occurrat infra octavam, Vide dicta in 1. par. hujus par. 2. c. 2. n. 9. In fine Miſſæ *Benedicamus Domino*. 7

Si recitetur officium de feſto, vel die octava, & facta ſit de Dominica 2. Epiphaniæ anticipata ſola commemoratio, etiam in Miſſa de feſto, vel die octava, fiet ejuſdem Dominicæ commemoratio, & illius Evangelium legetur in fine. Si in Miſſa de feſto facienda ſit commemoratio diei infra octavam, fiet ante Dominicam. Vide dicta cit. 1. par. c. 2. n. 7. fin. & eodem cap. n. 8. habes: an cantandæ duæ Miſſæ. 8

In Miſſa de præfata Dom. anticip. color parament. viridis; niſi ſit 9

 dies

dies infra Oct. Vide dicta l. cit. n. 10., & ibi n. 11. notavimus, non eſſe prohibitas Miſſas votivas in diebus, quibus fit de Dominica anticipata.

CAPUT IV.

Not. in Hebdom. II. poſt Epiphaniam.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. II. poſt Epiphaniam.

Explicantur Sectionibus II.

Sect. I. *De Horis Canonicis.*
Sect. II. *De Miſſa.*

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

1 Die Octava poſt Nativitatem Domini una cum feſto Circumciſionis ejus celebratur feſtum ipſius SS. Nominis Jeſu, ut innuimus tr. 1. die 1. Jannuarii art. 1. nu. 4. qua quidem die fuit Salvatori Mundi impoſitum prædictum Venerabile Nomen. Nihilominus fidelium pietas introduxit, quod præterea ſpeciale, atque diſtinctum aliud feſtum ejuſdem laudati Nominis celebretur: quemadmodum fit in nonnullis aliis feſtivitatibus Domini: puta in feſto SS. Corporis Chriſti, de quo præter feriam V. in Cœna Domini celebratur particulare feſtum feria V. poſt feſtum SS. Trinitatis. Congruentia vero hujus feſti eſſe poteſt, quod videatur eſſe ſupplementum feſti Circumciſionis Domini, quemadmodum ſuo loco diximus de ipſo Circumciſionis feſto reſpectu Nativitatis Domini. Porro in die Circumciſionis impoſitum fuit Chriſto Domino Nomen Jeſu; ſed de hoc SS. Nomine nihil die illa actum eſt in Officio. Videtur itaque hoc feſtum eſſe ſupplementum feſti Circumciſionis Domini.

De adoratione debita SS. Nomine Jeſu videantur Doctores laudati citata prima die Januarii n. 5. fine. Indulgentias quotidianas conceſſas recitantibus Litanias approbatas SS. Nominis Jeſu notavimus tr. 1. lib. 1. c. 4. §. 2. n. 5. Conceſſas autem invocantibus illud eodem cap. §. 3.

Ad prædictum vero ſpeciale feſtum SS. Nominis Jeſu celebrandum, deſignata fuit Dom. 2. poſt Epiphaniam *Officium proprium SS. Nominis Jeſu ab omnibus Chriſti fidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur ſub ritu duplici 2. cl. Dom. 2. poſt Epiphaniam recitari, & Miſſam reſpective celebrari debere, indulſit S. R. C. 29. Novemb. 1721. Annuente Innocentio XIII. 20. Decemb. ejuſdem anni*, apud Caval. *to. 2. c. 25. decr. 1. & in duab. tabel. excerpt. ex Rubr. gen. Brev.* Videri etiam poteſt Benedict. XIV. *de feſtis Domini c. 3. §. 2.* & videantur dicenda in Appendice ad calcem Diarii c. 1. n. 22. Conſequenter de Dom. 2. poſt Epiph. jam non fit in ipſa Dominica, niſi commemoratio cum nona lectione de ipſius Homilia; Officium in ea recitandum de SS. Nomine Jeſu ſub ritu duplici 2. cl. ut in prop. in Brev. Rom. in feſtis Januar. Initio prædicti Menſis. Si Octava Epiphaniæ concurrerit cum hoc feſto, Veſperæ erunt de SS. Nomine, & fiet commemoratio Octavæ Epiphaniæ; etſi enim utrumque ſit feſtum Domini; & non fiat commemo-

moratio de eo, de quo fit officium: hæc autem regula exceptionem pati videtur in feſtis Dei, & Chriſti Domini ex uſu communi; ut obſervat Caval. *to.* 2. *c.* 32. *in d.* 1. *num.* 3. ubi putat, id eſſe, eoquid, cum ab ipſis reſpective ut Auctore, & Interceſſore bona noſtra cuncta procedant, de iiſdem nunquam a nobis ſatis agatur. Et rurſus *c.* 33. *Comment. in Dec.* 2. ait: Feſta Chriſti ad differentiam illorum de Sanctis, non reſpuere commemorationem aliorum ejuſdem Chriſti feſtorum, niſi quoties feſta forent de Chriſto juxta eumdem reſpectum, & rationem eamdem. Confer Gavant. in Rub. Brev. ſect. 7. ad diem 3. Maii verſu: *Si concurrant feſta Aſcenſ. ec.* In primo Nocturno poſt primam Antiphonam, eo quod ea incipiat ſicut Pſalmus ſubſequens, non repetitur initium Pſalmi, ſed continuatur quod ſequitur in Pſalmo ab iis verbis, quibus deſinit Antiphona: quemadmodum fit in Officio Dedicationis Eccleſiæ in prima Antiphona tertii Nocturni, quando illa dicatur integra, nec interrumpatur per *Alleluja*; idque juxta Rubr. gen. Brev. tit. 21. *de Antiphon. nu.* 7. Lectio nona de Homil. Dom. 2. poſt Epiph. ut ſupra innuimus: & ejuſdem commemoratio in Laudib. Item ſi occurrat feſtum ſimplex fit de eo commemoratio in Laudibus tantum, ſine lectione, etiamſi habeat propriam, quia cedit locum Dominicæ. In fine hymn. Primæ, & reliquarum Horarum, dicitur: *Jeſu tibi ſit gloria. Qui natus &c.* Ad Primam ℟. br. *Qui natus es.*

Quamvis ad Tertiam, Sextam, & Nonam Reſponſoriis brevibus Horarum adduntur Alleluja: ad pleniorem lætitiam indicandam; non tamen adduntur ad Primam, & Completorium. *Rubr. gen. Brev. tit.* 28. *n.* 5. ob rationes indicatas tr. 1. 6. Januarii art. 1. ſect. 2. n. 27.

Secundæ Veſperæ de eodem feſto: omnia ut in primis Veſperis excepta Antiphona ad Magnificat, quæ eſt propria: & fit commemor. præced. Dom. 2. poſt Epiph. De ſequenti autem Officio, juxta Rubr. gener. de Concur. & dicta 14. Januarii nu. 6. & 8. Hic ſolum notamus: quod ubi hoc feſtum haberet Octavam, deberet integras habere Veſperas in die octava in concurſu cum præcedenti, vel ſequenti duplici minori. Vid. Caval. *to.* 2. *c.* 12. *in Decr.* 3. *n.* 13., *& duob. ſequ.*

Quando ob feſtum SS. Nominis Jeſu contingat transferri aliud Officium dupl. 2. cl. inferioris dignitatis; de eo debet fieri prima die non impedita. S. R. C. 23. Junii 1736. in Einſidlen. apud Caval. *to.* 2. *c.* 25. *d.* 2. 3

Quando in Dom. 2. poſt Epiph. fit Officium SS. Nominis Jeſu, initium Epiſtolæ 2. ad Cor. legitur prima die admittente Scripturam occurrentem, juxtam Rubr. gen. 4

In quodam libello, cui titulus: *Officia propria Soc. Jeſu:* Edit. Venetæ 1748. ubi deſcribitur Officium SS. Nominis Jeſu, hæc præmittuntur: *Occurrente Dominica Septuageſimæ, reponitur hoc feſtum (quoad Officium) in diem 28. Januarii, tamquam in Sedem propriam, (tranſlato quocumque alio feſto, ſi alicubi occurrat, niſi ſit altioris ritus:) & tunc legitur lectio IX. de Sancta Agnete ſecundo, & fit de ea commemoratio in Laudibus tantum. Ita Sacra Rituum Congregatio decrevit die 22. Januarii 1735.* Hæc ibi leguntur. Verum eadem Sacrorum Rit. Congr. 5. Maii anno ſequenti 1736. emanavit decretum hujus tenoris: 5

ris : *Si die 21. Januarii occurrat in aliquibus locis feſtum alicujus Sancti particulare ſub ritu duplici , v. g. S. Meinradi apud Benedictinos , faciendum eſt Officium de tali Sancto , & transferendum eſt Officium Sanctæ Agnetis , quod occurrit eodem die , cui aſſignari debet aliqua die fixa , quæ tamen non ſit dies 28. Januarii , ne feſtum SS. Nominis Jeſu , quod celebratur Dominica 2. poſt Epiph. aliquando occurrat in eadem Dominica , quæ eſt Septuageſimæ , ideoque , ne illud feſtum celebretur intra Quadrageſimam , (quod non conveniret :) erit relinquenda vacua dies 28. Januarii in qua id tunc erit transferendum . Quando autem agetur feſtum Sanctæ Agnetis ſecundo fiet de eo commemoratio tamquam de Simplici, nullo habito reſpectu quod feſtum ejuſdem ſolemne prius non fuerit celebratum* . S. R. C. 5. 5. Maii 1736. in Einſidlen . apud Merat. *Ind. Decr. Bev. n.* 286. *& to.* 2. *ſect.* 3. *c.* 11. *n.* 17. Caval. *to.* 1. *c.* 9. *d.* 12. Jam vero in hujuſmodi decreto diſponitur quidem, quod occurrente feſto SS. Nominis Jeſu in Dom. Septuageſimæ transferendum ſit in diem 19. Januarii , quæ ideo relinquenda ſit vacua , ut in caſu occurrentiæ prædictæ adſit locus tranſlationi præfatæ ; ſed eo ipſo datur intelligi , feſtum SS. Nominis Jeſu nequaquam frui privilegio excludendi a prædicta die feſta , etiamſi inferioris ritus, ſi alicubi inveniat occupatam , quod animadvertit etiam Caval. *in cit. d.* 12. *n.* 23. ubi examinat hæc verba a nobis allegati Decreti : *erit relinquenda vacua dies* 28. *Januarii :* & ad hæc verba ſubdit : *Si relinquenda ; ergo , ſi alicubi illa dies jam ſit impedita aliquo feſto novem lectionum , non debebit hoc transferri , ut in ea collocetur feſtum SS. Nominis* . Et infra . *Quia igitur Sacra Congregatio noluit feſtum aliquod a propria ſede expelli , ut in eadem locetur feſtum SS. Nominis , quoties transferri contingit , ſolum decrevit* relinquendum eſſe vacuam , *ſi eſt* , diem 28. Januarii . Hæc Caval. qui etiam n. 16. & Meratus *Ind. Decr. loc. cit.* animadvertunt , quod etſi ex allegati Decreti ratione videatur, in Statu Eccleſiaſtico non eſſe aſſignandam diem 28. Januarii feſto Sancti Raymundi de Penafort a die 23. per feſtum Deſponſationis B. M. V. ſemper amoto : (& habetur etiam de hoc decretum expreſſum , quod dedimus tr. 1. 28. Januarii art. 1. n. 4.) Nihilominus nonnulli . Ordinariorum Directores adhuc tali feſto aſſignent prædictum diem , tamquam ei fixam & propriam , ac transferant Officium SS. Nominis Jeſu in aliam diem .

Illud autem Decretum anni 1735. 22. Januarii quod allegatur in ſupradicto libello de Officiis propriis Soc. Jeſu , refertur a Merat. ſect. 6. c. 8. n. 1. ubi tradit : Sacram Rituum Congregationem ſub die 22. Januarii 1735. in correctione , & approbatione Calendarii Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium decreviſſe , quod Officium SS. Nominis Jeſu , quando ob occurſum Dominicæ Septuageſimæ evenit transferri transferrendum erit *ad diem* 28. *Januarii tamquam diem propriam* . Verum & hæc Caval. l. cit. n. 24. docet intelligenda eſſe juxta ſupra dicta : *cum limitatione , quam dicebamus , ſcilicet , dummodo ea dies non ſit Officio novem lectionum impedita* . Unde dicendum venit: illa verba , quæ in decreto deſcripto in libello præfato leguntur clauſa in Parentheſi (*translato quocum-*

cum-

cumque alio feſto, ſi alicubi occurrat, niſi ſit altioris ritus:) appoſita fuiſſe ex mente illius, qui in dicto libello præfatum Decretum anni 1735. notavit; proculdubio autem ad explicanda illa decreti a ſe allegati verba *tamquam in ſedem propriam:* ſeu *tamquam in diem propriam*, per ea intelligens, feſtum SS. Nominis Jeſu in caſu prædicto non ſimpliciter transferri ad prædictam diem 28. Januarii, ſed donari privilegio accidentariæ mutationis; qua mutatione ſi donatur aliquod feſtum habet privilegium excludendi feſtum occurrens in die illa, in quam accidentarie mutatur, ſeu transfertur tamquam in ſedem propriam, niſi occurrat feſtum altioris ritus, aut dignitatis; ut docet ipſe Caval. *ſequ.* c. 10. initio, cui quidem interpretationi verborum & nos ſubſcriberemus niſi allegatum a nobis poſterius Decretum cogeret prædicta verba prioris illius Decreti intelligere cum præfata limitatione ex eodem Cavalerio ſignificata, qui tamen cit. c. 10. n. 5. ait, Feſtum SS. Nominis Jeſu, ſi non immutationem, inſtar innovationis habere translationem in diem 28. Januarii. Proculdubio hoc ait ob ſignificatum privilegium excludendi antecedenter, ſeu impediendi alicujus feſti aſſignationem in præfata die 28. non item excludendi ipſum feſtum aſſignatum. Hoc autem denegari videtur, quia illud conceditur ob aliquam ſimpliciter congruentiam, ex eo nimirum, quia non conveniat, hoc feſtum in Quadrageſima celebrari; ut eveniret, ſi occurrente hoc feſto in Dominica Septuageſimæ, non reponeretur in die 28. Januarii. Ea vero incongruentia non eſt tanta, ac talis, ut ſi ſecus valeat, vel ferat conſuetudo, non poſſit, in ipſis diebus Quadrageſimalibus in prædicto caſu reponi, ut ſupra notavimus.

Item feſtum SS. Nominis Jeſu inſtar immutationis habet translationem ob prædicta verba, *tamquam in diem propriam;* quæ ſic explicat Caval. cit. n. 24. nimirum quod ſi feſtum SS. Nominis Jeſu transferendum eſt in caſu prædicto in diem 28. Januarii; tamquam in diem propriam, ſi non fuerit impedita; poni debet in excluſionem alterius feſti etiam altioris ritus itidem translati; quia cum tunc dictum feſtum cenſeatur in propria die, ab ea proculdubio quodlibet feſtum translatum abigere debet. Itaque occurrente feſto SS. Nominis Jeſu in Dominica Septuageſimæ transferendum eſt in diem 28. Januarii, *tamquam in diem propriam*, ſi non fuerit impedita; etiamſi haberetur feſtum prius translatum, adhuc altioris ritus. Quod ſi prædicta dies alicubi ſit occupata, feſtum SS. Nominis in prædicto caſu erit ulterius transferendum. Hoc autem, quod præſcribitur faciendum pro caſu, in quo dictum feſtum SS. Nominis Jeſu ob occurſum Dominicæ Septuageſimæ transfertur, fieri quoque deberet, ac obſervari, ſi ob occurſum feſti altioris ritus, puta Dedicationis Eccleſiæ, transferri contingeret. Caval. n. 25.

Si in Calendario aliquo dies 28. Januarii occurrenti feſto novem lectionum ſit occupata, tunc prima dies impedita aſſignari non debet alicui feſto, ſed altera, ita ut ante eum in omni eventu dies aliqua remaneat vacua ad hoc ut reponi poſſit in ea feſtum SS. Nominis Jeſu; 6

ut

ut quantum fieri poteſt, caveatur celebratio ejus intra Quadrageſimam juxta diſpoſitionem ſupra deſcripti Decreti S. C. anni 1736. Si enim ex eo Decreto dies 28. Januarii relinquenda eſt vacua, ut reponi poſſit in ea feſtum SS. Nominis Jeſu: *ne illud feſtum celebretur intra Quadrageſimam:* utique, & quælibet altera relinquenda eſt vacua, ſi per eam alicubi ad dictum præcavendum incommodum, & ad conſulendum repoſitioni dicti feſti ante Quadrageſimam, non ſit ſufficienter proviſum. Decretum enim ſolam dictam diem 28. memorat, quia per eam, quoad Breviarium Romanum attinet, e medio tollitur præfatum incommodum; cæterum cum ſatis pateat intentio, ratioque Decreti; certum eſt, quod, ſi alicubi per dictam diem non ſit ſufficienter proviſum, prima adhuc dies non impedita relinquenda erit libera ad rem, & effectum Caval. num. 28. & 30.

Putat Cavalerius non eſſe facile invenire rationem, cur incongruum ſit intra Quadrageſimam celebrare feſtum SS. Nominis Jeſu; nihilominus cenſet, quod, quia Quadrageſimæ tempore recolitur jejunium, quod Chriſtus vir plurium annorum in Deſerto peregit: ideo tunc temporis non apte celebrari videtur feſtum hoc, in quo Chriſtus ut puer in Circumciſione nomen accipiens inſpicitur. Mihi vero adeo abſtruſum non videtur, dicere quod cum hoc feſtum præſeferat lætitiam Nativitatis Chriſti; idcirco incongruum viſuum fuerit de eo fieri in Quadrageſima, cui deputatur memoria Paſſionis.

Licet autem hæc ita ſe habeant, nihilominus, ſi hoc feſtum non poſſet transferri, niſi ad aliquam diem intra Quadrageſimam, eſſet etiam intra Quadrageſimam celebrandum; non enim ſignificata incongruentia reſpectu talis temporius tanta eſt, ut ejus ratione omnino debeat omitti. Vid. Caval. a n. 19.

In caſu translationis prædicti feſti Nominis Jeſu ad diem 28. Januarii, quoniam in ea occurrit feſtum Simplex S. Agnetis ſecundo, ideo dicitur in eodem Decreto: *Quando autem agetur feſtum S. Agnetis ſecundo, fiet de eo commemoratio*, nimirum in Laudibus tantum, *& Miſſa privata;* adde, *& legatur nona lectio ejuſdem in tertio nocturno, tamquam de Simplici*. Vid. dicta tr. 1. 28. Januarii art. 1. nu. 7. In eodem caſu translationis poſt Dominicam Septuageſimæ animadvertendum item eſt; quod in fine ℣℣. ℟℟. & Antiphonarum omittitur *Alleluja*. Similiter & in Reſponſoriis brevibus Horarum. Rub. Brev. in officio SS. Nominis Jeſu. Quæ Reſponſoria in dicto caſu dicuntur, quemadmodum deſcribuntur in Breviario loc. cit. pro tempore poſt Septuageſimam. 7

Ex dictis autem, facile eſt intelligere: Feſtum SS. Nominis Jeſu non ita affixum eſſe Dom. 2. poſt Epiph., ut ſi ipſa, ſeu Officium Dominicæ propter occurſum Septuageſimæ anticipetur, ſit & prædictum feſtum anticipandum in ea die. 8

Porro ſi Septuageſima venerit in Dominica 2. poſt Epiph. tunc Officium, aut ſaltem commemoratio de Dom. 2. poſt Epiph. non omittitur, & quia cum ipſa ſupereſt, numquam reperit ſedem Dominicalem poſt Pentecoſten, ideo non transfertur poſt Dominicam 23. Pentecoſtes, & reliquæ Dominicæ Epiphaniæ, quæ ſuperſunt, ſed de ea ſemper fit in diebus

bus præcedentibus : juxta ea, quæ dicta ſunt in Sabbato præcedente Dominicam hanc. In prædicta Dominica legitur Evangelium, in quo fit mentio primi miraculi Chriſti Domini, ut ordine hiſtorico ſervato de vita Chriſti, poſt ejuſdem baptiſmum celebratum in die octava Epiphaniæ legatur primum miraculum in Cana Galileæ factum, antequam quidquam aliud in ſequentibus Dominicis de eo narretur : ut obſervat Gavantus *in Rubr. Brev. ſect. 6. c. 8. n. 2.* & *in Rubr. Miſſ. par. 4. tit. 4. nu. 3.* Rurſus Officium Dominicale Dominicæ ſecundæ poſt Epiphaniam videtur eſſe ſupplementum tertiæ commemorationis manifeſtationis Chriſti, quæ fuit in Nuptiis Canæ Galileæ. Vide dicta tr. 1. 6. Januarii art. 1. ſect. 1. q. 2. n. 6.

SECTIO II.

De Miſſa.

9 In Dominica II. poſt Epiphaniam (ſi non occurrerit Septuageſima) Miſſa de SS. Nomine Jeſu dupl. 2. cl. ut in proprio; commemoratio Dom. 2. prædictæ in Miſſa privata tantum. Præfatio de Nativitate ſine ejuſdem *communicantes*. Evangelium Dominicæ occurrentis in fine Miſſæ.

10 Ad nomen Jeſu ſemper in Miſſa inclinatur caput, ubicumque nominetur in ea, *ex Rub. gen. Miſſ. tit. 5. n. 2.* Vide dicta tr. 1. 8. Septembr. n. 25. Inclinatur autem caput inclinatione minimarum maxima, quam explicavimus loc. cit. & quidem ex allegata Rubr. cum nominatur Jeſus in Miſſa, extra Evangelium inclinatur caput verſus Crucem ſuper Altare poſitam, utpote quæ repræſentat Chriſtum, imo in qua eſt imago Chriſti Crucifixi. Confer dicenda in Appendice ad calcem Diarii c. 3. art. 2. n. 6. & vide Gavant. *in Rubr. Miſſ. par. 2. tit. 5. n. 2.* Merat. *ibi n. 11. initio*. In Evangelio tamen inclinatur caput verſus librum in Miſſa privata. *Rubr. gen. Miſſ. rit. 6. nu. 2.* Confer Merat. *cit. par. 2. tit. 6. n. 7.* In Miſſa vero ſolemni celebrans inclinat caput verſus Altare, ſeu verſus Crucem Altaris, cum nominatur a Diacono cantante Evangelium. *Rubr. cit. num.* 5. Confer Merat. *cit. tit. 6. n.* 33. Dicit autem cum Bauldry Cavalerius *to. 5. c. 10. num. 16.* Ad Nomen Jeſu inclinandum caput, *niſi ſæpius repetatur in eadem Oratione, Epiſtola, aut Evangelio &c.* Et c. 23. n. 9. & c. 24., n. 20, & 24 docet : non eſſe inclinandum caput a Celebrante ad Nomen Jeſu, dum habet in manibus Hoſtiam conſecratam: puta cum dicit in fractione Hoſtiæ: *per eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ec.* & cum in Communione dicit : *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti ec.* & rurſus : *Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti ec.* eo quod habeat pro manibus Jeſum Chriſtum ipſum : Quod etiam alii volunt contra alios, apud Merat. *to. 1. p. 2. tit. 10. n. 8.* fine. Cum autem Nomen Jeſu nominatur a celebrante, dum aliunde ſtat inclinatus, non opus eſſe profundius inclinare caput, ex eodem Caval. & aliis notavimus tr. 1. 18. Januarii n. 7. fine.

Sequentia in Miſſa de SS. Nomine Jeſu eſt omittenda. S. R. C. 23. Junii 1736. & 16. Februarii 1737. Merat. *in d. Dec. Miſſ. n. 685. Eſt omit-* 11

tenda ab iis , videlicet , quibus non eſt ſpecialiter conceſſa ; quemadmodum conceſſa fuit Ordini Minorum. Vide Lucium Ferrar. in ſua Bibliotec. edit. 3. Bonon. V. *Miſſa art.* 12. *n.* 85. Merat. *in Rubr. Brev. ſect.* 6. *c.* 8. *n.* 1. *fine*, & *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 4. *n.* 2. ubi etiam animadvertit, eam omittendam eſſe a Capellanis ; ſeu Confeſſariis non Franciſcanis in Eccleſiis Monialium laudati Ordinis: nam præfati Capellani poſſunt quidem in dictis Sanctimonialium Eccleſiis dicere Miſſam de feſto , de quo ipſæ Moniales recitant Officium , uti notavimus tr. 1. l. 1. c. 2. n. 53. fine; ſed prout talis Miſſa deſcripta habetur in Miſſali Romano ; quemadmodum etiam animadvertimus l. cit. Jam vero Miſſa SS. Nominis Jeſu non habet ſequentiam in Miſſali Romano; ergo ec.

12 Color paramentorum alb. quia hoc feſtum videtur eſſe ſupplementum feſti Circumciſionis Domini , ut notavimus num. 1. unde pertinet ad ſolemnitatem Dominicæ Nativitatis, cui quidem competit color albus; *ex Rubr. gen. Miſs. tit.* 18. *nu.* 2. propter rationem ſuo loco aſſignatam.

13 Si Septuageſima venerit in Dom. 2. poſt Epiph. V. dicta in Sabb. poſt Dom. I. Epiph.

ARTICULUS II.

Not. in Feria II. poſt Dominicam II. Epiphaniæ.

De Horis Canonicis, & Miſſa.

Si Septuageſima venerit in ſequentem Dominicam tertiam poſt Epiphaniam , tunc Dominica tertia transfertur poſt Dom. 23. Pentecoſt. ſi autem ibi non habuerit locum , fiat de ea in hac hebdomada , die, & ratione explicatis in prima parte hujus par. 2. c. 1. a n. 4. & c. 2. a n. 5. 14

ARTICULUS III.

Not. in Sabbato poſt Dom. II. Epiphaniæ.

De Horis Canonicis, & Miſſa.

Si Septuageſima venerit in ſequentem Dominicam tertiam poſt Epiphaniam tunc Dom. 3. transfertur poſt Dom. 23. Pentecoſtes ; ſi autem ibi non habuerit locum , fiat de ea in hoc Sabbato , niſi jam factum fuerit in diebus præcedentibus. Vide dicta 1. par. hujus 2. par. c. 1. a n. 4. & c. 2. a n. 5. 15

Si Septuageſima venerit in Dom. 3. poſt Epiph. tunc in Sabbato hoc , quod eſt poſt Dom. 2. Epiphaniæ , & quod in dicto caſu erit immediete ante Dom. Septuageſimæ: in Martyrologio ad Primam , & in Veſp. fiat quod notabimus in Sabbato poſt Dom. ſextam Epiphaniæ.

C A P U T V.

Not. in Hebdomada III. poſt Epiphaniam.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. III. poſt Epiphaniam.

De Horis Canonicis, & Miſſa.

1 SI Septuageſima venerit in hanc Dominicam tertiam Epiphaniæ, hæc transfertur poſt Dom. 23. Pentec.; ſi autem ibi non habuerit locum, anticipatur in hebdomada præced. Vid. dicta 1. par. hujus 2. partis c. 1. a n. 4. & c. 2. a n. 5.

ARTICULUS II.

Not. in Feria II. poſt Dom. III. Epiphaniæ.

De Horis Canonicis, & Miſſa.

2 SI Septuageſima venerit in ſequentem Dominicam quartam Epiphaniæ, tunc Dom. 4. transfertur poſt Dom. 23. Pentec. & ſi ibi non habuerit locum, fiat de ea in hac hebdomada, dic, & ratione explicatis par. 1. hujus 2. par. c. 1. a n. 4. & c. 2. a. n. 5.

ARTICULUS III.

Not. in Sabbato poſt Dom. III. Epiphaniæ.

De Horis Canonicis, & Miſſa.

SI Septuageſima venerit in ſequentem Dom. quartam poſt Epiphaniam, tunc Dom. 4. transfertur poſt Dom. 23. Pentec. & ſi ibi non habuerit locum, fiat de ea in Sabbato, niſi factum fuerit diebus præcedentibus. Vide dicta 1. par. hujus 2. par. c. 1. a n. 4. & c. a n. 5.

Si Septuageſima venerit in Dom. quartam Epiphaniæ, tunc in Sabbato hoc, quod eſt poſt Dominicam tertiam Epiphaniæ, & quod in dicto caſu erit immediate ante Dominicam Septuageſimæ: in Martyrologio ad Primam, & in Veſperis fiat quod notabimus in Sabb. poſt Dominicam 6. Epiphaniæ.

C A P U T VI.

Not. in Hebdomada IV. poſt Epiphaniam.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. IV. poſt Epiphaniam.

De Horis Canonicis, & Miſſa.

SI Septuageſima venerit in hanc Dominicam 4. Epiphaniæ, hæc transfertur poſt Dom. 23. Pentec., ſi autem ibi non habuerit locum, anticipatur in hebdom. præced. Vid. dicta 1. par. hujus 2. par. c. 1. a n. 4. & c. 2. a n. 5.

ARTICULUS II.

Not. in Fer. II. poſt Dom. IV. Epiphaniæ.

De Horis Canonicis, & Miſſa.

2 SI Septuageſima venerit in ſequentem Dominicam quintam poſt Epiphaniam, tunc Dominica quinta transfertur poſt Dominicam 23. Pentec. & ſi ibi non habuerit locum, fiat de ea in hac hebdomada, die, & ratione explicatis 1. par. hujus 2. par. c. 1. a n. 4. & c. 2. a n. 5.

ARTICULUS III.

Not. in Sabb. poſt Dom. IV. Epiphaniæ.

De Horis Canonicis, & Miſſa.

3 SI Septuageſima venerit in Dominicam quintam poſt Epiphaniam; tunc Dominica quinta transfertur poſt Dominicam 23. Pentec. ſi autem ibi non habuerit locum, fiat de ea in hoc Sabbato; niſi jam factum fuerit in diebus præcedentibus. Vide dicta 1. par. hujus 2. par. c. 1. a n. 4. & c. 2. a n. 5.

Si Septuageſima venerit in Dominicam quintam poſt Epiphaniam, tunc in Sabbato hoc, quod eſt poſt Dom. 4. Epiphaniæ, & quod in dicto caſu erit immediate ante Dominicam Septuageſimæ: in Martyrologio ad Primam, & in Veſperis fiat quod notabimus in Sab. poſt Dom. 6. Epiphaniæ.

CAPUT VII.

Not. in Hebdomada V. poſt Epiphaniam.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. V. poſt Epiphaniam.

De Horis Canonicis, & Miſſa.

SI Septuageſima venerit in hanc Dominicam quintam poſt Epiphaniam, hæc Dominica quinta transfertur poſt Dom. 23. Pentec. ſi autem ibi non habuerit locum, anticipatur in hebdom. præced. Vid. dict. 1. par. hujus 2. par. c. 1. a n. 4. & c. 2. a n. 5. 1

ARTICULUS II.

Not. in Fer. II. poſt Dom. V. Epiphaniæ.

De Horis Canonicis, & Miſſa.

SI Septuageſima venerit in ſequentem Dominicam ſextam poſt Epiphaniam tunc Dominica ſexta transfertur poſt Dom. 23. Pentec., ſi autem ibi non habuerit locum fiet de ea in hac hebdomada, die & ratione explicatis par. 1. hujus 2. par. c. 1. a n. 4. & c. 2. a n. 5. 2

ARTICULUS III.

Not. in Sabbato poſt Dom. V. Epiphaniæ.

De Horis Canonicis, & Miſſa.

3 SI Septuageſimæ venerit in Dominicam ſextam poſt Epiphaniam, tunc Dominica ſexta transfertur poſt Dom. 23. Pentec. ſi autem ibi non habuerit locum, fiat de ea in hoc Sabbato; niſi jam factum fuerit in diebus præcedentibus. Vide dicta 1. par. hujus 2. par. c. 1. a n. 4. & c. 2. a n. 5.

Si Septuageſima venerit in Dominic. 6. poſt Epiph. tunc in Sabbato hoc, quod eſt poſt Dominicam quintam Epiph. & quod in dicto caſu erit immediate ante Dominicam Septuageſimæ: in Martyrologio ad Primam & in Veſperis fiat quod notabimus in Sab. poſt Dom. 6. Epiphan.

CAPUT VIII.

Not. in Hebdom. VI. poſt Epiphaniam.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. VI. poſt Epiphaniam.

De Horis Canonicis, & Miſſa.

1 SI Septuageſima venerit in hanc Dominicam VI. Epiphaniæ transfertur poſt Dom. 23. Pentec., ſi autem ibi non habuerit locum, anticipatur in hebdomada præcedenti. Vide dicta 1. par. hujus 2. par. c. 1. a n. 4. & c. 2. a n. 5.

ARTICULUS II.

Not. in Sabbato poſt Dom. VI. Epiphaniæ, ſeu in Sabbato, quod immediate præcedit Dominicam Septuageſimæ.

De Horis Canonicis.

SABBATUM poſt Dom. VI. Epiphaniæ per ſe immediate præcedit Dominicam Septuageſimæ; ſæpiſſime autem accidit, poſt Epiphaniam non ſupereſſe ſex Dominicas uſque ad Septuageſimam, ſed pauciores: ſecundum dicta par. 1. hujus par. 2. c. 1. n. 4. Jamvero in Sabbato poſt Dominicam VI. Epiphaniæ ſeu in Sabbato poſt quamlibet Dominicam Epiphaniæ, quod immediate præcedat Dominicam Septuageſimæ notentur quæ ſequuntur. 2

Si aliquod feſtum duplex celebretur in Sabbato ante Septuageſimam, in 2. Veſperis poſt orationem feſti fit commemoratio de Dominica Septuageſimæ, & in fine dicitur ℣. *Benedicamus*, cum duplici *Alleluja*. *Rub. Brev. hic*.

Si autem celebretur feſtum ſemiduplex, a Cap. fit de Dominica Septuageſimæ ut in Pſalt. & prop. & fit commemoratio præcedentis cum Suffragiis Sanctorum, & poſt ultimam commemorationem dicitur ℣. *Benedicamus*, cum duplici *Alleluja*. Si vero occurrat dies 7. inf. oct. & recitatum hodie ſit de ea die; quid faciendum in his Veſp. V. lib. 1. p. 1. c. 2. n. 12.

Itaque in Sabbato ante Septuageſimam in Veſperis poſt ultimam orationem dicitur ℣. *Benedicamus Domino. Alleluja, Alleluja.* ℟. *Deo gratias. Alleluja, Alleluja*, & deinde

non

non dicitur *Alleluja* uſque ad Sabbatum Sanctum; & ubi habetur *Alleluja*, tacetur, & nihil ejus loco dicitur. *Rubr. gen. Brev. tit.* 21. *n.6.* ſed poſt *Deus in adjutorium*, ubi dicebatur *alleluja*, dicitur: *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ. Rub. Brev. hic* ob cauſas lib. ſequent. aſſignandas par. 1. c. 1. n. 4.

Bis autem canitur & repetitur prædictum *Alleluja* in Sabbato immediate ante Dominicam Septuageſimæ ex Decreto Alexandri II. ut referunt Microl. *de Eccl. obſervat. c.* 47. Durandus *in Ration. lib. 6. c.* 24. *n.* 18. Honorius *in Gemma lib.* 4. *c.* 117. *tit. de S. Steph.* fine, & Baron. apud Gavant. *in Rubr. Brev. ſect. 6. c. 9. n.* 1. Qui ritus in Martyrologio ad Primam pronunciatur hodie: & ſervandus eſt quodcumque feſtum hodie occurrat, & cum qualibet ſolemnitate celebretur; nequidem excepto caſu, in quo Officium ſequentis Dominicæ Septuageſimæ vacaret, & per ſolam commemorationem foret explendum. Quæ enim innituntur Myſteriis Eccleſiæ toti communibus, communem etiam obſervantiam expoſcunt, a qua declinare non valent particulares Eccleſiæ ob particularem quamcumque rationem; ut animadvertit Caval. *to.* 4. *c.* 18. *Comment. in D.* 7. *n.* 3. Porro tempus hoc, quod ingredimur, eſt tempus triſtitiæ & mœroris, ut explicabitur lib. ſeq. l. cit. *Alleluja* vero eſt vox exultationis, & gaudii; deponitur itaque, quia non congruit. Deponitur autem cum reduplicatione prædicta ad majorem ſignificationem, & emphaſim, ait Gavant. loc. cit. Durand. item l. cit. dicit: fieri, quoniam in lapſu Adæ, qui erat in magna quiete gaudium perdidimus, ſed animabus requiem recuperamus, & corporibus in Reſurrectione denique geminabimus. Poteſt etiam dici: quod cum vox *Alleluja* ſit vox exultationis, & gaudii: cum reduplicatione deponatur in ſignum lætitiæ magnæ; ut teſtatur Durandus loc. cit. in quibuſdam Eccleſiis deponitur *Alleluja* cum gaudio magno. Hoc autem cur præſeferri poſſit in his Veſperis? explicamus; Deponitur itaque in quibuſdam Eccleſiis *Alleluja* cum gaudio magno quamvis in aliis cum gemitu, & ſuſpirio; illam autem repræſentare, putat Durandus futuram reparationem; iſtas de Paradiſo ejectionem. Poteſt etiam dici: priores ſignificare animi promptitudinem, imo & lætitiam, cum qua Chriſtianus populus proſpera, & læta deponit, & pœnitentiæ operibus ſeſe addicit.

In Veſperis autem Sabbati deponitur *Alleluja*, quia tunc dies Eccleſiaſticus incipit quoad Divina officia, ut notat Durand. loc. cit. atque adeo quoad Divina officia, Dominica Septuageſimæ, in qua deponitur *Alleluja*, incipit in Veſperis Sabbati ipſam præcedentis immediate. Vid. dicta tr. 1. loc. cit. c. 1. art. 1. n. 8. ita ut vocis *Alleluja* geminatio ad finem præcedentis temporis referatur, & ejus depoſitio luctui ſequentis temporis aſſignetur: ut notat Durandus.

TRA-

TRACTATUS SECUNDI LIBER TERTIUS.

NOTANDA A SEPTUAGESIMA AD FERIAM IV. CINERUM.

A Tempore Natalitio & quaſi Natalitio progredimur ad tempus prævium Quadrageſimæ, quod videlicet fluit a Septuageſima ad feriam IV. Cinerum. Et primo quidem more noſtro, quid pro toto hoc tempore, in genere animadvertendum ſit, expediemus: tum vero ſingulas ſpeciatim hebdomadas perluſtrabimus.

CAPUT I.

Notanda in genere.

De Horis Canonicis.

Pro toto Tempore a Septuageſima ad Feriam IV. Cinerum.

Ante Dominicam I. Quadrageſimæ tres Dominicæ ſemper præcedunt, quarum prior dicitur *Septuageſima*; poſterior *Sexageſima*; ultima *Quinquageſima*. Cur Dominici dies ante quadrageſimale jejunium ſic appellentur? diverſa multorum opinio eſt, ait Rabanus Maurus *Inſtit. Cleric. lib.* 2. *c.* 34. Videri poteſt Ordo Rom. *tit. de Septuageſ.* Durand. *in Rational. lib.* 6. *c.* 24. & ſequentib. Alcuinus *c. de Septuag.* & ſequentib. & ejuſdem epiſt. ad Carolum Magnum; & Caroli epiſt. ad Alcuinum, Rupertus *de divin. offic. lib.* 4. *a c.* 1. Hugo Victor. *de Special. Miſſar. obſervat. lib.* 3. *c.* 10. & duobus ſequentibus, Joannis Beleth *de divin. Offic. c.* 77. & 78. Raynaud. *to.* 2. *ſect.* 2. *c.* 11. *n.* 296. Azor. *Inſt. Mor. par.* 1. *l.* 7. *c.* 16. *qu.* 1. & 2. Gavant. *in Rubr. Miſs. par.* 4. *tit.* 5. *a n.* 4. Merat. ibi n. 3. Bened. XIV. *tom.* 1. *Notific.* 14. *n.* 2. Nos interim opinionem, quam probabiliorem credimus, indicantes, dicimus: prædictarum Dominicarum denominationes fuiſſe deſumptas a veteri varietate incipiendi ſolemne jejunium ante Paſcha. Porro illud olim inchoabant alii ante Paſcha diebus quadraginta: alii vero quinquaginta: alii autem ſexaginta: alii denique ſeptuaginta diebus ante Paſcha: pro varietate intermittendi perfectum jejunium: Vid. dicenda lib. 4. par. 1. art. 6. a n. 53. Jam vero cum Dominica in qua inchoabatur ſolemnis abſtinentia dierum quadraginta, dicta fuerit *Quadrageſima*, ſeu Dominica prima Quadrageſimæ; congruum fuit, præcedentem Dominicam, in qua, de aliorum, more abſtinentia eadem inchoabatur, nuncupare *Quinquageſimam*, & aliam rurſus præcedentem *Sexageſimam*: remotiorem vero *Septuageſimam*. Juxta hanc ſententiam videtur etiam aſſignari poſſe, quare non plus, nec minus quam tres Dominicæ præcedentes Dominicam I. Quadrageſimæ his ſpecialibus nominibus fuerint nuncupatæ? Laudatus autem Rabanus loc. cit habet: *Alii etiam, quorum ratio præ cæteris laudabilior mihi eſſe videtur, dicunt; Septuageſimam dictam*

eſſe

eſſe propter decem hebdomadas, quæ ſunt ab ipſo die uſque ad clauſum Paſcha, quo die albæ tolluntur veſtimenta a nuper baptizatis. Igitur in Apoſtolo legimus: regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, & ſignificat, uſque ad ultima tempora Legis, quæ per Moyſen data, decurrit in Chriſti Dei noſtri tempora. Porro Sexageſimam inde dici poſſe quia ſexaginta dies ſunt uſque ad medium Paſchæ, quod erit feria quarta Paſchalis hebdomadis. Quinquageſimam vero rite dictam eſſe eo quod tali (alias: æquali) *numero pervenit uſque in diem ſanctum Reſurrectionis. Quadrage narium etiam numerum ita ibi poſitum; quod cum Dominica ſua concurrat ad myſticum Paſca Hebræorum, quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus cum Diſcipulis ſuis celebravit, & nos dicimus Cœnam Domini. Sed hæc omnia nos ita hic poſuimus, ſicut in aliorum dictis, vel ſcriptis comperimus, Lectori viam dantes, ſi quæ veracius, & rationabilius exquiſita invenerit obtinere.* Hæc Rabanus.

2 Totum hoc tempus a Septuageſima videlicet ad Quadrageſimam videtur quaſi præludium ſolemniſſimæ obſervantiæ quadrageſimalis; in multis enim æquiparatur illi in Officio, & Miſſa, & eſt tempus laboris, ſeu pœnitentiæ, atque mœſtitiæ. Durand. *in Ration. cit. c.* 24. *n.* 1. Joan. Beleth *cit. c.* 77. Amalar. *de Eccleſ. Offic. lib.* 1. *c.* 1. ob rationes mox explicandas. Quapropter Concilium Mediolanenſe III. ſub S. Carolo Borromeo tit. *de feſtorum dierum cultu*, rite ſit monet Epiſcopum: *Studeat etiam Epiſcopus, ut quo tempore in Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ hebdomadis Eccleſia Mater, & officiorum ritu, & hymnis, canticiſque, fidelium mentes ad mæſtitiam, atque pœnitentiam excitantibus, & omni denique tum veſtimentorum, tum aliarum rerum apparatu populum Dei inſtruit, ac præparat tot ante diebus ad ſancte recolendam Chriſti Domini Paſſionem, & Crucem, eo potiſſimum tempore fideles ſibi in curam traditos, ſpectacula, ludos ſcœnicos, & alia, quæ gentilitatis ſpeciem præſeferunt, tunc præſertim morum corruptelis introducta, illa ipſa tamquam a Sanctiſſimis Eccleſiæ inſtitutis abhorrentia omnino fugientes, ad pietatis chriſtianæ ſtudia, & ad orationem attentiores ſint propoſita omni chriſtianarum actionum exercitatione.* Quæ Concilii verba etiam laudat Bened. XIV. l. cit. n. 8. Legatur item ejuſdem epiſt. incip. *Inter cætera*. 45. to. 2. Bullarii ejus & videantur dicenda c. 3. n. 1.

Deponitur *Alleluja* a primis Veſperis Dominicæ Septuageſimæ poſtquam fuerit bis repetitum in prædictis Veſperis ob rationes explicatas in Sabbato poſt Dom. 6. Epiph. Igitur a Septuageſima uſque ad Paſcha, ubi habetur *Alleluja* tacetur, neque aliud ejus loco dicitur: *Rub. gen. Brev tit.* 21. *n.* 6. *& Rub. gen. Miſs. tit.* 10. *n.* 4. etiam in Antiphonis, ubi in Breviario ſit *Alleluja*, omittatur. Gavant. *in Rubr. Brev. ſect.* 6. *c.* 9. *n.* 3. Ad initium autem Horarum poſt *Deus in adjutorium*: & *Gloria Patri*: loco *Alleluja* dicitur, *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ*. A Muſicis vero pro *Laus tibi ec.* dicitur: *In æternum*: ut ait Gavant. l. cit. & Jo. Beleth. c. 79. Omittuntur item a Dominica Septuageſimæ cantica lætitiæ, unde non dicitur *Te Deum*, ſed nonum Reſponſorium in Dominicis in Officio Dominicali, ſimiliter in feriis in Officio feriali. uſque 3

ad

ad Paſcha; dicitur tamen in feſtis. *Rubr. gen. Brev. tit.* 31. *n.* 1. *&* 2. *& Rubr.* in Dominica Septuageſimæ, & Gavant. *in Rubr. Brev. ſect.* 6. *c.* 9. *n.* 1. & in *Rubr. Miſs. par.* 4. *tit.* 5. *n.* 13.

4 Vocem hebraicum *Alleluja* varie interpretantur Auctores, ut indicabimus in Sabbato Sancto n. 356. ubi etiam docebimus: eam, ſaltem nunc, haberi pro voce exultationis, & lætitiæ. Denotat autem, atque figurat omnis noſtræ lætitiæ, & exultationis cauſam Chriſtum Redemptorem Mundi: ut vult Rupertus, cujus verba mox recitabimus, & oſtendit Raynaudus l. cit. a nu. 293. *Alleluja* omittitur toto hoc tempore, ſicut & alia Cantica lætitiæ, puta *Te Deum*, & *Gloria in excelſis*: quia hoc tempore rapræſentatur genus humanum lapſum ob originale peccatum, de quo fit mentio principalis in Septuageſima. Ivo Carnot. *ſerm. de Septuageſ.* & alii. Profecto non decet cantare *Alleluja*, quando recolimus primi hominis caſum: ut ſignificat Leo IX. relatus in *C. Hi duo*. 55. *diſt.* 1. *de conſecr.* his verbis: *Hi duo ſolummodo hymni ab Angelis in novo Teſtamento inveniuntur decantati*: Alleluja; *atque* Gloria in excelſis: *quos pariter in Septuageſima intermittimus, quia peccato hominis veteris a Conventu Angelicæ jubilationis expulſi, in hujus miſeræ vitæ Babylonem, ſuper flumina ejus ſedemus, & flemus, dum recordamur illius Sion, in qua Deum decet hymnus*. Rurſus toto hoc tempore a Dominica Septuageſimæ uſque ad Sabbatum Sanctum partim commemoramus ſtatum antiquæ Eccleſiæ nondum redemptæ, quando nondum advenerat Chriſtus Salvator; partim commemoramus tempus Paſſionis ejuſdem Chriſti Domini, quando a nobis ſublatus eſt, & ideo tacetur *Alleluja*, quod Chriſtum denotat, & figurat: atque adeo eſt tempus mæſtitiæ, ac luctus. Ita ſentit Rupertus *lib.* 4. *de Divin. Offic. c.* 5. ubi ſic ait: *Cum vero plorabilem antiquæ Eccleſiæ nondum redemptæ ſtatum commemoramus, quia prolongatus eſt, deplangimus, pulchro ſatis ordine* Alleluja *ab ore noſtro tollitur; quia videlicet, qui per illud ſignificatur, illis nondum venerat; a nobis jam receſſit, & ablatus eſt ſponſus a filiis ſuis*. Hæc Rupertus. Videri etiam poteſt Durand. *in Ration. lib.* 6. *c.* 24. *a n.* 15. & c. 25. Deponitur autem *Alleluja* a primis Veſperis Dominicæ Septuageſimæ, hoc eſt a Sabbato eam præcedente: ob rationem ibi explicatam. Ad initium Horarum, poſt: *Deus in adjutorium*; & *Gloria Patri*, loco *Alleluja*, dicitur: *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ*, ut humilitatem præferamus, humiliore uſi ſermone, quemadmodum ſignificant Alcuinus in poſteriori capite *de Septuageſ.* Amalarius *de Eccleſ. Officiis lib.* 1. *c.* 1. Joan. Beleth. *c.* 79. Durand. *cit. c.* 24. *n.* 19. ubi docent, ideo pro *Alleluja* in principio Horarum Canonicarum dici: *Laus tibi ec.* quia, inquiunt, *Alleluja* eſt vox angelica, & hebraica; iſta vero humana, & latina atqueadeo illa dignior præ iſta. Rurſus notat ibidem Durandus linguam hebraicam eſſe opulentiorem lingua græca, & hanc ditiorem lingua latina, atqueadeo non utimur lingua hebraica, neque græca, ſed latina, quia cum hæc pauperior videatur, eam adhibendo, ſignificamus paupertatem præſentis vitæ.

A Septuageſima ad Dominicam de Paſ-

Paſſione legitur Geneſis, & Exodus, quia Paſſionem Domini celebraturi, recurrere debemus ad Adæ peccatum, pro quo paſſus eſt; & dum legitur de Patriarchis Abraham, Iſaac, & Jacob, quaſi de diverſis ætatibus ad Chriſtum Choros Patrum deducimus. Rupertus *de divin. Offic. lib.* 4. *c.* 4. & ex eo Gavantus *in Rubr. Brev. ſect.* 5. *c.* 12. *n.* 8.

5 De Dominica ſemper fit Officium in Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ, quocumque feſto duplici, vel ſemiduplici adveniente, quia tunc Feſtum transfertur in primam diem feſto duplici vel ſemiduplici non impeditam; niſi illud feſtum occurrens in prædictis Dominicis ſit primæ claſſis, puta de principali Titulo, vel Patrono alicujus Eccleſiæ, vel loci, aut Dedicationis propriæ Eccleſiæ, quia tunc de hujuſmodi feſto, eo quod ad afficiendum populum maxime valeat, fit tantum in Eccleſia, vel loco, cujus eſt Titulus, vel Patronus, vel Dedicatio, cum commemoratione Dominicæ in utriſque Veſperis, & Laudibus, ac nona lectione de homilia Dominicæ. *Rubr. gen. Brev. tit.* 4. *n.* 1. *&* *tit.* 9. *n.* 4. *& tit.* 10. *nu.* 1. & in duabus tabellis excerptis *ex Rub. gen. Brev.* & Gavantus in *Rub. Brev. ſect.* 3. *c.* 5. *n.* 11.

Quæſitum fuit; an in Diœceſibus (quibuſdam Galliæ), *in quibus in Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ fit Officium B. M. V. illis Dominicis occurrentis* (videlicet Purificationis, B. M. dup. 2. cl. etiamſi in illis Dominicis occurrat ex peculiari hujuſmodi Eccleſiarum ritu, Vide dicta 2. Februarii numer. 10.) *debeant, vel poſſint Patres Cappuccini iis diebus recitare idem Officium* (ritus duplicis ſecundæ claſſis,) *cum ſola commemoratione & nona lectione Dominicæ in gratiam Populorum ad ſuas Eccleſias accedentium? & reſponſum fuit negative*. S.R.C. 14. Febr. 1705. in una Ordinis Cappuccinorum Galliæ apud Caval. *to.* 2. *par.* 2. *c.* 41. *d.* 10. Vide dicta 2. Februarii n. 10.

In prædictis Dominicis ſi occurrat feſtum ſimplex fit de eo ſola commemoratio ſine nona lectione de eodem, etiamſi illam habeat in Brev. *Rubr. gen. Brev. tit.* 9. *nu.* 10. quia cum dicendum ſit nonum Reſponſorium, non congruit legere nonam lectionem de Sancto.

Præfatæ Dominicæ dicuntur eſſe majores 2. claſſis, in duobus tabel. excerptis ex Rubr. gen. Brev. ſeu privilegiatæ, eo quod excludant in occurſu omnia feſta præter feſtum primæ claſſis occurrens, quemadmodum dictum eſt; cæterum earumdem Dominicarum ritus eſt ſemiduplex. *Rubr. gen. Brev. tit.* 2. *n.* 1. Concurrentibus tamen cum ſequenti duplici etiam 1. cl. fit nihilominus de iiſdem commemoratio. Vide dicta lib. 1. par. 2. n. 1.

6 Pſalmus *Confitemini*, qui dici ſolet in Dominicis ad Primam, non dicitur a Septuageſima uſque ad Paſcha, ſed ejus loco dicitur: *Dominus regnavit*: quia Pſalmus *Confitemini* prædicto tempore dicitur ad Laudes poſt pſalmum *Miſerere* in Dominicis, ut ſuo loco ponitur in Pſalterio. *Rubr. gen. Brev. tit.* 22. *nu.* 3. Taceri autem putantur ad Laudes Pſalmus *Dominus Regnavit*, *&* *Jubilate*, ac ſupponi Pſal. *Miſerere*, *&* *Confitemini*; eo quod magis congruant tempori pœnitentiæ, & luctus, quale eſt tempus præſens, ut ſupra dictum eſt.

eſt. Vid. Amalar. *de Eccl. Offic. lib. 4. c.* 18. Bened. XIV. *tom.* 1. *Notiſic.* 14. *n.* 6. Et quidem de Pſalmo *Miſerere* id patet. Pſalmus vero *Confitemini*, proculdubio propter illa præſertim verba: *De tribulatione mea invocavi Dominum:* ad tempus mœroris poterit pertinere. Pſalmus autem, *Dominus regnavit:* Dominicalibus ſuppreſſus in Laudibus, ſuppletur in Prima, in eaque reponitur, fortaſſe ne plane omittatur: congruit enim Dominicæ, quia loquitur tum de creatione Orbis terræ., quæ in Dominica facta eſt; unde hujus pſalmi titulus: *Laus cantici ipſi David in die ante Sabbatum, quando fundata eſt terra:* tum de Reſurrectione Domini, quæ item accidit in Dominica, & in Dominica commemoratur. Confer dicta tr. 1. l. 2. ubi de die Dominica n. 5.

7 *In primis Veſperis communibus diei octavæ, & Dominicæ privilegiatæ, Veſperæ debent recitari cum pſalmis Sabbati, & a Capitulo de Dominica privilegiata, addendo in fine commemorationem diei octavæ.* S. R. C. 9. Novemb. 1622.; apud Caval. *to* 2. *c.* 18. *d.* 1. Videre hic oportet dicta hoc tr. 2. lib. 1. part. 1. c. 2. n. 12.

Si feſtum duplex ſecundæ claſſis habens octavam, occurrens in Dominica privilegiata, transferatur in Sabbatum ante aliam Dominicam privilegiatam: ſecundæ Veſperæ erunt de eodem feſto, ut in ſecundis Veſperis ejuſdem feſti cum commemoratione Dominicæ, ſed in ipſa Dominica ad Laudes, & ſecundis Veſperis fiet commemoratio diei octavæ. Quod ſi dies octava habeat orationem propriam, hæc non dicetur in Sabbato in ſecundis Veſperis, ſed ſolum in Dominica ad commemorationem octavæ, ut habetur ex declaratione ſequentis S. R. C. *Ex parte Cleri Eccleſiæ Toletanæ quæſitum fuit an occurrente feſto duplici 2. claſſis octavam habente cum Dominica Septuageſimæ, ſi (ſequentibus feriis occupatis) transfertur ad ſequens Sabbatum, ſecundæ Veſperæ erunt ut in primis, aut in ſecundis Veſperis feſti cum commemoratione Dominicæ in Sexageſima: vel erunt de Pſalterio a Capitulo Dominicæ cum commemoratione diei octavæ? & quid, ſi dies octavus habeat orationem propriam? & S. R. C. Ponente Eminentiſſimo Zondadari reſpondit: ſecundas Veſperas feſti fieri debere cum commemoratione Dominicæ in Sexageſima, & in die octavæ eſſe recitandam orationem propriam.* Ita die 15. Septembr. 1736. in Toletana. Apud Caval. *to.* 2. *c.* 18. *d.* 13.

Fere omnes feriæ Septuageſimæ, 8
Sexageſimæ, & Quinquageſimæ habent Antiphonas proprias ad *Magnificat*. Habent autem hæ feriæ antiphonas proprias, quia non ſunt ita communes, ut aliæ per annum: ratio facile patet ex dictis ſupra n. 2. initio. Non ſunt vero ipſarum Antiphonæ ita propriæ, ut aliæ Adventus, & Quadrageſimæ, quarum feriarum Antiphonæ nunquam omittuntur.

Omnes harum feriarum Antiphonæ novem ſunt, & inter eas certus quidam eſt gradus; quatuor enim Antiphonæ in Veſperis ſunt aſſignatæ feriis Septuageſimæ; tres feriis Sexageſimæ; duæ feriis Quinquageſimæ. Cui numero Antiphonarum, & diſtributioni aliquid fortaſſe myſterii ineſſe, putat Gavantus *in Rubr. Brev. ſect. 6. c. 9. num.* 8. In feria autem ſexta nulla eſt Antiphona, quia ſaltem de S. Maria in Sab. fit in Veſperis a Capitulo. Gavant. loc. cit.

In anno biſſextili , ſi in feria ſexta Sexageſimæ Veſperæ ſint feriales, quænam ſit Antiphona ad *Magnificat* recitanda ? notabimus in feria quinta Sexageſimæ, ex eodem Gavanto.

CAPUT II.

De Miſſa.

1 NON dicitur *Gloria in excelſis* in Dominicis, & feriis a Septuageſima ad feriam quartam Cinerum quando non dicitur Miſſa de feſto; quia nec in officio dictum eſt *Te Deum*. Rubr. gen. Miſs. *tit.* 8. *n.* 3. & numquam dicitur *Alleluja*. Omittuntur autem hujuſmodi Cantica, voceſque lætitiæ, ob rationes aſſignatas cap. præc. n. 4.

2 Hoc tempore ante Purificationem B. V. & in ipſa die Purificationis, ſi in ea occurrerit Dominica, dicitur ſecunda oratio de B. V. (cujus partus adhuc reſpectus habetur uſque ad diem Purificationis illius, etiam quando a Septuageſima accidat præveniri) & tertia oratio *Eccleſiæ* vel pro Papa, ut in Dom. 2. Epiphan. Poſt Purificationem vero uſque ad feriam quartam Cinerum excluſive, quando non eſt duplex, dicitur 2. oratio *A cunctis*, 3. ad libitum. *Rubr. Miſs. in Dom. Septuag. & in Rubr. gen. tit.* 9. *nu.* 2. & Gavant. *in Rubr. Miſs. par.* 4. *tit.* 5. *n.* 13. Merat. *ibi n.* 4. Vid. dicta tr. 1. lib. 3. 2. Februarii n. 61. & 62. Si in Dominicis infra hoc tempus occurrat dies octava, in Miſſa, quæ erit de Dominica privilegiata, duæ tamen dicentur orationes, nimirum poſt primam orationem de Miſſa; tantum commemoratio octavæ, & ſimiliter ſi Dominica occurrat infra octavam, quæ non amittit privilegium proprium octavarum occurrentium in Dominicis: ut cum Gavanto, & Bauldry animadvertit Merat. cit. n. 4. niſi ſimul facienda occurrat alia commemoratio, puta feſti Simplicis.

3 A Septuageſima uſque ad feriam quartam Cinerum poſt Graduale, omiſſo *Alleluja*, & ℣. ſequenti, dicitur Tractus. Dicitur autem in Dominicis tantum, & in feſtis, ſeu Miſſis Sanctorum, ac feſtorum, etiamſi legatur Miſſa votiva: diciturque, ut in proprio deſignatur; vel habetur in reſpectivo Communi cum aliis. Merat. *to.* 1. *par.* 1. *tit.* 4. *n.* 45. In feriis vero, quando repetitur Miſſa de Dominica, non dicitur, ſed tantum Graduale. *Rubr. Miſs. in Dom. Septuag. & in Rubr. gen. tit.* 10. *n.* 5. Merat. *cit. nu.* 4. Omittitur autem Tractus in feriis in prædicto caſu, quia Tractus eſt luctus ſolemnis, qui in concurſu populi conſueto in Dominicis, & feſtis tantum eſt faciendus. Gavant. *in Rubr. Miſs. par.* 1. *tit.* 10. *n.* 5. *lit. V. & part.* 4. *tit.* 5. *n.* 14. Profecto Tractus idem eſt ac luctus, ex Ordine Romano *tit. de Septuageſima*; intellige hujuſmodi vocem luctum indicare, hoc eſt, ut dicit Hugo Victor. *in Specul. Eccl.* c. 7. gemitum, & cantum lacrymabilem exprimere; nam, ut recte docet idem Hugo *de Eccleſ. Officiis lib.* 2. *cap.* 19. *fine*, Alcuinus, *in poſteriori cap. de Septuageſ.* Amalarius *de Eccl. Offic. lib.* 1. *c.* 1. Durand. *in Ration. lib.* 6. *c.* 25. *n.* 6. Gavant. *in Rubr. Miſs. par.* 1. *tit.* 10. *nu.* 5. Tractus dicitur a trahendo; unde etiam dicit Azorius *Inſtit. Moral. par.* 1. *lib.* 10. *c.* 34. *qu.* 8. hujuſmodi verſiculos poſt Epiſtolam recitatos appellari Tractum

eo *quod ſint verſiculi, & ex imo pectore quædam veluti tractæ voces lugubres*. Et hoc quidem ſignificat Rupertus *de Divin. Offic. lib.* 4. *c.* 6. & Hugo Victorinus *in Specul. Eccl. c.* 7. qui tamen ibidem, & *de obſervat. Miſs. lib.* 3. *c.* 3. docet, Tractum aliquando etiam ſonare lætitiam; idipſum dicit Amalarius *de Eccl. Offic. l.* 3. *c.* 14. Vide dicenda in Sabbato Sancto n. 328. ſed communiſſime Tractus Luctum indicat, & mœrorem. Ponitur autem Tractus hoc tempore, ad notandum, quod in gemitibus, & ſuſpiriis vitam trahimus propter peccatum primi parentis. Rupert. *de Divin. Offic. lib.* 5. *c.* 13. Innoc. III. & alii. Cæterum *Tractus* apud Væteres erat genus quoddam canendi. Porro apud illos canendi rationum genera quatuor inveniuntur; quod ad nos attinet, ex iis erat *Tractus*, ubi Pſalmus perpetuo quodam tractu, unoque ſpiritu, nulla mora, vel reſponſione interpoſita recitabatur. Vide Merat. *to.* 1. *par.* 1. *tit.* 10. *n.* 5. Emmanuel. Azeved., *de Div. Offic. Exercit.* 3.

4 In fine Miſſæ dicitur *Benedicamus Domino:* quia non eſt dictum *Gloria in excelſis:* diciturque facie verſa non ad populum, ſed ad altare. *Rubr. Miſs. in Septuag. & in Rubr. gener. Miſs. tit.* 13. *n.* 1. *& de Rit. celebr. tit.* 11. *nu.* 1. fine; quia Celebrans hortatur populum, ut ſecum uniatur, ad benedicendum Dominum, qui peculiari modo adeſt ſuper altare. Biel allegatus a Benedicto XIV. *de Miſs. ſect.* 1. *c.* 23. §. 2. ſub initium, & cum Micrologo, & Gavanto Meratus *to.* 1. *par.* 2. *tit.* 11. *n.* 5. Non dicitur, *Ite Miſſa eſt*; ad ſignificandam mœſtitiam hujus temporis: ut interpretantur Micrologus *de Eccl. obſervat. c.* 46. & Cardinalis Bellarminus *tom.* 3. *controverſ. lib.* 6. *de Miſſa c.* 27. ubi ſic habet: *Videtur enim neſcio quid lugubre præſeferre, quod non publica denuntiatur dimiſſio, ſed unuſquiſque per ſe diſcedit*. Aliam rationem aſſignabimus lib. 4. par. 1. c. 4. n. 6. Dicitur itaque: *Benedicamus Domino:* Reſpondeturque: *Deo gratias*. Rubr. gener. Miſs. *tit.* 13. *num.* 1.

Color paramentorum violaceus, *ex Rubr. gener. Miſs. tit.* 18. *n.* 5. competit luctui, & pænitentiæ, atque adeo tempori huic; recole dicta cap. præced. n. 4. & hic n. 3. & vide dicta 2. Februarii n. 18. & die 23. ejuſdem n. 19. & quidem in ſupradictis Dominicis in Officio de tempore adhibetur ſemper color violaceus, etiamſi occurrant infra octavam Sancti, cui competat color rubeus, vel albus. *Rubr. cit. n.* 2. *&* 3. 5

Si feſtum Purificationis B. V. M. venerit in Dominica Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ, quid notandum pro Miſſa Vid. tr. 1. 2. Februarii art. 4. num. 58. 59. & 61. fine.

CAPUT III.

De Expoſitione Euchariſtiæ ad coercendos Ludos bacchanales, & de Indulg. plen. conceſſa viſitantibus illam.

EXPOSITIONEM ſolemnem Euchariſtiæ infra hebdomadas Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ ad coercendos ludos bacchanales, commendavit Benedictus XIV. & Indulgentiam plenariam conceſſit viſi- 1

viſitantibus illam in Statu Eccleſiaſtico. Quam Indulgentiam deinde ad omnes Chriſtifideles extendit Clemens XIII. Porro laudatus Pontifex Benedictus Epiſt. Circul. 45. to. 2. Bullarii ſui incip. *Inter cætera*, prope finem hæc habet. *Curandum vobis* (Epiſcopis Ditionis temporalis Pontificiæ) *eſt, ut in una, aut in pluribus Eccleſiis Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum per triduum publico cultui exponatur, & quotidie populus ad Veſperum benedicatur in Septuageſimæ, aut Sexageſimæ, aut Quinquageſimæ hebdomadis, aut tribus omnibus. Nos interea fidelibus hac noſtra Epiſtola circulari plenariam Indulgentiam concedimus, quæ a vobis ſolitis formulis promulgabitur; quæque cum* ad opus pium *directa ſit, non impeditur alia plenaria Indulgentia, quam Eccleſia, ubi Euchariſtia exponitur, aliis de cauſis habere poſſit; plenam, inquam, culparum veniam impertimur quibuslibet Chriſtifidelibus, qui Pœnitentia, & ſacra Synaxi rite muniti, ſingulis diebus Auguſtiſſimum Chriſti Corpus viſitaverint, Deum orantes juxta Eccleſiæ mentem, quam deſuper expoſuimus*. Hæc laudatus Pontifex. Mens autem Eccleſiæ indicata, quam juxta ſcilicet erit orandum, proculdubio continetur ejuſdem Epiſtolæ verbis tenoris hujus: *Nec huic morum perverſitati* (de ludis bacchanalibus loquitur:) *Eccleſia, ut potuit, non opportune conſuluit, & ſemper precibus, operibus piis enixe Dei præſidium imploravit*, ut pœnas impiis debitas differret, & omnipotenti auxilio ſuo huic malo remedia præberet.

2 Deinde Clemens XIII. præfatam Indulgentiam plenariam conceſſam a Benedicto XIV. pro Statu Eccleſiaſtico, extendit ad omnes Eccleſias Catholici Orbis pro Triduo Expoſitionis SS. Sacramenti in hebdomada ſive Septuageſimæ, ſive Sexageſimæ, ſive Quinquageſimæ, vel in Singulis prædictis hebdomadis, vel in ſola Firia V. infra hebdomadam Sexageſimæ, ut conſtat ex Decreto tenoris ſequentis.

Cum alias Benedictus XIV. ad frequentes Epiſcoporum Pontificiæ Ditiones querelas gravioribus abuſibus, qui Bacchanalium tempore irrepſerunt, opportuno remedio occurrere concupierit perſpexeritque in aliquibus Eccleſiis ſalutari conſilio inſtitutam eſſe Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti Expoſitionem per tres dies, ſive in hebdomada Septuageſimæ, ſive in altera Sexageſimæ, aut Quinquageſimæ ante diem Cinerum, ad hoc præcipue, ne fideles tempore tentationis a via Domini recederent, & in prædictis Eccleſiis pie orantes Divina impetrarent auxilia, univerſis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus confeſſis, & ſacra communione refectis, qui eaſdem Eccleſias, in quibus Venerabilis Expoſitio, ſive in uno, ſive in ſingulis prædictis Triduis fieret, devote viſitarent, Indulgentiam plenariam miſericorditer conceſſit, & indulſit. Hinc SS. DD. N. Clemens divina Providentia Papa XIII ſeculo recogitans præfatam Auguſtiſſimi Sacramenti Expoſitionem plurimum hiſce diebus profuiſſe, ac deinceps fore profuturam, eamdem Plenariam Indulgentiam ad quaſcumque Catholici Orbis Eccleſias ubicumque locorum exiſtentes, ubi Venerabilis Expoſitio ſive in hebdomada Septuageſimæ, ſive Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ, ſive in ſingulis prædictis hebdomadis per tres dies, atque etiamſi tantummodo in feria quinta infra hebdomadam Sexageſimæ

mæ peragatur, ex uberi Pontificiæ charitatis fonte benigniſſime extendit.

Datum Romæ ex Secretaria Sacr. Congregat. Indulgent. die 23. *Julii* 1765. apud Ferrar. V. Indulg. art. 6. n. 44. edit. Dom. anni 1767. Videri hic poſſunt dicenda in Dominic. Quinquageſ. ſect. 2. n. 4.

CAPUT IV.

Notanda pro Hebdomada Septuageſimæ.

ARTICULUS UNICUS.

De Dominica.

POSTQUAM tempus Quadrageſimæ proprium in genere conſideravimus, ad ſingulas accedimus hebdomadas: & jam quæ de Dominica Septuageſimæ notanda occurrunt quatuor Sectionibus exponemus.

Sect. I. *De Horis Canonicis.*
Sect. II. *De Miſſa.*
Sect. III. *De Indulgent.*
Sect. IV. *Not. pro Bulla Cruc.*

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

1 DOMINICA Septuageſimæ ſemid. 2. cl. cedit quidem feſtis dupl. 1. cl. puta Loci Patroni, Tituli Eccleſiæ, & ejusdem Dedicationis, quæ ad afficiendum populum maxime valent, aliis autem minime cedit Sanctorum feſtis. Gavant. *in Rubr. Brev. ſect.* 3. *c.* 5. *n.* 11. Vide dicta 1. par. c. 1. n. 5. Officium, ut in Pſalt. & propr. Si occurrat feſtum ſimplex, fit de eo commemoratio tantum ſine nona lectione de eodem. Vide dicta l. c.

Si in hac Dominica occurrat feſtum SS. Nominis Jeſu, transfertur in diem 28. Januarii. Vide dicta in Dom. 2. poſt Epiph. ſect. 1. a n. 5.

Quid faciendum ſit in 1. Veſperis hujus Dominicæ? Diximus in Sabbato poſt Dom. VI. Epiph. Alia, quæ Dominica hæc habet communia cum ſequentibus Dominicis quoad Officium, Vid. 1. par. c. 1.

SECTIO II.

De Miſſa.

SI Dominica Septuageſimæ vene- 2
rit ante feſtum Purificationis, vel ipſa die Purificationis, Or. ſecreta de S. Maria erit: *Tua Domine:* ut in ejuſdem Miſſa votiva, quæ ponitur legenda tempore a Purificatione uſque ad Paſcha. *Rubr. Miſs. in Dom. Septuageſ.* conformiter ad Rubr. gen. Miſs. tit. 7. n. 8. & notat etiam Gavantus *in Rubr. Miſs. par.* 1. *tit.* 7. *n.* 8. *l.* 9. Merat. *par.* 4. *tit.* 5. *n.* 4.

Si in hac Dominica occurrat feſtum Purificationis, quid notandum pro Miſſa? Vid. tr. 1. 2. Febr. art. 4. n. 58. 59. & 61. fine. Ea vero, quæ hæc Dominica habet communia cum ſequentibus quoad Miſſam Vid. 1. part. c. 2. Officium Miſſæ Dominicæ in Septuageſima bene interpretantur, & ſenſum myſticum explicant Rupertus Abbas *de Divin. Offic. l.* 4. *c.* 6. & Durand. *in Ration. lib.* 6. *c.* 25. qui videri poſſunt.

SECTIO III.

De Indulgentiis.

3 In Dominica Septuageſimæ habentur Indulgentiæ Stationum Urbis; celebratur autem hodierna *Statio ad Sanctum Laurentium extra muros*. De Stationibus agemus lib. 4. par. 1. c. 2. a n. 101. Quare autem hodie Statio habeatur ad Sanctum Laurentium? Id ait Durand. *in Ration. lib. 6. c. 25. n. 4.* eſſe, quia in Officio Miſſæ Septuageſimæ, quod incipit: *Circumdederunt me:* hæc verba ſunt: *Vox Eccleſiæ primitivæ plorantis in Abel Protomartyre præcentore, cujus ſanguis de terra clamavit ad Dominum, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit eum de manu Cain fratris ejus. Unde Statio eſt ad Sanctum Laurentium, cujus mors pretioſa novo, & inaudito genere paſſionis clamavit in Cœlum, & audita eſt in univerſum Mundum*. Eadem habet Rupertus *de divin. Offic. lib. 4. c. 6.*

De Indulgentia plenaria in Eccleſiis, ubi infra hanc hebdomadam fiat expoſitio ſolemnis Euchariſtiæ ad coercendos ludos bacchanales, diximus par. 1. c. 3.

SECTIO IV.

Not. pro Bulla Cruciatæ.

4 In Dominica Septuageſimæ ſolet publicari nova Bulla Cruciatæ in Regnis, in quibus conceſſa eſt. De hujuſmodi Bulla agemus lib. 4. par. 1. c. 2.

CAPUT IV.

Not. in Hebdomada Sexageſimæ.

ARTICULUS I.

Notanda in Dominica Sexageſimæ.

Explicantur Sectionibus II.

Sect. I. *De Horis Canonicis & Miſſa.*
Sect. II. *De Indulgentiis.*

SECTIO I.

De Horis Canonicis, & Miſſa.

Dominica Sexageſimæ Semid. 2 cl. ſi occurrat feſtum duplex, transfertur: niſi ſit 1. cl. puta Dedicatio Eccleſiæ, aut Titulus ejuſdem, vel Patronus principalis. Vide dicta 1. par. c. 1. n. 5. Officium ut in Pſalt. & prop. De Simplici fit commemoratio ſine lectione. Vide dicta loco cit. Si hæc Dominica impediatur feſto 1. cl. an lectiones 1. noct. reponendæ ſint infra hebdomadam prima die non impedita, licet non ſint initium Scripturæ? Vide in Dom. IV. Quadrag. sect. 1. nu. 2. 1

Quamvis hodierna Collecta ſit de Gentium Doctore, S. Paulo Apoſt. non eſt tamen omittendum ejuſdem particulare Suffragium in ſuffragiis, ſeu commemorationibus communibus. Nec obſtat; quod de eodem bis fieri non debet in eodem Officio; etenim ex Caval. *to. 2. c. 33. in d. 7. n. 3.* hujuſmodi regula valet quidem in Officio, commemoratione, vel aliquo votivo, etſi dumtaxat latenter nominetur Sanctus, de quo tamen fit Officium, vel commemo-

moratio ; ſecus vero ſi ratione Stationis in Collecta invectus exiſtat, quantumvis in hac expreſſo nomine, & qualitate haberetur. Jamvero Sanctus Paulus in Collecta hujus Dominicæ invectus exiſtit ratione Stationis, quæ hodie eſt ad illius Eccleſiam: ut ſtatim notabimus ex Durando; non ratione Officii aut commemorationis ejuſdem. Et hinc etiam eſt, quod in Collecta de S. Paulo non nominetur S. Petrus, quemadmodum cæteroqui ſemper fit, quando recitatur Officium, vel fit commemoratio S. Pauli, uti notavimus tr. 1. 18. Januarii n. 2. Hinc etiam eſt, quod licet in Miſſa votiva Apoſtolorum non dicatur oratio *A cunctis*, uti notavimus tr. 1. l. 2. in fer. 4. n. 1. attamen in Miſſa Dominicæ hujus recitetur oratio *A cunctis*, & non omittatur in ea Sancti Pauli commemoratio. Videri etiam poteſt Gavant. *in Rubr. Miſs. par.* 4. *tit.* 5. *nu.* 15. & confer dicta 22. Februar. n. 3. Ex dictis etiam colliges: non oportere caput inclinare ad nomen Sancti Pauli in hac Miſſa, quia nimirum Rubrica præſcribit inclinationem capitis ad nomen Sancti, de quo Miſſa legatur, vel fiat commemoratio. Vid. dicta tr. 1. 18. Januar. nu. 7. at in hac Miſſa S. Paulus non eſt invectus ratione commemorationis in ſenſu Rubricæ (confer Gavant. *in Rubr. Miſs. par.* 2. *tit.* 5. *n.* 2.) ſed ſimpliciter Stationis. Porro, ut notat Durandus *in Ration. lib. 6. c. 16. n. 6. & 7.* ſæpe ſecundum Stationes ordinantur Officia, ut hodie; quia enim Statio eſt ad S. Paulum, ideo fit de eodem mentio in Collecta; ideo autem fit hodie Statio apud S. Paulum, & ideo in fine Collectæ hujus diei dicitur: *Doctoris Gentium:* quia S. Paulus exiit ſeminare ſemen ſuum (juxta parabolam hodierni Evangelii) nimirum in agro Gentilitatis, ait Rupertus Abb. *de Divin. Offic. l.* 4. *c.* 7. Joannes Beleth *de Divin. Offic. c.* 146. & Durand. l. cit.

Si in hac Dominica occurrat feſtum Purificationis, quid notandum pro Miſſa? Vide tr. 1. 2. Febr. art. 4. n. 58. 59. & 61. fine. Ea vero quæ hæc Dominica habet communia cum præcedenti, & ſequenti quoad horas Canonicas & Miſs. Vid. part. 1. c. 1. & 2. reſpective. 3

SECTIO II.

De Indulgentiis.

IN Dominica Sexageſimæ habentur Indulgentiæ Stationum. Celebratur autem hodierna *Statio ad S. Paulum*. Recole dicta ſect. præc. n. 2. De Stationibus agemus lib. 4. par. 1. c. 2. a n. 101. 4

De Indulg. plen. in Eccleſiis, ubi infra hanc hebdomadam fiat expoſitio ſolemnis Euchariſtiæ ad coercendos ludos bacchanales, diximus par. 1. c. 3

ARTICULUS II.

Not. Fer. V. poſt. Dom. Sexageſimæ.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS III.

Sect. I. *De Horis Canonicis*.
Sect. II. *De Indulgentiis*.
Sect. III. *Not. pro jejunio Vigiliæ S. Matthiæ Apoſtoli*.

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

5 RUBRICA Breviarii de Antiphonis propriis ad Magnificat in feriis Sexageſimæ, ante feriam quintam hæc præſcribit: *Si prædictæ Antiphonæ ad Magnificat non potuerint dici in præcedentibus feriis, & in ſequenti feria quinta occurat fieri Officium de feria, dicatur ultima ex iis prætermiſſa, alioquin expletis omnibus ſumantur de pſalterio; quod ſemper fit, quando propriæ non habentur*. Ad ea vero Gavant. *in Rubr. Brev. ſect. 6. c. 9. n.* 8. hæc habet: *In feria quinta Sexageſimæ, & item ſexta in anno biſſextili dicuntur Antiphonæ, quæ in præcedentibus feriis fuerunt omiſſæ, ſi occurrat fieri de Sancto in iiſdem; vel certe de Pſalterio ſumuntur; non autem de feriis Septuageſimæ, quarum Antiphonæ ſi omittantur ob feſta Sanctorum, non reſumuntur in ſequenti hebdomada: quod perperam ſcripſere alii qui in Kalendariis Eccleſiarum particularium: neque Rubrica de his Antiphonis poſita ante feriam V. Sexageſimæ ſe extendit ultra ſuam hebdomadam*.

SECTIO II.

De Indulgentiis.

DE Indulg. plen. in Eccleſiis, in 6
quibus in hac feria V. infra hebdomadam Sexageſimæ fiat expoſitio ſolemnis Euchariſtiæ ad coercendos ludos Bacchanales, diximus hoc lib. 3. par. 1. c. 3. n. 2.

SECTIO III.

Not. pro jejunio Vigil. S. Matthiæ Apoſt.

SI Vigilia S. Matthiæ Apoſtoli in- 7
ciderit in hanc feriam V. in qua bacchanalis licentia laxior eſſe ſolet, an poſſit transferri jejunium ex hac feria V.? examinavimus tr. 1. 23. Febr. n. 37.

ARTICULUS III.

Not. Feria VI. poſt Dom. Sexageſ. in Anno biſſextili.

De Horis Canonicis.

IN Feria VI. Sexageſimæ in Anno 8
biſſextili, pro Antiphona ad Magnificat in caſu, quo Veſperæ integræ ſint de feria, eo quod in ſequenti Sabbato recitandum ſit de Vigilia S. Mathiæ: notetur quod ex Gavanto ſcripſimus in præcedenti feria V. n. 5.

AR-

ARTICULUS IV.

Not. in Sabbato poſt Dom. Sexageſimæ.

Pro Jejunio S. Mathiæ, & Hor. Canon.

9 DOCUIMUS 23. Februarii n. 29. quod incidente Vigilia S. Mathiæ Apoſtoli in feriam 2. aut. 3. poſt Dominicam Quinquageſimæ: etiamſi timeatur periculum tranſgreſſionis jejunii a populo occaſione Bacchanalium, non poſſit ab Epiſcopis transferri, multominus relaxari obligatio jejunii; ſed toties, quoties caſus, & periculum occurrit, Epiſcopi debeant habere recurſum opportuno tempore ad ſummum Pontificem pro facultate transferendi; qua obtenta, ſi ab ipſo Pontifice Summo dies non aſſignetur translationi conceſſæ, jejunium in hoc Sabbatum transferatur, In quo tamen caſu non eſſe transferendum Officium Vigiliæ, ſed manere affixum diei ſuæ: animadvertimus, atque notavimus eadem citata die 23. Februar. n. 3.

CAPUT V.

Not. in Hebdomada Quinquageſimæ.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS IV.

Sect. I. *De Horis Canonicis.*
Sect. II. *De Miſſa.*
Sect. III. *De Indulgentiis.*
Sect. IV. *Solvuntur nonnullæ quæſtiones ad bacchanales ludos pertinentes.*

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

DOMINICA Quinquageſimæ ſemid. 2. cl. ſi occurrat feſtum duplex, transfertur; niſi ſit 1. cl. puta Deditio Eccleſiæ, aut titulus ejuſdem, aut Patronus principalis. Vide dicta 1. par. c. 1. nu. 5. Officium ut in Pſalt. & propr. Si occurrat feſtum ſimplex, fit de eo commemoratio tantum ſine lectione de eodem. Vide dicta l. cit. Alia, quæ hæc Dominica habet communia cum præcedentibus Dominicis quoad horas Canonicas; vide cit. c. 1. Si hæc Dominica impediatur feſto 1. cl. an lect. 1. noct. reponendæ ſint infra hebdomadam prima die non impedita? Vide in Dom. IV. Quadrageſimæ ſect. 1. n. 2. 1

Nota hic. Ab aliquibus Veteribus feſtum Pentecoſtes, & totum inſuper tempus, quod intercurrit a Dominica Paſchæ Reſurrectionis ad Dominicam Pentecoſtes, vocari *Quinquageſimam*, ob rationem dicendam lib. 5. in Dom. Pentecoſt. art. 1. n. 2. Hoc monuiſſe juvabit ne tribuas huic Quinquageſimæ ea, quæ de illa loquentes, hoc eſt, de Pentecoſte, 2

ſte, vel tempore paſchali, ſcripſerint illi Veteres.

SECTIO II.

De Miſſa, & Expoſitione quam dicunt Quadraginta Horarum.

3 Si in hac Dominica occurrat feſtum Purificationis, quid notandum pro Miſſa? Vid. tr. 1. 2. Februar. art. 4. n. 58. 59. & 61. fine. Ea vero, quæ Dominica hæc habet communia cum præcedentibus Dominicis quoad Miſſam, Vid. par. 1. c. 2.

Officium Miſſæ Dominicæ in Quinquageſima bene interpretatur, & myſticum ſenſum explicat Durandus in *Ration. lib. 6. c. 27. a nu.* 10. Qui inter alia notat, quod *Communio* ſit: *Manducaverunt, & ſaturati ſunt nimis ec.* Id autem dicit, poni, & recitari, ad timorem, ut ſcilicet ad memoriam reducamus, quod dicitur de Judæis Pſalm. 77. *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum: & ira Dei aſcendit ſuper eos*. Quia enim comederant in Deſerto uſque ad nauſeam, ſtatim Deum ad iracundiam concitaverunt. Ut videlicet incutiatur nobis timor, ne per gulam offendamus Deum, ſicut Judæi. Hæc autem facit Eccleſia, inquit idem Durandus, quia ſolent homines magis intendere gulæ propter carnis privium, quod imminet.

4 Nota hic: quod in nonnullis Eccleſiis jam a ſæculo decimo ſexto, ut ſcribit Benedictus XIV. *to. 1. Notific. 14. nu.* 8. fieri ſoleat ſolemnis Euchariſtiæ expoſitio, & oratio quadraginta horarum, quotannis in ultimo Triduo bacchanalium dierum, ab hac ſcilicet Dominica in Quinquageſima: ad coercendam nimiam Mundanorum licentiam, & diſſolutionem; ad fovendam proborum fidelium pietatem, eoſque in timore Dei, continendos, Deumque placandum, ad iracundiam provocatum nunc potiſſimum temporis, quo cuncta improborum hominum cogitatio intenta videtur ad malum: Ad hujuſmodi finem expoſitionem Euchariſtiæ commendatam auctoritate Summorum Pontificum Benedicti XIV. & Clementis XIII. notavimus 1. par. c. 3. videantur ibi dicta.

Ex eadem ratione factam ſolemnem expoſitionem SS. Sacramenti, inter illas res graves enumerari debere, ex quibus Miſſam Votivam ſolemnem liceat celebrare diebus cæteroqui Votivas Miſſas recuſantibus, tenet Pellizzarius *to. 1. man. Regul. tr. 5. c. 9. q. 7. n.* 39. Idipſum docet Tambur. *Meth. celebr. Miſſ. l. 2. §. 1. n.* 4. Verum in Dominicis privilegiatis, etiam ſecundæ claſſis, cujuſmodi ſunt Dominicæ in Septuageſima, Sexageſima, & Quinquageſima, minime poſſe celebrari Miſſam votivam ſolemnem de SS. Sacramento pro ejuſd. expoſitione ſolemni, habes ex dicendis in Appendice ad Calcem Diarii c. 3. n. 54. vide ibi tradenda.

SECTIO III.

De Indulgentiis.

In Dom. Quinquageſimæ habentur 5
Indulgentiæ Stationum. Celebratur autem hodierna *Statio ad S. Petrum*. De Stationibus agemus lib. 4. c. 2. a n. 101.

De Indulg. plen. in Eccleſiis, ubi in hac Dominica, & duobus immediate ſequentibus diebus fiat expoſitio ſolemnis Euchariſtiæ ad coercendos ludos bacchanales, diximus par. 1. c. 3.

SECTIO IV.

Solvuntur nonnullæ quæſtiones ad Bacchanales ludos pertinentes.

6 QUONIAM præcedentibus Sectionibus de ludis bacchanalibus incidit mentio, & adhuc verſamur in tempore, quo illi maxime fervent; ſolvere juvat nonnullas quæſtiones, quæ facile nunc occurrere poſſe videntur.

Qu. I. An Clerici Sæculares, & Regulares peccent mortaliter, ſi in diebus bacchanalibus incedant per Civitatem perſonati vulgo *Maſcherati*?

℟. Etſi id negaverit Vidal, ejus tamen opinionem eſſe rejiciendam, docet Diana *to. 7. edit. coord. tr. 5. R. 6. §. 2.*, atque teſtatur hanc eſſe Doctorum ſententiam communem, nempe in tali caſu, Clericos ſæculares, & Regulares peccatum mortale committere.

Nonnullas rationes ad hanc ſententiam confirmandam adducit Hieronymus Garcias apud eumdem Dianam ibi, qui etiam animadvertit: Regulares ob depoſitionem habitus regularis incurrere adhuc excommunicationem, ex *C. ut periculoſæ. 2. ne Cleric. vel Monac. in 6.* Nec excuſari, docet, etiamſi illum non deponant, ſi tamen induant, & ferant ſubter habitum alium perſonatum: quia id eſt valde per accidens, & ſic ſemper habitus regularis erit occultus. Verum in hujuſmodi caſu, quo Religioſus habitum non dimittat, ſed ſine juſta cauſa occultet, etiam ita ut non appareat eſſe Religioſus; an peccet mortaliter, & excommunicacationem incurrat? Vid. Suar. *to. 5. in 3. par. diſp. 23. ſect. 4. n. 33. & 34. & to. 4. de Relig. tr. 8. l. 1. c. 5. n. 12.* Pelliz. *Man. Regul. tr. 5. c. 7. ſect. 1. qu. 12. n. 21.* La-Croix *lib. 4. qu. 33. §. 3.*

Qu. II. Qui percuteret aliquem clericum perſonatum in Bacchanalibus, ignorans eſſe Clericum, an incurreret excommunicationem latam in jure adverſus percuſſores Clericorum?

℟. Negative: quia imprudenter crederet eſſe Clericum; ita cum Burgh. La-Croix *l. 7. qu. 37. §. 13.* Si vero percutiens reipſa Clericum, invincibiliter quidem putet non eſſe Clericum; attamen ita ſit animo comparatus, ut eum percuteret quamvis ſciret eſſe Clericum: Alii ſimpliciter affirmant, incurrere excommunicationem; alii negant; niſi dubitaſſet, an non eſſet Clericus? Sed La-Croix §. 14. inquit, tum ſaltem videri incurrere, ſi percuſſerit, actu intendens percutere, ſive Clericus ſit, ſive Laicus.

Qu. III. Inter cæteros bacchanales 8
ludos frequens eſt ille, quo viri ornant ſe veſte muliebri, & *fœmineo geſtu demutati virilem vultum effœminant;* ut Iſidorus loquitur *lib. 1. de Eccl. Offic. c. 40.* Mulieres autem induunt virilem habitum. Quæritur, an hoc ſit peccatum?

℟. Affirmative. Num autem veniale, vel mortale? intelligetur ex ſequentibus. Sylvius *in 2. 2. D. Thom. quæſt. 169. art. 2. d. 3.* hæc habet. *Adverte, de ſe vitioſum eſſe, quod Mulier mentiatur ſe virum, aut quod vir mentiatur ſe mulierem; partim quia talis commutatio eſt incentivum concupiſcentiæ, & præſtat occaſionem occultis libidinibus. Vid. Clem. Alexand. lib. 3. pedagog. cap. 3. Non tamen ita eſt de ſe vitioſum, quaſi ſit*

per

per ſe, ſeu natura ſua malum, ſicut mendacium, fornicatio, & alia hujuſmodi: ſed quia eſt de numero earum actionum, quæ abſolute conſideratæ, deformitatem, ſeu inordinationem quamdam important, ac nihilominus circumſtantiis quibuſdam advenientibus bonæ efficiuntur, de quarum numero S. Tom. quod. 9. art. 15. dicit eſſe, habere plures præbendas; eſt ergo de ſe vitioſum, quia ſpeciem mali habet, ac niſi per bonam aliquam circumſtantiam juſtificetur veri nominis, peccatum eſt. Hinc eſt quod D. Thom. præſenti articulo ſcribit, illam veſtium ſexui propriarum mutationem poſſe aliquando fieri abſque peccato, veluti propter neceſſitatem, vel cauſa ſe occultandi ab hoſtibus, vel propter aliquod aliud hujuſmodi. Si autem abſque ſimili cauſa fiat ſolum ex levitate, & abſit tam ſcandalum, quam intentio, periculumque libidinis, peccatum erit veniale; mortale vero ſi ſit intentio, vel periculum laſciviæ, aut alioquin notabile ſcandalum. Hæc Sylvius, cujus verba etiam recitat, quaſi valde approbans Diana *to. 7. edit. coord. tr. 5. R.* 13. ex eodem Sylvio poſt D. Thomam, eadem docet Buſemb. *lib. 2. tr. 3. c. 2. dub. 5. art. 2. reſp. 5. reſol. 2.*

His poſitis facile erit arguere: ſemper quidem veniale eſſe illud genus dementiæ, ex qua, inter cæteros bacchanales ludos, non pauci effœminati viri muliebri habitu perſonati bacchantur, & e converſo, virili veſte aſſumpta fœminæ ſpatiantur.

Id etiam judicio ſatis æquo a mortali rariſſime poterit excuſari; facile enim in præſenti caſu poterit dari, quod requiritur, & ſufficit ad mortale. Nimirum mortale eſt, ut audivimus, diverſi ſexus veſtem aſſumere ex intentione laſciviæ, vel cum periculo illius, vel ſcandalo gravi alterius. Jam vero hæc tria, vel ſaltem unum ex tribus ad mortale per ſe ſolum quidem ſatis ſufficiens, quis non videt facillime dari poſſe inter bacchanales ludos, bacchanalibuſque diebus, quibus præ cæteris abundare ſolet iniquitas, & multorum hominum cuncta cogitatio cordis intenta eſſe videtur ad malum. *Gen. 6. 5.* ſciant poſtremo Chriſtiani, hanc veſtium tranſmutationem ut rem abominabilem prohibitam fuiſſe Hebræis adhuc in lege veteri: *Non induetur Mulier veſte virili; nec vir utetur veſte fœminea: abominabilis enim apud Deum eſt, qui facit hæc. Deut. 22. v. 5.*

9 Confirmat hoc id, quod legitur in vita Sanctæ Virginis Mariæ Magdalenæ de Pazzis deſcripta a Vincentio Puccini, in qua c. 64. narratur: quomodo prædicta Sancta Monialis Virgo die quadam fuit in Spiritu, & vidit viſiones Dei, & vidit quaſi turbam magnam animarum quondam Religioſarum, quibus Deus (terribile, & lacrymabile dictu:) ſicut Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractas in tartarum tradidit cruciandas. Cumque Virgo expaveſcens, cauſam quæreret damnationis earum, accepit divinum reſponſum, affirmans: omnes Religioſas illas fuiſſe diris, æterniſque ſuppliciis addictas, eo quia tempus illud, quod Religioſis permitti ſolet animi gratia, ad reficiendam videlicet longa meditatione feſſam, mentem & reſumendas religioſo labore fractas vires, atque avidius, & alacrius ad religioſum parumper intermiſſum redeant opus; hujuſmodi tempus impenderint vanis, & ſæcu-

lari-

laribus ludis occupatæ; monachali inſuper habitu, & virginali veſte exutæ, ſæculares veſtes induere fuerint maxime delectatæ, unde quaſi columbæ ſeductæ incentivum concupiſcentiæ ſumpſerint, & occaſionem occultæ libidinis, ex qua ſic exarſerant, ut damnationem æternam commeruerint. Heu! aperuit Libanus portas ſuas, & comedit ignis cedros ſuas. *Ulula abies, quia cecidit cedrus, quoniam Magnifici vaſtati ſunt: ululate quercus Baſan, quoniam ſucciſus eſt ſaltus munitus. Zach.* 11. *v.* 1. *&* 2. Contremiſcant mundani viri, & timeant ludis occupari talibus, & indignam viro veſtem aſſumere; ſæcularesque mulieres valde caveant ſexui improprium induere habitum, audientes, hujuſmodi ludos, & veſtium mutationem ipſis etiam nec paucis Religioſis æternam parere potuiſſe damnationem. Confer P. Pauli Segner. Chriſt. iſtr. par. 3. ſerm. 27. fine.

10 Sed & ipſis Monialibus, qui illarum curam gerunt in ſpiritualibus, numquam ullo modo permittant ſimiles damnabiles in ipſis etiam ſæcularibus ludos exercere, nec ſæculares veſtes aſpicere quidem patiantur, ſi fieri poſſit. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti, his rurſus implicatæ ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato. 2. *Pet.* 2. *v.* 20. *&* 21. Hæc Petri Apoſtoli verba, hiſque ſimilia Religioſarum auribus inclament, ne involvantur in peccatis illarum, & participes fiant damnationis earum, quibus præ cæteris intimatur: *Nolite conformari huic ſæculo. Rom.* 12. 2. His conforme eſt Decretum S. C. Epiſcoporum, & Regular. in Ferrarien. 27. April. 1664. quo monentur Ordinarii, ut prohibeant, ne Moniales Monaſteriorum, tam eis, quam Superioribus Regularibus ſubditorum, in bacchanalibus, vel in aliis temporibus recreationis, utantur habitu virorum, nec cujuſvis ſpeciei armis ſe cingant. Apud Lucium Ferrar. *Bibl.* edit. 3. Bonon. V. *Veſtis* n. 5. & Lezan. in ſum. V. *Moniales* n. 31.

Qu. IV. Diebus præſertim Bacchanalibus repræſentantur alicubi Comœdiæ turpes; quæritur: an peccent mortaliter, qui eas componunt, permittunt, repræſentant, & ſpectant? 11

℞. De hujuſmodi Comœdiis videri poteſt *Comœdio-criſis*, *ſive Theatrum* Hieronymi Florentinii, in quo demonſtrat, undenam ortum habuerint Comœdie? Affert deinde ſententias, quas protulerunt Patres, cum contra illas inveherentur. Poſtea exponit quid judicaverint, quidque ſenſerint de his Doctores ſcholaſtici, & morales ex omni ſtatu ac ordine. Denique ſic concludit, ut refert, & ex eo habet La Croix *lib.* 2. *qu.* 66. *Primo peccant mortaliter qui componunt, vel agunt comœdias notabiliter obſcœnas ratione verborum, factorum, geſtuum, vel nutuum. Ratio eſt, tum quia non poſſunt, non ſe ipſos exponere periculo ſaltem probabili peccandi mortaliter, tum quia ponunt actiones excitativas ſpiritum genitalium & de ſe incboativas pollutionis; tum denique quia ſunt cauſa peccatorum in Spectatoribus, & Auditoribus.* 2. *Quamvis nonnulli Auctores eos damnent venialis tantum, qui hujuſmodi Comœdiis interſunt, tantum quærentes delecta-*

ſtationem, *ex repreſentatione*, *& modo agendi*, *non autem ex re repræſentata:* (de hac re videri poteſt Chiavet Conſult. 84. n. 4.) *tamen quia vix habebitur delectatio ex repræſentatione*, *quin ſe ingerat delectatio ex re*; *dicendum eſt*, *eos peccare mortaliter*, *quia etiam ſe exponunt probabili periculo peccandi mortaliter*. *Item cenſentur velle inchoatam in ſe pollutionem*; *& præterea cooperantur peccato Comœdorum*. 3. *Peccant mortaliter non tantum primi ſpectatores*, *vel auditores*, *qui ſunt cauſa determinativa*, *ut agatur comœdia*, *ſed etiam alii*, *qui ſuperveniunt*, *& ſine quibus adhuc ageretur*, *uti contra Baldel*. *Turr. Ferrant. Bardi & Vidal*, *docent alii*. *Ratio eſt*, *quia licet demus*, *non eſſe cooperantes*, *eo quod ſine illis adhuc poneretur actio*, *tamen ſunt approbantes eam actionem graviter peccaminoſam*, *cum per actum complacentiæ*, *& delectationis tendant ſimul in illam*; *imo ſolvunt agentibus mercedem*, *favent*, *applaudunt*, *& hoc ipſo cooperantur*, *quamvis enim actio poneretur ſine illis*, *tamen adhuc poſitive concurrunt*, *ut ponatur*, *unde ſicuti qui adjungit ſe aliis decem trahentibus lignum*, *dicitur cooperari tractioni*, *licet illi decem ſoli ſufficienter traxiſſent*, *ita & hi*: *nam etiam propter hos*, *& horum pecuniam agunt Comœdi*. 4. *Clerici nunc accedentes ad tales Comœdias peccant inſuper ratione gravis ſcandali*. *Nec refert*, *quod multi accedant*, *per quod nunc a ſcandalo Clericos excuſare volunt Caj. Sanch. Barb. Bonac. Dian. Baldel. nam vel ideo gravius peccant*, *quia quo plures Clerici ibi a Laicis videntur*, *eo magis Laici confirmantur*, *ut & ipſi interſint liberius*, *ſicque incauti vident*, *& audiunt*, *per quod certo peccant mortaliter*. 5. *Baldel. putat*, *non peccare Magiſtratus*, *ſi pro aliquo tempore ad vitandam in populo majorem licentiam*, *Comœdos permittant*, *talis enim permiſſio*, *quæ non fit approbando*, *ſed tantum ex juſta cauſa non puniendo*, *non videtur illicita*. *E contra Florentinius contendit malum illud majus*, *quod evitari deberet*, *aſſignari non poſſe*, *deberet enim eſſe majus peccatum*, (*nam mala pœnæ*, *vel damna temporalia non debent præponderare malo culpæ*:) *jamvero tanta eſt gravitas*, *& multitudo peccatorum*, *quæ cauſantur per has Comœdias*, *partim in componentibus*, *& auctoribus*, *ut quidquid alio loco harum Comœdiarum eſſent acturi*, *non viderentur ponenda tot tamque gravia peccata*. 6. *Juſte poſſet*, *& merito deberet Epiſcopus edicto ſuo*, *& etiam pœnis ſpiritualibus cogere Comœdos ad non agendas Comœdias*, *niſi prius a Deputatis recognitas*; *ſic enim fecit S. Carolus Borr. & ratio eſt*, *quia Laicus propter peccatum populo ita ſcandaloſum efficitur de foro Epiſcopi*, *ut probant Menoch. lib. 2. de arbitr. caſ. 69. n. 33. aliique cum Barboſ. in collect. n. 5. & de Offic. Epiſc. alleg. 82. n. 17.* Huc uſque La-Croix, ex Florentinio.

Ex his etiam facile colliges: non 12
poſſe abſolvi Hiſtriones, ſeu Circulatores, vulgo *Comedianti Saltimbanchi e Zanniſi* Comœdias, & actiones turpes ſoleant repræſentare; niſi artem relinquant, vel ſaltem corrigant; voluntarie enim verſantur in occaſione proxima peccandi. Vid. Chiavet. Conſult. 84.

ARTICULUS II.

Not. Fer. II. poſt Dom. Quinquageſimæ.

Pro Jejunio Vigil. S. Mathiæ.

13 SI Vigilia S. Mathiæ Apoſt. incidat in Feriam 2. poſt Dom. Quinquageſimæ, in qua laxior eſſe bacchanalis licentia ſolet; an diſpenſari, aut transferri poſſit jejunium? examinavimus tr. 1. 22. Febr. art. 3. ſect. 2.

ARTICULUS III.

Not. Fer. III. poſt Dom. Quinquageſimæ.

Explicantur Sectionibus III.

Sect. I. *De Horis Canonicis.*
Sect. II. *Not. pro jejunio in Vigil. S. Math. & pro initio abſtinent. Quadrag.*
Sect. III. *De Solemnit. Nuptiarum.*

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

14 IN Martyrologio ad Primam 1. loco moneatur pro die craſtina: *Dies Cinerum, & initium jejunii ſacratiſſimæ Quadrageſimæ.* Si Vigilia S. Mathiæ Apoſtoli incidat in diem Cinerum, adhuc priorem nominationem deberi feriæ Cinerum, exiſtimat Caval. *tom. 2. par. 2. c. 37. in d. 2. n. 6.* quod eidem Vigiliæ præferatur: quinimo eamdem quoad Officium ceſſare faciat, & inſuper ipſa Officium aſſequatur.

15 Si in Veſperis Fer. III. ante feriam IV. Cinerum fiat de feria, dicitur oratio Dominicæ præcedentis, non autem ea, quæ eſt propria in ſequenti feria IV. Cinerum. Quod quidem eſt exemplum pro ſimilibus caſibus expreſſum in Rub. gen. Brev. tit. 5. n. 2. & tit. 11. n. 9.

Cum vero occurrat, ut feſtum ſimplex veniat in Fer. IV. Cin. Veſperæ antecedentes (niſi hodie celebratum ſit feſtum novem lectionum:) erunt de feria communi per annum, non autem de ſequenti: cum commemoratione feſti Simplicis in ſequenti feria occurrentis. *Rubr. gen. Brev. tit. 5. n. 2. & tit. 11. n. 10* Quod non ideo fit, quia ſequens feria habeat 1. Veſp. ſed quia, cum feſtum ſimplex in ſequenti die non habeat Officium propter feriam prædictam in eo occurrentem, nec etiam convenit illud habere 1. Veſperas in præcedenti die. *Rubr. gen. Brev. cit. tit. 11. n. 10.*

Quoniam a Feria IV. Cin. incl. 16
ut ibi notabimus, non celebrantur Octavæ ſine ſpeciali conceſſione, aut privilegio; & quæ cœptæ fuerant, abrumpuntur: ideo in hac feria III. ubi occurrat ſeptima dies infra octavam, ſi recitetur Officium de die infra octavam, Officium Octavæ ceſſabit ad Nonam: quia cum non ſit die ſequenti Officium habitura, nec commemorationem; non convenit habere primas Veſperas; Vid. Caval. *to. 2. c. 19. nu. 2. & 11. & eodem cap. comment. in decr. 5. nu. 4.* Veſperæ itaque erunt de feria 3. poſt Dom. Quinquageſ. & fient ſuffragia, ac dicentur preces Dominicales ad Completorium, quemadmodum in feriis per annum Rubricæ faciendum eſſe diſponunt; vid. Caval. cit. *c. 19. in d. 4. n. 4. & 5.*

Id ipſum ſervare debent etiam ii, qui habent privilegium celebrandi Octavas in Quadrageſima. Igitur etiam apud eos, ſi hodie occurrat dies ſeptima infra octavam, Officium octavæ ceſſabit ad Nonam: quia eadem militat ratio, ac pro non privilegiatis; & ita declaravit S. C. R. 23. Junii 1736. in Einſidlen. apud Caval. *cit. c.* 19. *n.* 4. Si in hac feria 3. poſt Dom. Quinquageſ. in qua occurrat dies ſeptima infra oct. recitatum ſit de feſto duplici, Veſperæ erunt de eodem feſto ſine commemoratione octavæ. Si de feſto ſemiduplici, de eodem etiam erunt Veſperæ ſine commemoratione octavæ; ſed non dicentur preces, & ſuffragia, ut ſuſtinet Caval. *in cit. d.* 4. *n.* 7.

Si autem hodie occurrat dies infra Octavam, quæ non ſit ſeptima dies, ſi recitetur de die infra octavam, Veſperæ erunt de die infra octavam, & amplius non recitabitur de ea a non privilegiatis. Caval. *c.* 19. *in d.* 1. *n.* 11. *& in d.* 5. *n.* 2. Si vero recitatum ſit de feſto duplici, aut ſemiduplici, ſecundæ Veſperæ erunt de eodem feſto cum commemoratione diei infra octavam. Vid. Caval. in cit. d. 5. a privilegiatis autem quid faciendum in ipſa feria IV. Cinerum docebimus ibi n. 7.

SECTIO II.

Not. pro jejun. in Vigil. S. Mathiæ Apoſtol. & pro initio Abſtinentiæ quadrageſimalis.

Si Vigilia S. Mathiæ Apoſtoli occurrat in feria 3. poſt Quinquageſimam: an diſpenſari, aut transferri poſſit jejunium ratione carnis privii? examinavimus tr. 1. lib. 3. 23. Febr. art. 3. ſect. 2. Hic tantum animadverto nullo modo licere, cœnam ultimæ noctis Bacchanalium aut in totum, aut ex parte poſt mediam noctem protrahere. V. Raynaud. *to.* 4. *tr. de roſa c.* 7. & noſtrum tr. 1. l. 1. c. 1. art. 9. ſect. 5. nu. 36. & ſect. 4. n. 34. 17

SECTIO III.

De Solemnitate Nuptiarum.

Qu. Utrum prohibitio ſolemnitatis Nuptiarum facta pro tempore Quadrageſimali, incipiat a Veſperis diei præcedentis primum diem Quadrageſimæ, atque adeo ab hac feria 3. poſt Dom. Quinquageſimæ? 18

℟. Huic quæſtioni ſatisfaciemus lib. ſequenti par. 1. c. 7. De aliis ſequentibus diebus infra hebdomadam Quinquageſimæ, quoniam ipſi jam ad Quadrageſimam ſpectant ratione præſertim jejunii Quadrageſimalis, quod a feria incipit immediate ſequenti, in quo de Quadrageſimali tempore tractandum eſt; de prædictis autem ſequentibus diebus agemus ibi par. 2. c. 1.

TRA-

TRACTATUS SECUNDI
LIBER QUARTUS.
NOT. TEMPORE QUADRAGESIMALI SEU A FERIA IV. CINERUM. USQ. AD SABBAT. SANCT.

Ex iis, quæ a Feria IV. Cinerum usque ad Sabbatum Sanctum notanda occurrunt ad inſtitutum noſtrum, nonnulla pertinent generaliter ad totum prædictum tempus, quod Quadrageſimale appellatur; aliqua ſpecialiter ad ejuſdem temporis hebdomadas ſingulas in particulari. Ideo in duas partes librum hunc dividere juvat, in quarum prima notabimus ea, quæ tempore Quadrageſimali occurrunt notanda in genere. In ſecunda vero de iis, quæ notari debent in ſingulis hebdomadis Quadrageſimæ ſigillatim agemus. Sit itaque.

PARS I.

NOT. TEMPORE QUADRAGESIMALI IN GENERE.

EXPLICANTUR CAPITIBUS IX.

Cap. I. *De jejunio, & obſervantia quadrageſimali.*
Cap. II. *De Bulla Cruciatæ.*
Cap. III. *De Horis Canonicis.*
Cap. IV. *De Miſſa.*
Cap. V. *De Indulgentiis.*
Cap. VI. *De Reſidentia Epiſcoporum.*
Cap. VII. *De probibitione ſolemnitatis Nuptiarum.*
Cap. VIII. *Not. pro Confeſſione annua, & Communione Paſch.*
Cap. IX. *De Eleemoſyna pro Locis ſanctis in Hieruſalem.*

CAPUT I.

De Jejunio, & obſervantia quadrageſimali.

DISPUTATUR ARTICULIS XI.

Art. I. *Quid ſit Quadrageſima?*
Art. II. *Quis Quadrageſimam inſtituerit? Ubi plura ad ejus diſpenſationem pertinentia.*
Art. III. *De multiplici ratione inſtitutionis Quadrageſimæ.*
Art. IV. *An prædicti jejunii numerus quadragenarius aliquid in ſe contineat myſterii?*
Art. V. *Quodnam jejunium, & qualis abſtinentia ſit in Quadrageſima ſervanda?*
Art. VI. *Quando incipiat, & abſolvatur Quadrageſima?*

Art. VII. *Quod jejunium perfectum quadrageſimale non eſt continuum.*

Art. VIII. *De obligatione gravi ſervandi quadrageſimam.*

Art. IX. *Speciatim aſſeritur de Ovis, & Lacticiniis, quod illorum abſtinentia obliget ſub gravi in Quadrageſima, & ſolvuntur varia dubia ad abſtinentiam eamdem ſpectantia.*

Art. X. *De Hora comedendi, ſeu ſolvendi jejunium in Quadrageſima.*

Art. XI. *Conſtitutiones Pontificiæ ad obſervantiam quadrageſimalem pertinentes.*

ARTICULUS I.

Quid ſit Quadrageſima?

1 QUADRAGESIMA eſt vox uſitata apud veteres Chriſtianos ad ſignificandum jejunium, & abſtinentiam quamdam ſanctam, & religioſam, cum pluribus aliis pietatis operibus, & chriſtianis virtutibus conjunctam; quæ quidem longo jam fuit tempore in Eccleſia Chriſti inſtituta, recepta, & peracta ante ſolemnitatem Paſchæ.

Hujuſmodi autem abſtinentia, & jejunium *Quadrageſima* vocatur vel ex numero dierum, quibus rigoroſe jejunatur, vel ex numero dierum, quibus abſtinentia ſervatur a certis quibusdam cibis, puta a carne, ovis, & lacticiniis. Profecto non in omnibus omnino diebus quadrageſimæ jejunatur, licet in omnibus abſtinentia prædicta ſervetur. Jam vero uterque numerus tum rigoroſi jejunii, tum abſtinentiæ eſt quadragenarius, aut prope quadragenarius.

Et quidem primis Eccleſiæ temporibus *Quadrageſima* dici potuit ex numero dierum abſtinentiæ a carne; ec. qui erat prope quadragenarius: licet rigoroſum jejunium ſervatum fuerit per triginta ſex dies. Nam priſcis Eccleſiæ temporibus inchoabat obſervantia Quadrageſimalis a Dominica prima; Quadrageſimæ: jejunium vero a feria ſecunda ſequenti, & ſimiliter in reliquis Dominicis non jejunabatur. Erant ergo triginta ſex dies deputati jejunio perfecto; quadraginta autem ſupra duos abſtinentiæ. Ex numero itaque prope quadragenario abſtinentiæ dici potuit olim *Quadrageſima*. Licet Græci prædicta triginta ſex jejunia compleverint ſeptem hebdomadibus, quoniam non ſolum in Dominicis, ſed etiam in Sabbatis, excepto Sabbato hebdomadæ Majoris, minime jejunare conſueverunt. Durand. *in Ration lib. 6. c. 32. n. 1.* Natal. ab Alex. *Hiſt. Eccl. to. 1. pag. 139. edit. Neapol. ann.* 1740. Raynaud. *to. 10. tract. de Roſa c. 7.* ubi *de contin. Quadrag.*, & *ubi de plurib. Quadrag. fine*. Azor. *Inſt. Moral. par. 1. l. 6. c. 11. qu. 3.* de qua Græcorum conſuetudine dicemus art. 6. n. 55. & art. 7. fine.

Potuit etiam dici *Quadrageſima* ex numero jejuniorum, licet illa fuerint triginta ſex dierum; quia cum triginta ſex dies trigeſimam excedant, ad Quadrageſimam idcirco pertinere dici poſſe, & eo nomine cenſeri debere, docet Alcuinus, ſecundum morem divinarum ſcripturarum. Vide Caſſalium *de Sacr. Ritib. c. 61.*

Sed Quadrageſima noſtra vere, & proprie talis dici poteſt ex numero die-

dierum, in quibus rigoroſum jejunium eccleſiaſticum exacte ſervatur. Etenim longo jam tempore in Eccleſia Latina (particulari quodam loco excepto, de quo dicemus art. 6. n. 57.) eſt conſuetudo inchoandi jejunium quadrageſimale a feria quarta poſt Dominicam Quinquageſimæ; ab illa autem feria uſque ad Paſcha ſunt quadraginta ſex dies, ex quibus ſi excipias ſex Dominicas quæ intercurrunt, in quibus ſolvitur jejunium perfectum, & ſola a cibis quibuſdam abſtinentia ſervatur; remanent deputati jejunio rigoroſo quadraginta dies. Vide dicenda art. 6. n. 53. A numero itaque quadragenario rigoroſi jejunii Eccleſiaſtici vere & proprie nuncupari poteſt noſtra Quadrageſima: per quam quantum natura, & imbecillitas noſtra patitur, Chriſtum Dominum imitamur, qui per totos quadraginta dies jejunavit, & hunc numerum jejunii quadrageſimalis conſecravit; oſtendens nobis, ita nos hunc numerum integrum jejunare debere: ut D. Ambroſius ait *ſerm.* 23. *fin.* qui rurſus id ipſum inſinuat *ſerm.* 31. *&* 49. *to.* 5. *oper. ejus edit. Paris. an.* 1661. Vid. dicenda art. 3. fine art. 4. Caſſalium l. c. Bellarm. *de contr. to.* 3. *controv.* 3. *l.* 2. *c.* 15. Leſſium *de juſt. l.* 4 *c.* 2. *de jejun. dubit.* 9. *n.* 63. *&* 64. Gavant. *in rubr. Miſs. par.* 4. *to.* 5. *a n.* 7. Rayn. *l. c.* Durand. *in Ration. l.* 6. *c.*28. *n.* 3. *& c.* 32. *n.* 3.

2 Nota hic: vocem *Quadrageſimæ*, utpote obſervationis apud omnes ſolemniſſimæ, ad alia pauciorum dierum jejunia quandoque extendi. Ut autem quædam dicuntur Quadrageſimæ per vocis ampliationem, etiamſi quadragenam dierum non expleant, ita quædam eodem donatæ ſunt nomine, licet ultra quadraginta dies cum aliqua jejunii intercifione productæ: exemplum habes ſupra in Quadrageſima Græcorum hebdomadibus ſeptem completa, adeoque incæpta ab ea Dominica, quam nos Sexageſimam appellamus, & in Paſcha Reſurrectionis uſque protracta. Et contra apud Raynaud. l. cit. obſervabis, jejunium octo, vel novem dierum vocari Quadrageſimam. Jejunium item Adventus tempore ſervari ſolitum appellari etiam Quadrageſimam. Videri quoque poteſt Rabanus Maurus *Inſtit Cleric. l.* 2. *cap.* 22. *fine*. Azor. *Inſtitut. Moral. par.* 1. *l.* 7. *cap.* 16. *qu.* 4. Bened. XIV. *t.* 1. *Not.* 11. *n.* 4. *&* 5. Recole item dicta hoc tr. 2. l. 1. par. 1. c. 4. n. 1. Ex quibus colliges duo: Primum; non quoties in ſcriptis Veterum legitur hæc vox *Quadrageſima*: judicandum eſt, ſermonem eſſe de Quadrageſima quæ obſervatur ante Paſcha. Secundum: non quotieſcumque legimus, ſervatam fuiſſe, aut ſervari alicubi aliquam Quadrageſimalem abſtinentiam, eo ipſo putare debemus, eſſe abſtinentiam quadraginta dierum: ſed id aliunde cognoſcendum erit.

ARTICULUS II.

Quis Quadrageſimam inſtituerit? Ubi plura ad ejus diſpenſationem pertinentia.

QUADRAGESIMA vero prædicta ex inſtitutione eſt Apoſtolica; quippe Apoſtoli eam intimarunt primis Fidelibus, & per univerſam Eccleſiam ſemper ſervari mandarunt. Aliqui ad hoc probandum adducunt in primis Canonem Sexageſimum octavum Apoſtolorum, in quo ſacrum Qua- 3

Quadrageſimæ jejunium, ut jam tunc inſtitutum obſervare monemur; imo hunc ſolum ſufficere vult Reginaldus *lib.* 4. *n.* 129.

Sed ego illo non utar, quia non convenit inter Doctores de auctoritate, vel numero legitimo Canonum Apoſtolorum: Vide Natal. ab Alex. fuſe, docte, & erudite de hac re diſputantem *to.* 4. *differt.* 10. Serry præl. 13. *de Sacr.* & videri etiam poſſunt dicta a nobis tract. I. l. 2. in Dominica art. 9. quæſt. 1. num. 77. Quapropter tam ſuſpecta auctoritate non indigens, ad tuendam veritatem; utar primo teſtimonio expreſſo Leonis I. Pontificis *ſer.* 6. *&* 9. *de Quadrag. &* Hieronymi in *Epiſt.* 54. *ad Marcellam adverſus Montanum*: qui expreſſe teſtantur Quadrageſimale jejunium ab Apoſtolis fuiſſe inſtitutum. Et Radulphus *l. de Canon. obſerv. propoſit.* 16. ac Durand. *in Rat. l.* 6. *c.* 28. *N.* 2. ſcribunt S. Petrum primum inſtituiſſe jejunium Quadrageſimæ ante Paſcha.

Secundo: Quadrageſimæ inſtitutionem eſſe Apoſtolicam, antiquiſſima, & continua Eccleſiæ Catholicæ praxis univerſalis oſtendit ſatis, quæ eruitur ex Conciliis, & Patribus diverſorum temporum, atque locorum. Fit enim mentio de Quadrageſima tamquam de re antiquiſſima, & univerſali in Concilio Niceno I. Can. 5. quod fuit pimum generale Concilium omnium Sacerdotum. Bell. *l. cit. art. præc. c.* 14. Rurſus in Laodiceno Can. 29. & ſeq. quæ ſunt Concilia in Oriente celebrata.

Item in Conciliis Occidentalibus Aurelianenſi I. can. 11. Aurelianenſi IV. Can. 2. Agathenſi Can. 8. Antiſiodorenſi Can. 2. Toletano VIII. Can. 9. Bracarenſi II. Can. 9.

Denique omnes veteres Patres Græci, atque Latini mentionem faciunt de Quadrageſima, ut videre eſt in ſuis ipſorum libris, & ſermonibus, & apud Natal. ab Alex. *tom.* 6. *Diſſert.* 4. *art.* 3. Illorum quamplurimos citat Bellarminus *l. ſupra cit.* incipiens ab Ignatio uſque ad Bernardum, in quo Sanctorum Patrum epocha clauditur: & *controv. to.* 1. *controv.* 1. *de Verbo Dei lib.* 4. *cap.* 9. incipiens ordine præpoſtero a Bernardo uſque ad Ignatium, qui Apoſtolorum tempore vixit.

Quæ cum ita ſe habeant, jure merito Quadrageſima ex inſtitutione Apoſtolica venire creditur, juxta regulam Auguſtini de Baptiſmo contra Donatiſtas *l.* 4. *cap.* 24. videlicet: *quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.* Quam regulam laudat Bellarm. cit. cap. 9. ubi pro regulis dignoſcendi traditiones, & inſtitutiones Apoſtolicas, hanc ex Auguſtino ponit numero tertiam: *Tertia regula eſt: id, quod in Eccleſia Univerſa, & omnibus retrotemporibus ſervatum eſt, merito ab Apoſtolis creditur inſtitutum, etiamſi illud tale ſit, ut potuerit ab Eccleſia inſtitui. Hæc regula eſt Auguſtini lib.* 4. *contra Donatiſtas c.* 24. Ita Bellarminus, qui ſtatim ponit exemplum de ipſa Quadrageſima, hæc ſubdens: *Exemplo ſit jejunium Quadrageſimæ: Id enim poterat ab Eccleſia inſtitui, ſi Chriſtus vel Apoſtoli non inſtituiſſent: tamen dicimus, & probamus a Chriſto, vel Apoſtolis inſtitutum, quia ſurſum verſus aſcendentes, & quærentes originem hujus inſtituti non invenimus niſi tempore Apoſtolorum; Etiamſi Calvinus l.* 5. *cap.* 12. *inſtitut.* §. 20. do-

doceat, *eſſe Quadrageſimam meram ſuperſtitionem*, *& nec a Chriſto*, *nec ab Apoſtolis traditam*, *ſed a poſterioribus in κακοζηλίας excogitatam*. Hæc Bellarminus, qui etiam ex laudata regula Auguſtini idem ex profeſſo probat *contr. t.* 3. *contr.* 3. *l.* 2. *c.* 14. Quapropter reprehenditur Caſſianus, *qui Collat.* 21. *c.* 30. Præceptum de obſervantia Quadrageſimæ poſt Apoſtolorum tempus latum fuiſſe ſignificat, cum nimirum fidelium fervor intepuit. Licet illum excuſare conetur, & ita ut, cum prædicta conſtantiſſima ſententia Patrum minime pugnet, interpretetur Petrus Ciaconius in cit. locum Caſſiani, ut videre eſt in ejus *obſervat. in Caſſianum*, quæ ſunt inſertæ libris *de Inſtitutis*, *& collationibus Caſſiani* edit. Rom. an. 1588. pag. 744.

Errarunt quoque illi, quos refert Euſebius in Chronico an. 688. & aliqui, qui tribuerunt Quadrageſimam Teleſphoro Papæ; Cui etiam tribuit Kemnitius apud Bellarminum *Controv. to.* 1. *Controv.* 1. *de Verbo Dei lib.* 1. *cap.* 3. qui ibidem oſtendit, id eſſe unum ex Kemnitii mendaciis. Hi fortaſſe decepti ſunt propter quoddam Teleſphori ſtatutum in materia de Quadrageſima, de quo infra dicemus art. 6. num. 56. Nec quid quam refert, Auguſtinum *Epiſt.* 86. *ad Caſul.* dixiſſe: In novo Teſtamento præcipi quidem jejunium, ſed quibus diebus ſit jejunandum, vel non; nec Chriſtum, nec Apoſtolos inſtituiſſe; Nihil, inquam, id refert: Enim vero Auguſtinus proculdubio loquitur de præcepto ſcripto, non autem viva voce tradito; Idque patere videtur ex eo, quod ibi non faciat mentionem, niſi de Scriptura: *Ego in Evangelicis*, *& Apoſtolicis litteris*, *totoque Inſtrumento*, *quod appellatur ec.* Et manifeſtius colligitur ex eo, quod idem Auguſtinus alibi ſæpe doceat, certa quædam jejunia poſt ex Apoſtolorum conſtitutione: ut obſervat, ac teſtatur Azorius *Inſtit. Moral. par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 20. *qu.* 2. *fine*.

Verum in hac re exceſſiſſe videntur nonnulli, qui voluerunt, Quadrageſimam ab ipſo Deo; & Chriſto Domino fuiſſe inſtitutam; propter quorum ſententiam proculdubio Bellarminus ſupra dixit; nolens illam examinare: jejunium quadrageſimale *a Chriſto*, *vel Apoſtolis* inſtitutum. Sed illorum ſententiam parum probabilem eſſe, dicit Leſſius *de Juſt. l.* 4. *c.* 2. *de jejun. num.* 29. Idque probat n. 30. Vide etiam Reginald. *l.* 4. *n.* 130.

Communis itaque Doctorum, quam amplectimur, ſententia docet: Quadrageſimam fuiſſe non a Chriſto ipſo, ſed ab Apoſtolis ſuis inſtitutam, Vid. Azor. *Inſtit. moral. par.* 1. *l.* 7. *c.* 12. *q.* 1. *& c.* 22. *qu.* 2. Salmantic. *to.* 5. *tr.* 23. *c.* 2. *pun.* 5. §. 1. *n.* 92. Navar. *in Man. c.* 21. *n.* 12. Bened. XIV. *to.* 1. *Notif.* 15. *n.* 1. *&* 2. Raban. Maur. *Inſtit. Cleric. l.* 2. *c.* 18. *fin.* Dicta autem Patrum, quæ videntur velle, illam fuiſſe a Deo, & Chriſto Domino inſtitutam: quomodo intelligenda ſint; explicat Azor. *l. cit.* Leſſius *l. cit. n.* 31. Joan. Medin. *de Jejun. qu.* 2. Vide etiam dicenda art. 4. n. 47.

Qu. hic 1. Utrum etiam tempus, 4
quo celebranda eſt Quadrageſima ex inſtitutione ſit Apoſtolorum?

℞. Quamvis lex de ſervanda Quadrageſima quoad ſubſtantiam ab Apoſtolis, ſecundum dicta, fuerit præſcripta; Quadrageſimæ tamen adjun-

cta

cta Patres, & Concilia ſanxerunt, conſentanee ad mentem Apoſtolorum. Jamvero ad hujuſmodi adjuncta pertinet tempus, quo Quadrageſima celebranda eſt. Itaque Concilium Nicænum I. Quadrageſimæ cohæſionem cum Paſchate ſanxit, ſeu decrevit, ut Quadrageſimale jejunium ante Paſcha celebretur, & cum eo connectatur, in eoque abſolvatur, ut etiamnum conſuevit Eccleſia obrationes aſſignandas. art. 3. Ita teſtatur Raynaud. *to.* 10. *tr. de Roſa c.* 7. ubi examinat aquo inſtituta fuerit Quadrageſima!

5 Qu. II. An ipſa obſervantia Quadrageſimalis variari, diſpenſari, aut etiam abrogari poſſit ab Eccleſia?

℞. Poſito quod non ſit de jure, & inſtitutione divina; ſequitur, poſſe ab Eccleſia variari, diſpenſari, aut etiam abrogari. Diana *tom.* 3. *edit. cord. tr.* 2. *R.* 3. §. 2. Fagund. *in* 4. *præc. Eccl. lib.* 1. *c.* 9. *nu.* 1. Salmantic. *l. infra cit.* Bened. XIV. *to.* 1. *Notif.* 10. *nu.* 6. & alii apud eumdem. Id tamen intelligendum de potentia abſoluta Pontificis, non autem de potentia ipſius ordinaria: De potentia enim ordinaria moraliter, & practice eſt invariabilis. Et ratio eſt, quia ſunt aliqua Eccleſiaſtica præcepta adeo conſuetudine Eccleſiæ obfirmata, diviniſque, & naturalibus præceptis conformia, & affinia, ut de potentia ordinaria mutari, & diſpenſari non valeant; nec videatur, quod Spiritus Sanctus permiſſurus ſit, tam ſanctas leges aliquando variandas fore, aut eſſe mutandas: Hujuſmodi eſt obſervantia Quadrageſimalis. Ita Suar. *de Relig. tom.* 1. *tr.* 2. *lib.* 2. *c.* 4. *n.* 9. Salmantic. *to.* 5. *tract.* 23. *c.* 1. *pu.* 4. *n.* 40.

Bene tamen dari poteſt caſus, quo oporteat Pontificem diſpenſare in Quadrageſima cum aliqua Civitate; Diœceſi, aut Regno, concedendo e. g. ut Lacticiniis non abſtineant; aut etiam permittendo, ut hoc vel illo anno Quadrageſimam minime ſervent, quemadmodum patebit ex infra dicendis.

Poteſt etiam fieri, ut per humanam conſuetudinem Quadrageſimalis jejunii obſervantia varietur. Et quidem Leſſius *de Juſt. lib.* 4. *c.* 2. *dubit.* 5. *n.* 30. putat, variatam aliquando de facto fuiſſe ex conſuetudine legitima. Vide tamen dicenda art. 6. n. 54. Non poteſt autem Quadrageſimalis obſervantia per humanam conſuetudinem, penitus abrogari, ut facile colligi poteſt ex dictis, & ſignificat Azor. *Inſtit. moral. par.* 1. *l.* 7. *cap.* 19. *qu.* 1. ſub initium.

6 Qu. III. An Epiſcopus poſſit diſpenſare in obſervantia Quadrageſimali cum integra Civitate, vel cum tota etiam Diœceſi ſua?

℞. Quod occurrente neceſſitate diſpenſandi cum integro Regno, Diœceſi, aut Civitate, ſeu Magno populo, oporteat recurſum habere ad Summum Pontificem tempore opportuno, ſi neceſſitas prævideatur, & recurſus poſſit haberi. Profecto ſi ad ſic diſpenſandum in jejunio Quatuor Temporum, imo in uno etiam jejunio alicujus Vigiliæ juris communis, opus eſt recurrere ad Pontificem ſummum, uti docuimus 23. Februar. n. 22.; & in Septemb. par. 1. n. 73. a fortiori hoc dici debet de Quadrageſimali obſervantia, quæ quidem ab ipſomet Pontifice Summo non ſine graviſſima cauſa, & rariſſime ſic diſpenſatur ob rationem ſupra præce-

ce-

cedenti Qu. ſignificatam. Rurſus in Conſtitutionibus Benedicti XIV. quas art. 11. ad verbum dabimus, expreſſe præcipitur recurſus ad S. Sedem toties quoties caſus prædictus acciderit; Pro fidelibus autem degentibus in Inſulis Gallicæ Ditionis in America Meridionali videatur laudati Bened. XIV. Bulla quæ incipit *Libentiſſime*. §. *Inſula S. Dominici*, quam Bullam dabimus art. 11.

7 Si autem ad Pontificem recurſus haberi non poſſit, puta quia caſus ſit repentinus, & neceſſitas moram non patiatur; vel quia non detur aditus, e. g. ob peſtem graſſantem, vel bellum opprimens; poteſt quidem Epiſcopus in Jejunio, & obſervantia Quadrageſimali diſpenſare pro tota etiam ſua Diœceſi cum certa, & gravi cauſa, qualis eſſet e. g. ad diſpenſandum in Lacticiniis, periculum morborum propter piſces infectos, non quod certum eſſe debeat, tales morbos eſſe ſecuturos; ſed quod debeat certo eſſe prudens metus, & periculum, morbos fore inde ſecuturos; V. La-Croix lib. 3. part. 2. qu. 255. §. 1. n. 1308.

Prædictæ vero Doctrinæ ratio eſt, quia univerſaliter poteſt Epiſcopus diſpenſare in legibus Pontificiis, quando recurſus ad Pontificem eſſet valde difficilis, & eſſet periculum in mora. Et ratio ulterioris hujus doctrinæ eſt, quia in hoc caſu prudenter præſumitur Pontificis facultas. Quæ doctrina recepta eſt a Doctoribus, quos refert, & ſequitur Suarez, quem laudat Diana *to.* 3. *edit. coord. tr.* 2. *R.* 26. §. 5. Præterea pro præſenti caſu neceſſitatis urgentis univerſalis integræ Civitatis aut etiam Diœceſis indigentis diſpenſatione in obſervantia Quadragemali adeſt expreſſa etiam Pontificia facultas Epiſcopis facta; ut conſtat ex Conſtitutionibus Benedicti XIV. art. 11. recitandis. Juxta traditam doctrinam & ſecundum additam limitationem, ſeu appoſitam conditionem intelligendus eſt Tamburinus dixiſſe explic. Decalog. lib. 4. c. 5. §. 7. num. 58. *Quamvis Epiſcopi non poſſint abrogare jejunia univerſalia Eccleſiæ; quia nihil poteſt, abſolute loquendo, inferior in lege ſuperioris; tamen concurrente gravi cauſa valet pro ſua Diœceſi aliquando diſpenſare. Sic paucis ab hinc annis diſpenſatum fuiſſe ad edendas Carnes tempore Quadrageſimæ graſſante peſte Panormi; fame premente Meſſanæ, ſcimus omnes.* Hæc Tamburinus.

Nec huic ſententiæ per ſe ſatis patenti contradicunt, quin etiam expreſſe illam admittunt Marchinus *de Bello Divino*, ſeu *de peſtilentia p.* 6. *c.* 2. *n.* 6 & Magiſter Joannes Paulus Nazarius Dominicanus *to.* 8. *opuſc.* 3. *caſ.* 1. qui ſolum merito negant, poſſe Epiſcopum *abſolute* diſpenſare abſque facultate Pontificis ad carnes in Quadrageſima, ut populus præſervetur a peſtilentia: quod volebat Epiſcopus Venetus in *Exam. Epiſcop. lib.* 4. *c.* 46. *n.* 53. & Homobonus de Bonis *in Conſult. Select. Caſ. Conſc. vol.* 1. *par.* 2. *Reſp.* 57. quorum argumenta ſolvit Diana *tom.* 4. *edit. coord. tr.* 6. *Reſ.* 69. §. 1. & 2.

Sed dices: poteſtatem hujuſmodi diſ- 8
penſationis, quam in ſupradicto caſu concedimus Epiſcopo, eſſe prorſus vanam, & inutilem. Probas: obligatio Legis ceſſat ipſo facto per ſupervenientem neceſſitatem gravem, & certam. Ergo nulla requiritur diſpenſatio. Antecedens eſt certum, & illud docet Bonacina, & ex eo Chiavetta *Conſult.* 62. *nu.* 2. & Fagund.

in 4. præc. Eccl. l. 1. c. 9. n. 2. fine, & illud etiam approbat commune, & vulgate Axioma; vulgo enim dicere ſolemus: ubi neceſſitas eſt, non habitat lex. Sed & in *C. Conſilium de obſervat. Jejunior.* Innocent. III. dicit: quod *non ſubjaceat legi neceſſitas:* & *C. quod non. de regul. juris* dicitur: *quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum*. Conſequentia ſequitur.

℟. Nego antecedens: ad ejus prob. diſt. antec. obligatio Legis tollitur per ſupervenientem neceſſitatem gravem, & certam in integra Civitate, Diœceſi, aut regno, reſpectu tantummodò illarum ſingularum perſonarum, in quas ipſa ſupervenit; Concedo; Reſpectu etiam aliarum, in quibus ſimilis neceſſitas non datur; Nego antecedens.

9 Cæterum dico: opus eſſe aliquandò diſpenſatione, etiamſi ceſſet intentio, & ratio Legis; Ut ſignificat Divus Thomas 1. 2. *qu. 96. art. 6.* Unicum ſatis ſit exemplum afferre, quo utitur La-Croix *lib. 1. de Legib. qu. 135. §. 1.* ad hanc ipſam rem comprobandam. Sic licet adſit certo ſufficiens cauſa ineundi Matrimonium ſine proclamationibus, nihilominus debet diſpenſatio haberi: Et licet ſit cauſa ſufficiens diſpenſandi, non ideo eſt cauſa ſufficiens propria auctoritate omittendi proclamationes. Et in hoc aliiſque ſimilibus caſibus a poſteriori colligimus talem eſſe voluntatem Superiorum; culpant enim, ſi aliter fiat, ut recte notat laudatus La-Croix.

Dixi: *aliquando opus eſt*: Nam in multis caſibus, maxime qui frequenter occurrunt, ſcimus Superiores id non exigere; ſed ſatis eſſe quod habeamus certitudinem de juſta cauſa excuſante, e. g. ſi ſis certus te tale habere impedimentum, quod omnino excuſet Miſſam audire, potes die feſto Miſſam omitere, diſpenſatione nulla quæſita: uti habet communis ſenſus. Ergo dantur caſus, in quibus ſuperveniente neceſſitate gravi, & certa, ceſſet obligatio Legis, ac nulla diſpenſatio requiratur. Et contra, dantur caſus in quibus ſuperveniente neceſſitate etiam gravi, & certa, & Legis adhuc obligatione ceſſante, nihilominus requiritur diſpenſatio; nimirum ubi id poſtulet Eccleſia. Seu ubi nolit poni actum Legi ſuæ adverſantem abſque ſua ipſius diſpenſatione, poſito quod hujuſmodi diſpenſatio poſſit exquiri.

Jamvero ut redeamus ad diſtinctionem in reſponſione factam; occurrente impedimento gravi, & certo ſervandi jejunium & obſervantiam Quadrageſimalem; vel hujuſmodi impedimentum eſt particulare occurrens uni aut alteri, aut paucis reſpective; vel eſt univerſale in multis, & pluribus, puta unius Civitatis, Diœceſis, aut Regni. Si eſt particulare: in illo caſu ſcimus, Superiores non exigere diſpenſationem; fortaſſe tum quia Lex communis non patiatur injuriam a paucis reſpective minime ſervata ob neceſſitatem juſtam gravem, & certam; tum quia nec patiatur notabilem læſionem, & nihil videatur amittere de ſuo vigore, cum bene retineat obſervantiam ſui quoad reliquos: tum denique quia gravarentur Eccleſiæ Prælati, ſi præſto eſſe, & aures præbere deberent quotidianis hujuſmodi neceſſitatibus gravibus, & certis.

Contra vero, ſi neceſſitas etiam gravis, & certa ſit univerſalis, puta in-

integræ Civitatis, unius Diœceſis, univerſi Regni; ſatis conſtat, Eccleſiam velle, ut ad ipſam pro tali diſpenſatione tunc recurratur. Et merito quidem: nimirum primo, ut declaret neceſſitatem univerſalem eſſe gravem, & certam. Secundo, ut diſpenſet cum iis, qui neceſſitate non adeo gravi laborant. Tertio, ut relaxet legem reſpectu illorum, licet paucorum, qui neceſſitate nulla premuntur, ut fere ſemper in neceſſitate quantumvis univerſali contingit.

10 Quibus inſpectis, ſi nulla Eccleſiæ a Lege univerſali univerſalis accederet abſolutio; magna ſequeretur populorum confuſio, malorum ſcandalum, conſcientiarum turbatio; Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum; ſi eſſet diſpenſandum ſingillatim cum particularibus, & ſingulis accedentibus pro diſpenſatione, intolerabilis oppreſſio.

11 Si Epiſcopus in Quadrageſima diſpenſans permittat diebus Dominicæ, Lunæ, Martis, & Jovis carnes; ait La-Croix. *Lib.* 3. *part.* 2. *qu.* 255. §. 5. dubium manere 1. an in die Dominica licitum ſit quoties quis volet, carnes comedere? 2. an illi, qui per ætatem, vel labores poſſunt plures refectiones ſumere, etiam poſſint pluries illis diebus veſci carnibus? Et de his, vult interrogandum eſſe diſpenſantem, quia non ubique eſt eadem omnium voluntas. Sed vide dicenda art. 8. qu. 12. n. 93. & interim

12 Nota hic 1. poſt Decreta art. 11. exponenda Benedicti XIV. non poſſe ab Epiſcopis in prædicto urgenti caſu diſpenſari in Quadrageſimali obſervantia, niſi juxta rationem, modum, conditiones, & limitationes, quæ in illis Conſtitutionibus præſcribuntur.

Nota 2. quod conſultum, & omnibus probatum eſſe velim, in prædicto caſu diſpenſationis Epiſcopalis pro tota Diœceſi, aut integra Civitate, aut ſimili multitudine ex urgenti etiam neceſſitate, ob quam recurſus haberi non potuerit ad Pontificem; ut ubi primum licuerit, illico moneatur Sancta Sedes de facta diſpenſatione ex urgenti neceſſitate, ob quam recurſus haberi non potuerit; quæ, qualis fuerit? explicetur, & cum quanto populo fuerit diſpenſatum? Et circa quæ? exprimatur: an ſcilicet circa jejunium, an circa ſola lacticinia, an item quoad carnes?

Qu. IV. Utrum Epiſcopus in hujuſmodi neceſſitatibus paſſim occurrentibus particularibus poſſit diſpenſare, abſque eo quod opus ſit recurrere ad Romanum Pontificem? 13

℟. Affirmative. Ita Reginaldus *in praxi lib.* 4. *c.* 17. *ſect.* 5. *nu.* 225. Navarrus *Man. c.* 21. *num.* 21. Sà V. *Jejunium* n. 9. Armil. V. *jejunium* n. 6. Sylveſtro. V. *jejunium* n. 20. Azor. *Inſtit. Moral. par.* 1. *lib.* 5. *c.* 15. *qu.* 7. *proppe fin. & l.* 7. *cap.* 18. qu. 2. Em. Rodriq. *Sum.* 1. *par. c.* 23. *nu.* 9. *& c.* 24. *nu.* 3. Fagundez *in* 4. *præc. Eccl. l.* 1. *c.* 9. *n.* 1. Diana *to.* 3. *edit. coord. tr.* 2. *R.* 26. §. 2. Lezana *Sum.* V. *jejunium num.* 10. Tambur. *in Decal. lib.* 4. *c.* 5. §. 7. *nu.* 55. Chiavetta *conſult.* 62. *n.* 3. Salmantic. *in append. tr.* 6. *Bull. Cruc. ca.* 5. *pu.* 1. *nu.* 4. & communiſſime cæteri Doctores. Ratio eſt; quia etſi inferior non poſſit diſpenſare in Lege Superioris; cujuſmodi eſt jejunium univerſale, niſi ab eodem facta ſit poteſtas: hanc poteſtatem Epiſcopus habet ex legitima conſuetudine re-

cepta, quæ utique juriſdictionem dare poteſt, ut deducitur ex *C. Cum contingat. de foro compet.* & ex *C. Duo ſimul. De offic. Judic. Ordin.* Quam etiam Conſuetudinem ipſe Superior videlicet Pontifex Summus vel tacendo approbat, vel adhuc ſuo confirmat aſſenſu, ut videre eſt in Conſtitutionibus Benedicti XIV. inferius exponendis. Et rurſus, quia ſecus non eſſet ſatis proſpectum Fidelibus, ſi ad Romanum Pontificem oporteret omnino recurrere in neceſſitatibus quotidie occurrentibus; cum ob loci diſtantiam, aut alia impedimenta frequenter contingat, ut ad illum recurri nequeat.

Epiſcoporum quoque in Spiritualibus Vicarios Generales poſſe ſimiliter diſpenſare in Epiſcopi abſentia, docent Salmant. loco cit. qui dicunt, eſſe ſententiam communem.

Sede Vacante poteſt in hac re diſpenſare Capitulum, & ex ejus Mandato Vicarius Generalis ejuſdem. Vide Tambur. loco cit. n. 36.

14 Qu. V. Utrum abſente Epiſcopo idem poſſit Parochus?

℞. Affirmative. Ita Azor. *Inſt. par.* 1. *l.* 7. *cap.* 18. *qu.* 3. Reginald. Navar. Sà, Armil. & Rodrig. Lezana Fagund. Salmantic. l. l. citatis. Ratio eſt, quia etſi Parochus non habeat de jure aliam poteſtatem, niſi in iis, quæ pertinent ad forum internum, nihilominus poteſt habere etiam in foro externo in caſibus, in quibus conſuetudo legitima permittat: teſtantur autem prædicti Auctores & alii infra qu. ſequenti laudandi, adeſſe de facto conſuetudinem præſcriptam de eo, quod Parochus, abſente Epiſcopo, diſpenſet cum Parochiano ſuo in jejuniis, & abſtinentiis Eccleſiæ Univerſalis. Et ratio a priori eſt, quia ſicuti, non eſſet ſatis proſpectum fidelibus, ſi ad Romanum Pontificem oporteret omnino recurrere in hujuſmodi neceſſitatibus quotidie occurrentibus, cum ob loci diſtantiam aut alia impedimenta frequenter contingat, ut ad illum recurri nequeat: ſic etiam reſpectu Epiſcopi. Cæterum ex Decreto S. C. Epiſc. in Hydruntina 20. Auguſti 1591. Epiſcopus in ſua Diœceſi concedere debet facultatem etiam Vicariis Foraneis, & Archipresbyteris, ut de conſilio Medicorum impertiri poſſint indigentibus licentiam veſcendi cibis vetitis, quæ detur omnino gratis, ita ut nec pro Scriptura quidquam accipere liceat. Apud Lucium Ferrar. in ſua *Biblioth.* edit. 3. Bonon. V. *Quadrageſima n.* 20.

15 Qu. VI. An hoc ipſum poſſit Parochus, Epiſcopo etiam præſente?

℞. Id etiam alicubi ex conſuetudine receptum eſſe, affirmant Th. Sanchez *lib.* 8. *de Matrimonio diſp.* 9. *n.* 27. Azorius *Inſtit. Moral. par.* 1. *l.* 7. *c.* 18. *qu.* 3. *fine* Tamburin. *in Decal. lib.* 4. *c.* 5. §. 7. *n.* 56. Diana *to.* 3. *edit. coord. tr.* 2. *R.* 26. §. 8. Granadus apud eum *ibi R.* 25. §. 12. Chiavetta *Conſult.* 62. *n.* 3. & 4. & videtur etiam Sylveſt. V. *jejunium* n. 20. ubi docet: in caſu dubiæ neceſſitatis recurrendum eſſe pro diſpenſatione hujuſmodi ad Epiſcopum *vel proprium Sacerdotem, ideſt* Parochum; & ſimiliter loquuntur alii apud Th. Sanchez & Chiavet. & huic ſententiæ favent exempla, quæ affert La-Croix *lib.* 3. *par.* 2. *qu.* 255. §. 4. ubi hæc habet: *In pleriſque Diœceſibus poſſunt Parochi per conſuetudinem diſpenſare in jejunio, etiam quoad uſum carnium, cum particularibus perſonis; quod ſpecialiter de Diœceſi Monaſterienſi ve-*

ſi verum eſt ; ſaltem pro locis in quibus non reſidet Epiſcopus , vel Vicarius ipſius , imo & pro his locis dicunt ſe facultatem habere Parochi , ſaltem per conſuetudinem , nec improbavit celſiſſimus Epiſcopus a me interrogatus , cum & fiat in Urbe Roma , in qua Papa , & ejus Vicarius reſident ; & ita tenent etiam plures cum Leur. Hæc La Croix.

16 Qu. VII. An Epiſcopus poſſit diſpenſare in hac re cum advenis peregrinis , & vagis , qui per ſuam Diœceſim tranſeunt aut in eam ad tempus commorantur , ſicuti poteſt cum ſuis Diœceſanis? Et idem quæritur de Parocho ; an ſcilicet & ipſe poſſit cum prædictis diſpenſare tranſeuntibus , ſeu ad tempus commorantibus in ejus Parochia ?

℞. Affirmative . Ratio eſt quia in hujuſmodi caſibus Epiſcopi & reſpective Parochi ſunt proprii Prælati omnium in ſua Diœceſi commorantium ex rationibus ſupra factis . Ita La-Croix *lib.* 1. *de legib. qu.* 135. §. 3. ubi abſolute docet : ſuperiorem loci , ſeu Territorii poſſe etiam in legibus communibus diſpenſare cum Vagis nullibi habentibus Domicilium , & cit. Sanch. Leſſium , & Caſtropalaum , quem etiam teſtatur , docere cum aliis : poſſe prædictum Superiorem loci diſpenſare in lege comuni etiam cum Peregrinis alibi habentibus Domicilium .

7 Qu. VIII. An Superiores Regulares poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in jejunio , & obſervantia Quadrageſimali ?

℞. Affirmative . Ratio eſt eadem , quam aſſignavimus pro Epiſcopis . Ita Navar. Sà , Sylveſt. Em. Rodrigu. Lezana l. l. citatis ; item Tamb. *l. cit. qu.* 6. Chiavetta *l. cit. n.* 5. Fagund. *l. c. nu.* 5. Diana *tom.* 3. *edit. coord. tr.* 2. *R.* 26. §. 2., & alii apud ipſos .

Ad removendum autem omne dubium , plerique Regulares habent expreſſum privilegium , ut reſpectivi Superiores poſſint circa cibos vetitos , & jejunia cum ſuis ſubditis diſpenſare . Nomine vero Superiorum in re præſenti veniunt illi , qui præſunt toti Religioni , aut Provinciæ , aut ſaltem toti Domui Regulari . Hujuſmodi ſunt Generales , Provinciales , Præpoſiti , Rectores , Abbates , Priores , Guardiani , & alii quocumque nomine nuncupati Superiores locales , univerſæ domui , Monaſterio , Collegio &c. præſidentes . Unde non poſſunt in hac re diſpenſare alii ſubordinati Superiores , qui appellari ſolent Vicarii , Miniſtri , ſub miniſtri &c. hi enim in jure Prælati minime cenſentur , quoniam non toti Collegio , ſive Monaſterio præſunt . Ita Azor. *Inſtit. Moral. par.* 1. *l.* 7. *c.* 18. *qu.* 6. Fagund. Lezana , Chiavet. l. cit. item Tambur. *in Decal. lib.* 4. *cap.* 3. §. 2. *n.* 34. La Croix *lib.* 3. *par.* 2. *qu.* 255. §. 3. Vicerectores tamen , & alii , qui vi Statuti , Conſtitutionis , vel auctoritate Superiorum , funguntur vice , & officio Præpoſitorum , ſeu principalium Superiorum localium abſentium , eamdem auctoritatem , & poteſtatem in hac re habent , atque illi , quorum vices gerunt . Ita Azor. Et Fagund.

Sed quid dicendum de Abbatiſſis? Sunt enim & ipſæ Superiores locales Monaſterii ſui . Reſpondeo , non poſſunt Abbatiſſæ valide diſpenſare in hac re cum ſuis etiam ſubditis Monialibus . Ratio eſt , quia Fœminæ carent juriſdictione , ſeu poteſtate ſpirituali . Ita Pellizar. *de Monial. c.* 10. *ſect.* 2. *ſubſ.* 2. 2. *qu.* 20. *n.* 133. & eſt communis . 18

nis. Vide tamen La-Croix *l. 7. qu. 3.* §. 2. Moniales itaque pro hujuſmodi diſpenſatione debent recurrere ad Superiores ſuos Eccleſiaſticos, quoad ipſas juriſdictionem ſpiritualem habentes etiam in foro externo.

19 Qu. IX. An Superiores Regulares poſſint in hac re diſpenſare cum ſuis famulis, ſeu illis, qui Monaſterio, Domuique inſerviunt Regulari?

℟. Negative. Hi enim ſubduntur Parocho in Spiritualibus; unde a proprio Parocho recipiunt Sacramenta Eccleſiæ, & Euchariſtiam pro Paſchate. Vide Tambur. *in Decal. lib. 4. c. 3. §. 2. nu. 55.* Sermo autem eſt de famulis, qui extra ſepta Monaſterii habitent; confer dicenda l. 5. par. 2. in ejus. 1. par. c. 3. n. 100. De famulis enim, qui intra ſepta habitent, ſermo erit num. ſequ. Idem dicendum eſt de Convictoribus Sæcularibus, qui ſint ſub diſciplina, & Inſtitutione Regularium.

20 Illi autem famuli, qui Regularibus viris actu inſerviunt, & intra eorumdem Septa, domoſque reſident, ſubque eorum obedientia vivunt, non quidem ratione voti, ſed ratione ſervitutis: poſſunt utique diſpenſari hac materia a Superioribus Regularibus Localibus illorum Monaſteriorum, quibus inſerviunt; nam Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. c. 11. de Reformat.* hujuſmodi famulos eximit a Juriſdictione Parochorum, & Ordinariorum, pleneque ſubjicit Regularibus. Confer dicenda lib. 5. loco cit. n. 101. Sunt etiam Regulares, qui expreſſe gaudent Privilegio prædictæ poteſtatis ad tollenda dubia, & ſcrupulos removendos; quemadmodum notavit Fagundez. *in 4. præc. Eccl. l. 1. c. 9.* Sic Azor. *l. cit. qu. 6.* teſtatur, in Compendio privilegiorum aliquorum Ordinum Regularium Verbo *Diſpenſatio*, ita haberi: *Præpoſiti locorum, ac Rectores poſſunt dare licentiam conſilio Medici, vel ſine eo, ſi commode non poſſit haberi, ut noſtri familiares domorum infirmi, ſeu debiles poſſint comedere carnes, ova, & alia ſanis interdicta in Quadrageſima, & aliis jejuniis Eccleſiaſticis ſine licentia Diœceſani: vel ut ſint ſoluti a Lege Jejunii in prædictis temporibus, etiam ſine conſilio Medici.*

Qu. X. Utrum Medicus, & proprius Confeſſarius poſſint in hac re diſpenſare?

℟. Negative. Etenim qua tales 21
non habent poteſtatem, & juriſdictionem ſpiritualem requiſitam ad diſpenſandum. Unde non eſt audiendus Vidal, qui Medico poteſtatem diſpenſandi tribuit in *Arca Theolog. Moral. titul. de jejun. Inquiſ. 2. num. 79.* Quod autem ipſe contendit; Medicum habere poteſtatem delegatam a Summo Pontifice ratione ſuæ artis, hoc gratis confingitur; & argumentum, quod ipſe conficit in favorem opinionis ſuæ, nihil aliud ad ſummum probat, niſi quod Medicus, melius quam non Medicus poſſit declarare, neceſſitatem eſſe talem, ut infirmus non teneatur jejunare, aut poſſit carnes comedere, vel lacticinia. Quod utique admittunt omnes.

Solum itaque Medicus, ut ſupponitur peritus, & pro ſua ſcientia 22
cognoſcere valens neceſſitatem comedendi carnes &c. poteſt declarare, quandonam in particulari adſit hujuſmodi neceſſitas?

Similiter Confeſſarius, ut ſupponitur Vir Doctus, & Pius, ac timoratus, & de Pœnitentis ſui ſalute ſpirituali maxime ſolicitus, poteſt & ipſe prudenter judicare, adeſſe neceſ-

ceſſitatem comedendi carnes: quod etiam poſſet quivis alius Vir prudens & timoratus: imo & in defectu Medici, & Confeſſarii etiam Abbatiſſæ, ut ſupponuntur prudentiores inter ſuas ſubditas. Conf. dicenda n. 34.

Qui autem dicunt: proprium Sacerdotem poſſe in hac re diſpenſare; Nomine proprii Sacerdotis intelligunt Parochum; V. ſup. n. 14. Aliqui vero expreſſe affirmantes, poſſe quoque proprium Confeſſarium, etſi fuerit ſimplex Sacerdos: audiendi non ſunt, cum nec Juriſdictio, ut certum eſt, faveat, nec ulla legitima conſuetudo. Vide Azor. *loc. cit. qu.* 4. Tambur. nu. 62. Lezana V. *Abbatiſſa* nu. 14. & V. *Jejunium* nu. 10. Sylveſt. ſum. V. *Jejunium* n. 20. Navar. *Man. c.* 21. n. 20. Reginal. *in praxi lib.* 4. *c.* 17. *ſect.* 5. *n.* 228. & 229. Sanchez l. cit. Armil. V. *Jejun.* n. 9. Diana *to.* 4. *edit. Coord. tr.* 6. *R.* 4. §. 2. Fagund. *loc. cit.* n. 3. La-Croix *lib.* 3. *par.* 2. *qu.* 55. §. 3. & *lib.* 4. *qu.* 276. §. 6. Quid autem in hoc liceat Confeſſario erga ſuum Pœnitentem habentem Bullam Cruciatæ? vide c. 2. art. 1. ſect. 1. ſubſ. 2.

Qu. XI. An prædicti, qui poſſunt diſpenſare cum aliis, poſſint etiam ſecum ipſis in hac re diſpenſare?

23 ℞. Affirmative: ne ſint deterioris conditionis quam ſubditi; & poſſunt quidem vel immediate per ſe ipſos, vel mediate per proprium Confeſſarium. Vide Azor. *qu.* 6. Fagund. n. 6. Reginal. n. 226. fine. Tambur. n. 57. Lezanam V. *Jejun.* n. 10. fin. Diana *to.* 4. *edit. coord. tr.* 6. *R.* 3. §. 2. & fuſius *tom.* 3. *tr.* 2. *R. R.* 4. 5. & 6. La-Croix *lib.* 1. *de legib. qu.* 135. §. 3. & lege etiam Th. Sanch. *de Matrim. lib.* 8. *diſput.* 3.

24 Qu. XII. An prædicti poſſint aliis committere facultatem diſpenſandi?

℞. Affirmative, idque innuimus qu. præcedenti & conferantur dicta qu. 5. Vide etiam Tamb. *in Decal. lib.* 4. *c.* 3. §. 2. *nu.* 36. & 37. Profecto prædicta poteſtas Epiſcoporum, & aliornm Prælatorum Pontifice inferiorum dici debet ordinaria potius quam delegata, tum quia conceditur ratione muneris, & officii, tum quia eſt perpetua; quæ ſunt conditiones juriſdictionem ordinariam conſtituentes. Vide Dianam *to.* 3. *edit. coord. tr.* 2. *R.* 26. §. 10. Quo poſito locum habet illud Axioma: poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum. *Ex Regul.* 68. *Juris in* 6. Videri poteſt Chiavetta *Inſtit. jur. Canon. lib.* 3. *par.* 1. *c.* 2. §. 3. *n.* 24., & pro prædicta explicatione allegatæ Regulæ juris videri poteſt Viva in *prop.* 15. *Alex. VII. n.* 5.

Qu. XIII. Utrum ad diſpenſandum in hac re, juſta cauſa requiratur? 25

℞. Et dico 1. quod ut Pontifex in lege Jejunii, & abſtinentiæ Quadrageſimalis diſpenſet valide, nulla requiritur cauſa; quæ tamen exigitur ut diſpenſet licite. Vide Tamb. *in Decal. l.* 4. *c.* 5. §. 7. *n.* 32. Azor. *Inſtit. Moral. p.* 1. *l.* 5. *c.* 15. *qu.* 2. & 3. & *lib.* 7. *c.* 18. *qu.* 6. Reginal. l. c. n. 226. Fagund. *l. cit. nu.* 1. & 7. Emman. Rodrigu. *Sum.* 1. *par. c.* 24. *n.* 4. Diana *to.* 3. *edit. coord. tr.* 2. *R.* 7. a §. 3. & dicenda hoc tractatu 2. *l.* 5. par. 2. in ejus 1. par. c. 3. ſect. 3. qu. 2. n. 37. An autem diſpenſando ſine juſta cauſa peccet graviter, vel leviter? Vide Dian. *l. cit. R. R.* 8. 9. & 10.

Dico 2. quod, ut Epiſcopus, & 25 alii Superiores Juriſdictione quaſi Epiſcopali, ſeu ordinaria fungentes in ſuos ſubditos, licite valideque diſpenſent in obſervantia Quadrageſimali, & ſimilibus Eccleſiaſticis de jure communi-

muni jejuniis, & abſtinentiis, requiritur juſta cauſa, ſaltem bona fidè talis exiſtimata; ſecus graviter peccabunt, cum non ſit ipſis data poteſtas diſpenſandi in hac re, niſi pro caſu neceſſitatis alicujus publicæ, aut etiam privatæ. Vid. Tambur. *in Decal. lib.* 4. *c.* 5. §. *L. nu.* 55. Reginald, *n.* 226. Fagund. *n.* 7. Azor. *Inſtitut. Moral. p.* 1. *l.* 5. *c.* 14. *qu.* 9. *& lib.* 7. *c.* 18. *qu.* 6. Diana *to.* 3. *edit. coord. tr.* 2. *R.* 35. §. 1. *&* 2. *& R.* 36. §. *& R.* 37. §. 2. *&* 3. Lezana V. *jejun.* nu. 10. Em. Rodriqu. *ſum.* 1. *par. c.* 24. *n.* 4. *&* 5. qui tamen putat, quod ſi Prælatus inferior habeat a Summo Pontifice plenitudinem poteſtatis ad diſpenſandum in hac re, poſſit valide diſpenſare etiam ſine cauſa: ſed hanc exceptionem merito rejicit Sanchez., quem ſequitur Diana *i. c. Reſ.* 30. quia non preſumitur collata poteſtas in deſtructionem legis.

27 Dico 3. quod cauſa juſta, quæ exigitur in Diſpenſatione Pontificia, ut ſit licita in hac re, ſufficit, ſi tantum ſit ex parte ipſius Pontificis: e. g. quia vult ſe benignum alicui benemerito oſtendere. Ita Tambur. l. cit. n. 53. & La-Croix loc. infr. cit. Vide dicenda qu. ſequenti.

Cauſa vero juſta quæ exigitur in diſpenſatione facienda per alios Prælatos inferiores, ut ſit licita, & valida diſpenſatio, debet ſe tenere ex parte ſubditi diſpenſandi. Armilla V. *Jejunium* n. 9. Tambur. n. 55. quia in hac re diſpenſare, ipſis conceditur, ut ſolum ſubditorum neceſſitatibus ſubveniant. Vide infra dicenda n. 29.

28 Qu. XIV. Qualis, & quanta debeat reputari juſta cauſa ad diſpenſandum cum aliquo in obſervantia Quadrageſimali?

℞. Et dico 1. quod cauſa, quæ requiritur, ut Pontifex diſpenſet licite, duplex eſt: Una ſe tenet, ut diximus, ex parte ipſius Summi Pontificis; Altera ex parte illius, qui poſtulat ſecum diſpenſari. Ex parte hujus, cauſa debet eſſe aliquo modo impediens obſervantiam Quadrageſimalem, de qua cauſa mox dicemus.

Ex parte vero Pontificis, dicit Tambur. nu. 53. poſſe eſſe Cauſam etiam extrinſecam, etiamſi non ſit impeditiva obſervantiæ Quadrageſimalis; ſed tamen ipſi ſupremo Eccleſiaſticarum legum Arbitro bene viſam: ut eſſet, velle ſe benignum alicui de Eccleſia benemerito præbere, ut diximus præced. n. 27. cum eodem Tambur., qui alios citat pro doctrina iſta Doctores, quam etiam docet cum aliis La-Croix *l.* 1. *de legibus quæſt.* 135. §. 6. *& lib.* 4. *quæſt.* 132. §. 10. Eamque confirmare juvat exemplo cujuſdam diſpenſationis factæ ab Alexandro VII. quam tradit Chiavetta *Conſult.* 61. *n.* 24. ubi teſtatur, ſe ſcire, cuidam Equiti Melitenſi indultum fuiſſe a prædicto Pontifice propter illius geſta in bello Cretenſi contra Turcas, ut poſſet diebus vetitis, quemadmodum ipſe eques petiit, veſci carnibus ad decem annos. Enimvero ſimiles diſpenſationes conceſſæ pro perſona particulari non lædunt bonum commune, nec ſunt in alicujus præjudicium, nec bonum ordinem Reipublicæ turbant: Convenit immo ipſi Reipublicæ bono, Principem aliquando ſe benignum oſtendere & exhibere erga hujuſmodi benemeritos.

Dico 2. quod cauſa, quæ requiritur, ut Epiſcopus, & quilibet Superior 29

rior juriſdictionem ordinariam in ſubditos ſuos exercens, licite, valideque diſpenſet in jejunio, & obſervantia Quadrageſimali, debet, quemadmodum docuimus qu. præcedenti fine; omnino ſe tenere ex parte ſubditi diſpenſandi. Cauſa vero juſta erit una ex illis quæ excuſare ſolent in hac re: de quibus videri poteſt Tambur. loco ſupracit. n. 1. & Sylveſter V. *Jejunium* a n. 23. Ad diſpenſandum autem cum particularibus ſufficit, etiamſi dubitetur: utrum cauſa plene, totaliter, & omnino excuſet? Imo diſpenſari poteſt, quamvis appareat, cauſam non plene totaliter & omnino excuſare; ſed aliquo tamen modo rationabili. Ratio eſt, quia ſi neceſſitas particularis certo plena ſit, ac manifeſta, judicio periti, & pii viri ſecundum dicta n. 22. tunc non opus eſt diſpenſatione: ſecundum dicta qu. 3. n. 9. Deinde poteſtas diſpenſandi eſt late interpretanda, cum ſit favorabilis: & item nimis oneroſum eſſet, ſi Superior ſufficientiam cauſæ expendere tam rigide teneretur, ut certo cognoſceret, eam plene, totaliter, & omnino excuſare. Vide dicenda infra n. 39.

Ubi autem Superior videret, ad diſpenſandum adeſſe quidem cauſam, ſed minus ſufficientem; poſſet imponere alquod aliud opus diſpenſato, faciendum vice jejunii, & abſtinentiæ: confer dicenda ſequ. qu. 15. Quod ſi diſpenſandus habeat Bullam Cruc. qualem favorem hæc illi poſſit afferre? Vide cap. 2. ſequenti ubi de Bull. Cruc. art. 1. ſect. 1. ſubſ. 2. qu. 2. n. 28. Pro hic autem dictis videri poſſunt Sylveſter V. *Jejunium* n. 20. Armilla V. *jejunium* n. 6. & 9. Navarr. *in Man. c.* 21. *nu.* 20. Fagund. *l. cit. n.* 7. Azorius *Inſtit. Moral. par.* 1. *lib.* 7. *c.* 18. *qu.* 2. Em. Rodriqu. *l. cit. n.* 11. Diana *edit. coord. to.* 3. *tr.* 2. *R.* 17. §. 2. & *R.* 18. & 19. §. 2. Buſemb. *lib.* 3. *part.* 2. *tr.* 6. *c.* 3. *dub.* 2. La-Croix *lib.* 1. *qu.* 135. §. 8. & *lib.* 3. *part.* 2. *qu.* 255. §. 1. Tambur. *in Decalog. l.* 1. *c.* 3. §. 7. *lit.* D. V. *diſpenſatio n.* 6. & *lib.* 4. *c.* 5. §. 7. *a n.* 60. Chiavetta *Conſult.* 62. *n.* 2. & 6,

Monendi ſunt hic primo Superiores, 30
ne difficiliores ſe præbeant ſubditis petentibus in hac re diſpenſationem, neve ex religione quadam, ſeu inani ſcrupulo, illorum ſe conſcientiæ remittere, dicant, cum diſpenſant: Sed reſolute diſpenſent, ubi quidem noverint, diſpenſationem petitam poſſe largiri ſecundum doctrinas hactenus traditas; potius ſubditis tamquam filiis compatiendo, & a variis conſcientiæ timoribus, ſi quibus angantur, liberando; & non magis implicando. Hoc notavit, & monuit Cajetanus, & ex eo Navarrus n. 22. & ex his Azorius qu. 6. Fagundez num. 7. Reginald. num. 227. Em. Rodriqu. n. 3. Lezana V. *jejunium* n. 10. Diana *to.* 4. *edit. coord. tr.* 6. *R.* 3. §. 1.

Monendi iterum ſunt Superiores 31
iidem, ut concedentes facultatem veſcendi carnibus in diebus Quadrageſimalibus, aut extra Quadrageſimam in diebus jejunii Eccleſiaſtici, meminerint, ſe teneri ſub gravi, hujuſmodi facultatem non aliter dare, quam ſub conditione ſervandæ unicæ comeſtionis in die; & non permiſcendarum epularum: ſeu ne ſimul cum carne comedant piſces in eadem refectione. Ita decrevit Benedictus XIV. uti conſtat ex ejus

Litteris ad Archiepiſcopum Valentinum, & Compoſtellanum, quas dabimus infra art. 11.

32 Deinde commonendi ſunt tertio Medici, ne faciles ſe præbeant in declarando, aliquem infirmum excuſari a jejunio, vel abſtinentia; Et niſi certi ſint de neceſſitate plene excuſante, non illum excuſatum declarent; Si autem dubitent de plena ſufficientia cauſæ, ſeu videant cauſam non plene excuſare, remittant infirmum ad Superiorem ſuum Eccleſiaſticum pro diſpenſatione roganda. Nimiam eſſe in Epiſcopis, Medicis, & Confeſſariis facilitatem diſpenſandi in jejunio, & carnibus, conatur perſuadere Eliz. *in Doctr. Morum l. 6. qu. 16. §. 11.* qui videri poteſt. Quod ad Medicos attinet, eos quidem ideo reprehendit Benedictus XIV. in Epiſt. Encyclica ad Epiſcopos directa circa jejunium; quæ incipit; *Libentiſſime*, ubi prope finem hæc habet: *Accedit etiam quod Medici facilitate quadam incredibili, peculiares quidem Cives a Quadrageſimæ præcepto liberos, & immunes decernere ſoleant: de qua re graviſſime monendi a vobis ſunt, ne ſuas animas indulgendo nimis aggravent.*

33 Monendi ſunt quarto petentes diſpenſationem in hac re, ut neceſſitatem propriam bene examinent, & ſincere illam Superiori exponant: Diſpenſatio enim obtenta ex falſis cauſis nihil operatur: ut habet communis apud La-Croix *lib. 1. de legib. qu. 135. §. 6.* Videantur etiam dicta n. 26.

34 Conceſſerat Leo X. Oraculo non authenticato: ut in Bull. Regul. inter ejus Orac. n. 61. cuidam Ordini Regularium, ut qui ex ipſis forent nimis ſcrupuloſi, poſſent in omnibus dubiis ſuam conſcientiam tangentibus, ſecura conſcientia ſtare determinationi Superioris ſui; etſi ceteroqui id liceat ſcrupuloſis; vide La-Croix *lib. 2. qu. 72. §. 7.* ſed ad majorem quietem animi privilegia hujuſcemodi Pontificia conſuevere concedi; Vid. Fagundez *in 4. præc. Eccl. lib. 1. c. 9. n. 8.* Ideoque ſine reſtrictione ad *nimis* ſcrupuloſos conceſſum fuiſſe per Bullam ab Eugenio IV. Congr. S. Georgii in Alga refertur in lib. Privil. S. Joan. Evangel. fol. 4. pag. 2. his verbis: *Cæterum pro ſerenandis cujuslibet conſcientiis, volumus, ut quoties alicui, ſeu aliquibus dubitationis aut ſcrupuli aliquid emerſerit, ordinationi, ſeu diſpoſitioni Rectoris, vel Præpoſiti, qui pro tempore fuerit in Eccleſiis, vel locis hujuſmodi, ſtare, & ſecundum ipſius declarationem, & voluntatem vos conformare debeatis.*

Manente autem dubio de ſufficien- 35
tia cauſæ excuſantis, recurrendum eſt ad Superiorem pro diſpenſatione, juxta ſuperius dicta. Ratio hujus Doctrinæ eſt, tum voluntas Eccleſiæ, tum quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis: in præſenti autem poſſidet lex, ſeu præceptum jejunii, & obſervantiæ Quadrageſimalis. Vid. Tambur. *lib. 1. in Decal. c. 3. §. 7. lit.* L. V. *Leges* n. 2. La-Croix *l. c.* Nihilominus docent Jo. Sanchez & Caram. apud La Croix l. cit. quod ſi dubium prudens ſit de damno gravi ſecuturo ex jejunio, non ſit opus diſpenſatione; Et favent Bonacina Caſtrop. & Gobat apud La-Croix *lib. 3. par. 1. qu. 159. §. 4.* in materia auditionis Miſſæ docentes contra Suarez: quod, in dubio, an exire ad audiendum Sacrum, illaturum ſit ratione valetudinis incommodum

dum grave: hujuſmodi dubio manente adhuc conſulto Medico, aut in hujus abſentia, alio viro pio, & prudenti: poſſit abſtineri ab auditione Miſſæ; etiam non petita diſpenſatione: quia ita fert praxis univerſalis. Sed præfatæ opinioni Jo. Sanchez & Caramuelis in materia de jejunio contradicit La-Croix *lib.* 3. *par.* 2. *qu.* 255. §. 3. cum Thom. Sanchez, & Illſ. quibus adde Salmantic. in *append. tr.* 6. *de Bull. Cruc. c.* 5. *pu.* 1. *nu.* 5. eo quod lex maneat adhuc in poſſeſſione: Unde ſi adiri poſſit Superior, moramque neceſſitas patiatur, docent diſpenſationem eſſe petendam, etiam ubi dubium ſit, & timor periculi gravis. Verum pro ſententia priori negante neceſſitatem diſpenſationis, reponi poſſet: Non obſtare, quod præceptum videatur eſſe in poſſeſſione contra excuſationemm dubiam; Nam ſupra laudati auctores Bonacina ec. dicunt: tum tantum obligare ratione poſſeſſionis, quando ex obſervatione illius non aditur periculum damni notabilis; Si enim adeatur tale periculum, non eſt paritas inter præceptum, & illum, qui præcepto obligatur. Regula autem juris tantum dicit, in *pari* cauſa, vel delicto meliorem eſſe conditionem poſſidentis: & ita illam explicat Lugo in *Reſp. Moral. lib.* 1. *d.* 4. *n.* 3. Hinc Gobat univerſaliter ſic docet: quoties dubitas (intellige cum rationabili & ſolido fundamento): an habeas cauſam ſufficienter excuſantem, nec ne? & non habes, quem interroges; ſi ſimul dubites, an auditio Miſſæ non ſit tibi allatura grave incommodum? Judica, quod Eccleſia benigna Mater non obliget, ad exponendum te periculo gravis incommodi. Imo Dicaſtillus dicit: talem dubitantem non debere egredi domo; quia tenetur ſibi proſpicere in re gravi. Hæc ex laudatis Auctoribus refert La-Croix ſupracit. l. 4. Adde, quod ipſa manens infirmitas videtur in poſſeſſione ſui juris, ſcilicet cavendi ulterius grave periculum.

His tamen non obſtantibus dicendum eſt; In præſenti materia jejunii, & obſervantiæ Quadrageſimalis: in dicto caſu petendam eſſe diſpenſationem, ſi Superior poſſit adiri, & neceſſitas patiatur moram; quia licet ſciamus, Eccleſiam permittere, ut quivis in neceſſitate particulari, & gravi, & certa excuſante a jejunio ſeu obſervantia Quadrageſimali, non accedat ad Superiorem pro diſpenſatione, & licentia non jejunandi, vel abſtinendi; contra tamen non conſtat de ſimili voluntate Eccleſiæ in neceſſitate dubia quantumvis gravi. Ergo &c. 36

Dictum eſt: *ſi adiri poſſit Superior ec.* enim vero in caſu quo dubium ſit de gravi damno; Si non poſſit adiri Superior, & neceſſitas non patiatur moram; pia Mater Eccleſia non eſt putanda, velle relinquere expoſitum periculo gravis damni Fidelem impotentem ad eam accedere pro diſpenſatione in jejunio, aut abſtinentia, ratione dubii prædicti. Imo ipſi Salmantic. l. cit. concedunt, in caſu præfati dubii damni gravis, ſi abſit Superior, eſſe etiam obligationem veſcendi carnibus. Videri item poteſt Quintanadvent. *tom.* 2. *ſingul. tr.* 9. *ſingul.* 1. *n.* 2. Tambur. *in* 4. *præc. Eccl. c.* 10. *nu.* 21. Subjicimus tamen cum Gobat, quem laudat La-Croix ſupra cit. atque monemus: has, ſimileſq. ſententias proponendas non eſſe cuivis: quia nimirum proni ſumus ad credendum, a-

O 2 li-

liquid multum obfuturum, quod tamen minime oberit: præſertim quando agitur de re, quam illubenter facimus.

37 Virum peritum, ac pium poſſe ſtare in hac materia judicio etiam ſuo, colliges ex ſupradictis; ſi nimirum abſque Medici, & Confeſſarii conſilio judicaverit habere ſufficientem cauſam, ad petendam, & obtinendam diſpenſationem, poterit hanc petere. Quod ſignificant Diana *to. 4. edit. coord. tr. 6. R. 4. §. 1.* & alii. Imo ſi judicaverit cauſſam certam eſſe, & ſatis ſufficientem ad excuſandum abſque ulla diſpenſatione; poterit ſine hac abſtinere a jejunio, vel veſci lacticiniis, aut carne, pro ratione indigentiæ. Quod paſſim ſignificant Auctores. Verumtamen haud facile hoc de ſe ipſo quiſque judicare debet; ſed niſi neceſſitas urgeat, ſemper recurrendum eſt ad conſilium Medici, & Confeſſarii, ſeu alterius periti, ac pii viri: ut rite monet La-Croix *lib. 1. de legibus quæſt. 135. §. 1.* & ita etiam præſcribitur in Conſtit. Benedicti XIV. quæ incipit: *Non ambigimus*. Cavendum adhuc eſt ſemper, ne ſcandalum præbeatur, & inſpiciendum, an aliqua adſit circumſtantia, ex qua neceſſario facultas ſit a Superiore petenda? ut recte animadvertit Bonacina, & ex eo Chiavetta l. citato ſuperius.

38 Denique hic commonendi ſunt quinto Diſpenſati ad carnes edendas diebus quadrageſimalibus, aut extra Quadrageſimam in diebus jejunii Eccleſiaſtici; quod, ſi non ſint ſimul excuſati a jejunio, puta propter ætatem, vel ingentem laborem, teneantur ſub gravi jejunare, ſeu abſtinere a ſecunda plena refectione: nec poſſint ſimul cum carnibus adhibere piſces in eadem refectione: nec carnibus uti in refectiuncula ſerotina; Secus graviter peccabunt. Conſtat ex Conſtitutionibus Benedicti XIV. recitandis ar. 11. & ex litteris ejus ad Archiepiſcopum Compoſtellanum, quas deſcribemus ibidem.

Ad ultimum pro quantitate cauſæ requiſitæ ad diſpenſandum, præter ea quæ dicta ſunt ſupra n. 29. ſubjicimus, quod etſi dari non poſſit regula certa, & generalis, ſed ea ex judicio prudenti ſit moraliter judicanda; hoc tamen pro certo ſtatuimus: majorem cauſam requiri in diſpenſatione ad carnes, quam ad ova, & lacticinia: itemque majorem cauſam exigi ad diſpenſandum in jejunio, quam in ovis, & lacticiniis; ut docet Tamburinus nu. *61.* Ratio eſt, quia quo major, ſeu gravior eſt materia diſpenſationis, eo major debet eſſe neceſſitas ad diſpenſandum in illa: per ſe autem patet, majorem, & graviorem eſſe abſtinentiam a carne, quam abſtinentiam a lacticiniis. Et item abſtinentia a multiplici refectione major, & gravior eſt, quam ſola abſtinentia a lacticiniis. 39

Qu. XV. An debeat injungi, & imponi aliquod aliud opus illi, cui diſpenſatur obſervantia Quadrageſimalis, vel in totum, vel in partem, vel in univerſum, vel per aliquos dies? 40

℞. Affirmat Fagund. *in 4. præc. Eccl. l. 1. c. 9. n. 1.* fine, ubi docet: quod quando Prælati diſpenſant cum aliquo in jejunio, & obſervantia Quadrageſimali, ſemper debeant diſpenſationem, & cauſæ defectum commutatione aliqua ſupplere, vel per eleemoſynam, ſi diſpenſatus poſſit illam elargiri pauperibus: vel imponendo

cer-

certas preces prout magis in Domino judicaverint expedire, ut ſcilicet omnis error, inquit, ab hujuſmodi diſpenſationibus expellatur & propulſetur; Ita Fagund., qui citat pro ſe Cajetanum: Idem dicit Reginaldus *lib.* 4. *c.* 17. *ſect.* 9. *n.* 225. qui tamen non videtur imponere veram neceſſitatem hoc faciendi, ſimpliciter enim dicit, id conſentaneum eſſe.

Hanc ſententiam quidem tenent aliqui alii: ſed communiter Doctores negant, opus eſſe ſemper, aliquod aliud imponere onus vice materiæ diſpenſatæ. Et vero ſi Prælati, eo quod ſemper diſpenſent ex cauſa omnino non excuſante a lege, ſemper ideo imponere deberent diſpenſato aliquod aliud onus, non viderentur gaudere poteſtate diſpenſandi; ſed potius commutandi, quæ eſt poteſtas diverſa, & longe inferior. Omnes autem Doctores ſimpliciter illis tribuunt poteſtatem diſpenſandi: Scilicet poſſe ex juſta cauſa ab obligatione legis univerſalis abſolvere, quotieſcumque neceſſitas aliqua particularis occurrerit, commutatione nulla permixta: Quod teſte Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 9. *fine*, receptiſſimus Eccleſiæ uſus approbat.

Non negandum tamen, quod aliquando, nimirum cum judicarent, cauſam diſpenſationis non eſſe multum rationabilem, poſſent Prælati miſcere aliquam commutationem diſpenſationi, injungendo ſcilicet aliquas orationes, vel alia pia opera; Ita Lezana *ſum* V. *jejun. n.* 10. Armil. V. *jejunium* n. 6. Tambur. *l.* 4. *in decal. c.* 5. §. 7. *n.* 60. *fine*. La-Croix *l.* 3. *par.* 2. *qu.* 255. §. 1. & alii.

Quod autem vice jejunii, aut abſtinentiæ in dicto caſu imponitur, non debet eſſe moraliter æquale; ſecus erit commutatio ſimplex, & non diſpenſatio. Quod ſi diſpenſandus habeat Bullam Cruciatæ, qualem favorem hæc illi poſſit afferre? vide ſequ. c. 2. ubi de Bull. Cruc. art. 1. ſect. 1. ſubſ. 1. qu. 2. n. 28.

Qu. XVI An qui obtinuit diſpen- 41
ſationem in obſervantia Quadrageſimali, ſi antequam abſolvatur Quadrageſima, moriatur Superior, qui cum eo diſpenſavit, poſſit nihilominus proſequi diſpenſatione gaudere? Quod eſt quærere: an diſpenſatio prædicta expiret morte concedentis?

℞. Diſpenſationem prædictam non expirare: Atque adeo in prædicto caſu ſatis licere, diſpenſatione uti pro reliquis Quadrageſimæ diebus, pro quibus facta diſpenſatio fuit; Ita Sanch. *to.* 3. *de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 28. *n.* 77. Diana *to.* 3. *edit. coord. tr.* 2. *R.* 145. §. 9. Bonacina *to.* 2. *diſp.* 1. *quæſt.* 2. *de diſpenſat. pu.* 10. §. 2. *n.* 1. citans pro hac ſententia Henriqu. Barboſ. Sal. Suar. Navar. Gutierez.

Qu. XVII. Utrum, ſi quis initio 42
Quadrageſimæ obtineat diſpenſationem a jejunio ob morbum, a quo poſt dies octo e. g. integre ſanetur; maneat diſpenſatus pro reliqua parte Quadrageſimæ.

℞. Negative: Diſpenſationes enim hujuſmodi imbibitam ſemper habent clauſulam, ſtante veritate, aut ſaltem probabilitate expoſitorum, ergo hac ceſſante, ceſſat diſpenſatio. Quæmadmodum ergo peccaret qui ſciens volens diſpenſatione uteretur obreptitia, aut ſubreptitia, eſſet enim hæc ipſo facto nulla; ita peccaret, qui poſtquam certo convaluerit a morbo, diſpenſatione uteretur, intuitu præſentis morbi obtenta.

No-

43 Nota, appoſite me dixiſſe diſpenſationes hujuſmodi imbibitam habere clauſulam *ſtante ſaltem probabilitate expoſitorum*. Enimvero prudens & æquus Superior nedum pro certo morbi ſtatu, ſed etiam pro probabili, & prudenti ejuſdem timore aut ſuſpicione, cenſetur velle diſpenſare; immo etiam diſpenſationis neceſſitas & locus magis facit in dubio morbo; quo exiſtente, ipſa per ſe ceſſat lex. Quamobrem niſi conſtet, cauſam obtentæ diſpenſationis abſolute ceſſaſſe, tuto poſſet quis in ejus uſu perdurare. Et ita docet La-Croix l. c. & valere poteſt Juris principium, quod in dubio melior eſt conditio poſſidentis.

44 Qu. XVIII. Qui habet experientiam antiquam, ſibi eſſe nocivum, carnibus, aut Lacticinis non uti in Quadrageſima: utrum nihilominus teneatur in futuris Quadrageſimis abſtinere a carnibus, & Lacticiniis: ad experiendum an nocumentum exoriatur, aut ſaltem poſſit ratione prædictæ experientiæ diſpenſari?

℞. Teneri abſtinere, negant cum Trullench. Salmantic. in append. *tr. 6. de Bull. Cruc. c. 5. pu. 1. n. 3.* item cum eodem Trullench. cum Jo. Sanchez. Jo. de-la Crux, & aliis tacito nomine negat Quintanadvenas *to. 2. ſingul. tr. 9. ſingul. 1. n. 2.* item Tambur. *in 4. præceptum Eccleſiæ c. 10. n. 12.*, & Diana *to. 4. edit. coord. tr. 3. R. 171. §. 3.*

Recte tamen addunt, & monent: id non eſſe intelligendum de caſu, quo maxime dubitetur ſeu prudenter videatur, cauſam nocumenti ceſſaſſe. De qualitate cauſæ ſufficientis ad diſpenſationem egimus qu. 14.

45 Qu. XIX. An diſpenſatus ad carnes teneatur jejunare, & an poſſit comedere ſimul piſces?

℞. His, & ſimilibus quæſtionibus reſpondebimus art. 8. & 9. vide ibi dicenda.

ARTICULUS III.

De multiplici Ratione Inſtitutionis Quadrageſimæ.

SEPTEM notavit rationes Inſtitutionis Quadrageſimalis Bellarminus *Contr. to. 3. contro. 3. lib. 2. cap. 16.* Quinque hic exponam, quæ mihi viſæ ſunt potiores. 46

Prima ratio, ut Chriſtiani omnes pro negligentiis toto anno commiſſis agant quaſi communem, & publicam pœnitentiam, & Deum conjunctis ſtudiis, precibus, & lacrymis placare nitantur: & quidem facilius, quam ſi ſinguli ſeorſum, ac diverſis temporibus jejunarent; ſicut enim, ait idem Bellarminus to. 6. *Concion. 23. altera de Dom. 1. Quadrag. de jejun. §. Poſtremo*: Sicut enim, ſi ingens aliquod onus trahendum ſit a quadraginta hominibus: ſi omnes ſimul ad funem manus admoveant, facile illud trahent: ſi vero quiſque per ſe, & unus poſt alium trahere conetur, omnes faticabuntur, & tamen onus non trahetur; ad eumdem modum Deum ad Miſericordiam facilius trahimus, ſi omnes ſimul, quaſi impetu quodam ſpiritus, & fervoris jejunemus, oremus, in Cœlum clamemus, quam ſi hodie unus, poſt menſem alius jejunaret; ita Bellarminus. Hinc Jojel 1. 14. inculcat: *Sanctificate jejunium, vocate cœtum congregate ſenes, omnes habitatores terræ in Domum Dei veſtri, & clamate ad Dominum*. Prædictam rationem ex

ex parte reddit S. Leo. *Serm.* 4. *de Quadrageſima*.

Secunda ratio eſt, ut ad Sacram Communionem, quam in Paſchate Chriſtianorum nullus negligere poteſt, ſimul omnes per hoc publicum, ac ſolemne jejunium præparemur. Reddunt hanc rationem Chryſoſtomus *hom.* 1. *in Geneſ. fine*, & Hieronymus *in cap.* 3. *Jonæ & in cap.* 9. *Matth.* item Beleth *de Div. offic. c.* 87. Durand. *in Ration. lib.* 6. *c.* 28. *n.* 6.

Tertio loco do rationem, quam Bellarminus dat quarto; ea eſt ut ad celebrationem Paſſionis, & Reſurrectionis Domini, quæ ſunt Myſteria noſtræ Redemptionis omnium maxima, per hoc ſolemne jejunium præparemur. Reddunt hanc rationem paſſim SS. Patres, ſed præcipue S. Leo *ſerm.* 9. 10. & 12. *de Quadrageſima*. Ideo a Chryſoſtomo *homil. de jejun. primi Paſchæ cap.* 10. Quadrageſima Paraſceve Paſchæ appellatur: imo Paſchatis nomine Quadrageſimam quandoque multi veterum intelligebant; ſic Gelaſius Papa ſcribens ad Laurentium Centumcellenſem Epiſcopum, Dominicam Paſſionis (Dominicam quartam Quadrageſimæ nonnulli opinati ſunt: quos tamen cum aliis rejicit Meratus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 7. *nu.* 3.) appellavit *Dominicam medianam Paſchæ*. Rurſus in Concilio Toletano VIII. cap. 9. damnantur, qui per ingluviem profanabant *feſta Paſchalia* illicitarum eſcarum perceptione; ideſt, (ut exponitur:) qui carnes comedebant per tempus Quadrageſimæ. Paſcha item pro Quadrageſima ponitur apud S. Auguſtinum in Pſ. 98. cum ſecernit jejunia Paganorum a jejunio noſtro per dies *Paſchæ*, ideſt Quadrageſimæ. Similiter apud Timotheum Alexandrinum, ut refert Raynaudus *to.* 10. *tr. de Roſa c.* 1. poſt initium; quæritur enim a Timotheo: an Æger utcumque ſanatus, & Mulier, quæ peperit, teneantur jejunare, ſi venerit *Sanctum Paſcha?* ideſt, Quadrageſima: ut Balſamon interpretatur. Ex quibus colligitur, Quadrageſima eſſe præparatio, ad celebrandum Paſcha: cum quo unum facere exiſtimatur.

Quarto loco pono rationem, quam Bellarminus dat ſexto; ea eſt, ut quaſi Decimas vitæ noſtræ per abſtinentiam quadrageſimalem Deo conſecremus; nam dierum totius anni decima pars ſunt dies triginta ſex; tot autem ſunt dies jejunii quadrageſimalis proprie dicti; Quadrageſima enim proprie incipit a Dominica Quadrageſimæ, & jejunium perfectum quadrageſimale proprie incipit a feria ſecunda poſt prædictam Dominicam: ut dictum eſt art. 1. n. 1. & iterum dicetur art. 6. Hanc rationem reddunt Caſſianus *Coll.* 21. *c.* 27. Gregorius *homil.* 16. *in Evang.* Iſidorus *lib.* 1. *de Eccl. Offic. c.* 36. *de jejun. Quadrag.* Dorotheus Ab. apud Bell. *l. cit.* Rabanus Maurus *Inſtit. Clericor. l.* 2. *c.* 20. Jo. Beleth *de Divin. Offic. c.* 10. & *c.* 11. *initio*, Durandus in *Ration. lib.* 6. *c.* 24. *n.* 7. & *c.* 28. *num.* 3.

Denique quinto loco pono rationem, quam Bellarminus dat ſeptimo, quamque indicavimus art. 1. n. 1. illa eſt, ut Chriſtum Dominum, qui caput noſtrum eſt, eo modo, quo poſſumus imitemur. Imitamur autem per hoc ſolemne jejunium tum Paſſionem Chriſti, quam hoc tempore ipſe pro nobis pertulit; tum etiam imitamur illud ipſum jejunium, quod noſtri cauſa Salvator Mundi, Dux, & Præ-

ceptor Gentium ſuſcipere dignatus eſt. Hanc rationem reddunt SS. Patres art. ſequenti laudandi. Et quidem S. Ambroſius *Ep. 25. ad Eccleſ. Vercellenſem tom. 5. operum ejus edit. Pariſ. an. 1661.* contra aliquos, qui jejunandum eſſe negabant: videtur velle, non poſſe aliam cauſam aſſignari, ob quam Chriſtus Dominus jejunaverit, niſi ut nos, ejus exemplum deinde ſequentes, jejunaremus: ſic enim prædictos urgebat: *Et quia iſti jejunandum negant, qua cauſa Chriſtus jejunaverit, adſtruant; niſi ut nobis exemplo eſſet ejus jejunium?* Quapropter S. Bernardus *ſermone 3. de Quadrag.* ſic hortatur, ad hoc ſolemne jejunium celebrandum: *Denique tanto devotius imitandum nobis eſt Chriſti jejunantis exemplum, quanto certius eſt, propter nos jejunaſſe, non propter ſeipſum.*

ARTICULUS IV.

An prædicti Jejunii numerus quadragenarius aliquid in ſe contineat myſterii?

47 NON ex ſuperſtitione, ut calumniantur hæretici, ſed ex Religione, & Chriſti imitatione, atque Apoſtolorum traditione quadraginta dierum jejunium obſervamus. Ita S. Ambroſius *ſerm. 40. ad Eccl. Vercellenſem initio cit. edit.* affirmat; *hunc Quadragenarium numerum non eſſe ab hominibus conſtitutum: ſed divinitus conſecratum; nec terrena cogitatione inventum; ſed cœleſti majeſtate præceptum.* Quæ vero verba non ita intelligenda ſunt, ut velint, a Deo ipſo Quadrageſimam fuiſſe inſtitutam; hoc enim parum probabile eſt, ut ex Leſſio notavimus art. 2. n. 3. fine; ſed intelligenda ſunt, ut explicat ipſe Leſſius *de Juſt. lib. 4. c. 2. de jejun. n. 31.* Reginal. *lib. 4. n. 130.* Bellarmin. *controv. to. 3. controv. 3. lib. 2. c. 14. fin.* quia hunc dierum numerum ſuo facto ſacrum, & religioſum fecit Chriſtus Dominus Deus noſter: & hunc explendo, illum imitamur, & colimus. Dicitur *non ab hominibus inſtitutus, ſed cœleſti majeſtate præceptus:* quia Chriſtus nobis Quadrageſimam hanc ſuo commendavit exemplo: quod quidem exemplum nobis debet inſtar eſſe præcepti, præſertim accedente mandato Apoſtolico. Item quia Apoſtoli præceperunt inſtinctu Divino; porro Quadrageſimam ex inſtitutione eſſe Apoſtolorum, oſtendimus art. 2. initio. Dicitur etiam præfatus numerus idem, *nec eſſe terrena cogitatione inventus:* quia numerus iſte dierum primitus a Deo conſecratus fuit in jejunio Moyſi, Eliæ, & Domini noſtri Salvatoris. His poſitis quæritur: an ergo myſterii aliquid in ſe contineat hujuſmodi quadragenarius jejunii numerus?

℞. Non quidem unicum, ſed etiam plura in ſe, aſſerimus, myſteria continere: Brevitati autem conſulentes, dicimus, quod Eccleſia Catholica jejunium hoc ſolemne, & univerſale diebus celebrat quadraginta; quia quadragennarius numerus pœnitentiæ convenit ex S.S. Patribus Hyeronimo *in c. 3. Jonæ*, & Gregorio *homil. 16. in Evangel.* Scilicet Quadragenarius numerus in Scripturis eſt ſemper deputatus pœnitentiæ, & labori: *Qui numerus ſemper afflictionis, & pœnæ eſt:* ait laudatus S. Hieronymus *in c. 29. Ezech.* loquens de numero quadragenario; confirmat hoc Sanctus Doctor, adducendo jejunium Mo-

Moſis, Eliæ, & Domini noſtri, qui per dies quadraginta jejunium ſuum continuarunt. Populus Iſrael egreſſus de terra Egypti, eo quod de divino auxilio ſibi promiſſo deſperaverit, damnatus eſt per deſertum vagare circulo annorum quadraginta: Univerſalis diluvii aquæ terram inundarunt, & orbi naufragium intulerunt dierum ſpatio quadraginta: ſic Ezechiel Propheta c. 4. 6. ex Dei mandato juſſus eſt, ſuper latus ſuum dexterum jugiter dormire quadraginta diebus. Sicut itaque ex adductis ab Hieronymo exemplis patet, quadragenarius numerus in Scripturis pro pœnitentia ſolet aſſumi. Multis inſuper aliis modis quadragenarius numerus in ſacris litteris eſt conſecratus, ut videre eſt apud S. Iſidorum *de Eccl. Off. ac. lib.* 1. *c.* 36. & notavit S. Ambr. *l.* 4. *& ſerm.* 31. exemplis pluribus adductis; Bellarminus *tom.* 6. *Concion. loco art. præced. cit.* §. *Diabolus dicet*, & Petr. Bongus lib. *de myſteriis numeror.* V. *Quadraginta*.

Sed præcipua hujus quadragenarii numeri ratio illa eſſe, videtur, quam hæretici quidem rident; at vero Sancti Patres maximi faciunt, atque commendant; ſcilicet per quadraginta dies jejunium hoc ſolemne continuamus, ad imitandum modulo noſtro Chriſtum Dominum, qui quadraginta diebus legitur jejunaſſe. Hanc inter alias, & præ aliis hujus quadragenarii numeri rationem dant Ignatius *ep. ad Philipp.* prope fin. Baſilius *homil.* 1. *de laudibus jejunii*. Gregorius Nazianz. *or.* 40. *in ſanctum Baptiſm.* Hieronymus *in c.* 58. *Iſaiæ*, Chryſoſt. *hom.* 1. *in Geneſ.* Auguſtinus *ep.* 119. *cap.* 15. Ambroſius in pluribus ſermonibus *de jejun. quadrag.* Iſidor. hiſpal. Epiſc. *de Eccl. Officiis lib.* 1. *c.* 36. *de jejun. quadrag.* deinde Rabanus Maurus *Inſtit. Cleric. l.* 2. *c.* 20. & alii plerique. Vid. Bellarm. *to. ult. controverſ. l. cit.* & Raynaud. *tom.* 10. *tr. de Roſa c.* 7. ubi examinat, ob quem finem inſtituta fuerit Quadrageſima?

ARTICULUS V.

Quodnam jejunium, & qualis abſtinentia ſit in Qadrageſima ſervanda.

De Cœnobitis Ægypti refert Hieronymus *epiſt.* 22. *ad Euſtochium de cuſtodia virginit.* quadrageſimalia celebraſſe jejunia rigoroſius, quam conſueverint in reliquis anni diebus quibuslibet jejunio deſtinatis: *Jejunium totius anni æquale eſt; excepta Quadrageſima, in qua ſola conceditur diſtrictius vivere.* Sed & univerſaliter loquendo, ex Divo Gregorio ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum *c. Denique Sacerdotes* 6. *diſt.* 4. intelligitur Chriſtianos veteres ſeverioris in jejunando diſciplinæ adeo obſervantes intra Quadrageſimam extitiſſe, ut non modo ſeſe a carnibus continerent, & ab iis, quæ ſementinam carnis trahunt originem, lacte, caſeo, & ovis; verum etiam ne piſces quidem, niſi parvos attingerent; vinum quoque ita biberent, ut omnem vitarent ebrietatem. Idem refert Euſebius *hiſt. Eccl. lib.* 5. *c.* 6. Prudentius inſuper explicat, quibus veſcerentur cibis in Quadrageſima Chriſtiani, hymno 3. ante cibum.

48

Nos oleris coma, nos ſiliqua,
Fœta legumine multimodo
Paverit innocuis epulis.

Concilium Laodicenum in Oriente celebratum (incertum quo anno: vide Baron. ad an. Chr. 395. in Ap-

pend.) decreverat Canone quinquageſimo, ut in Quadrageſima eſcis aridis omnes uterentur: *oportet totam Quadrageſimam jejunare aridis veſcentes*. Apud Cabaſſut. *ſæcul.* 4. *de Synod. Laodic. nu.* 22. Bellarm. *controv. tom.* 3. *de bon. oper. in part. lib.* 2. *c.* 7. §. *eadem ſententia*. Aridorum autem nomine veniebat abſtinentia a carne, ova, & lacticiniis; item a piſcibus, ab oleo, & omni condimento præter Sal; denique veniebat abſtinentia a vino: uti teſtatur, & oſtendit Cabaſſut. *Sæc.* 2. *diſſ.* 20. *n.* 3.

Prædictam regulam Græci aliqua ex parte obſervant in jejuniis; apud quos vigere a cunctis piſcibus abſtinentiam teſtatur Balſamon apud Cabaſſut. locis citat. qui ibidem refert, ſcribi a diverſis, qui utramque Armeniam peragrarunt: Armenos fere omnes Euthychetis dogmata conſectantes, non ſolum ab omni carne animalium terreſtrium, & aquatilium, a lacticiniis, & ovis: verum etiam a vino, & oleo, jejuniorum abſtinere diebus. Etiamnum Maronitæ Quadrageſimali tempore piſces non edunt, nec vinum bibunt; veterem enim jejunii diſciplinam iiſdem Maronitis, ſeu Syris, Armeniſque catholicis relaxari, numquam paſſa eſt Apoſtolica Sedes; ideoque rejecta tamquam minus legitima cauſa ad facultatem diſpenſandi obtinendam a Miſſionariis aliquando allegata, jejunii lex ſervari præcipitur Benedicti XIV. Conſtitutione incip. *Allatæ ſunt*. §. 47. extat. tom. 4. Bullar. ejus nu. 47. in cujus ſummario eidem Bullæ præfixo ſic legitur: *A Syriacis, & Armenis in Latinorum Eccleſiis Sacra peragentibus proprium Ritum ſervari præcipitur. Miſſionariis denegatur facultas diſpenſandi eoſdem Syriacos, & Armenos ſuper abſtinentia a piſcibus jejunii tempore. Omnes denique Græcos orientales Ritus conſervandos eſſe decernitur; monenturque Miſſionarii, ut in Orientalibus convertendis, eos ab erroribus, & ſchiſmate revocent, non a ſuis approbatis Ritibus avertant*. Licet ejuſdem Benedicti XIV. Conſtitutione incip. *Etſi Paſtoralis*. 57. tom. 1. Bullarii ejus permittatur tam Græcis in Corſica habitantibus, quam omnibus, & ſingulis Albanenſibus, & Græcis, qui in Italia, & Inſulis adjacentibus commorantur, ut ad inſtar Latinorum, in quorum Diœceſibus degunt, in Quadrageſima quartis, & ſextis feriis, & reliquis anni jejuniis, vino, oleo, & piſcibus cujuſcumque generis uti poſſint. An item, ubi promulgatur Bulla Cruciatæ, qui habitent ibi, Græci poſſint, illius privilegiis frui, etiam quoad cibos vetitos; ita ut poſſint, ſi Bullam ſumant, veſci piſcibus quibuslibet, & inſuper vis, ac lacticiniis? examinabimus ſequenti c. 2. nu. 274. De prædictis vero, & ſimilibus aſperitatibus tranſigendi Quadrageſimam, videri poteſt Rayn. *to.* 10. *tr. de Roſa c.* 7. Azor. *Inſtit. Moral. par.* 1. *l.* 7. *c.* 10. *q.* 7.

Sed jam Eccleſia Latina in jejuniis nobis non prohibet niſi plus quam unam in die plenam refectionem ſumere, certa hora ſumendam, quæ quænam ſit? diximus tr. 1. l. 1. c. 1. art. 9. ſect. 8. n. 41. & iterum hic art. 10. Quænam vero apud veteres fuerit? cognoſci poterit ex dicendis c. 3. qu. 3. n. 14.

Rurſus præcipit Eccleſia in Jejuniis abſtinentiam a carne proprie dicta, puta Pecorum, & Avium. Vide dicta tr. 1. ubi de fer. 6. art. 1. qu. 1. non item piſcium, quorum tamen e-

jus

ſus ita Chriſtiano relinquitur, ut hoc ei infirmitatis ſolatium, non luxuriæ pariat incendium: Ut Gregorius monet ſupra cit. C. *Denique*. Prohibet demum Eccleſia in Quadrageſima ova, & lacticinia. Et hæc eſt abſtinentia noſtra, & obſervantia præſens Quadrageſimalis. Porro determinationes hujuſmodi rerum, quæ non habentur ex divino jure, poſſunt per Eccleſiaſticam legem, vel conſuetudinem, pro locorum, & temporum diverſitate ita variari, ut quod uno loco, vel tempore licet, alio loco, vel tempore liceat, quemadmodum obſervat Bellarm. l. cit. c. 2. & Benedict. XIV. Inſtitut. Eccleſ. inſtit. 16. Quapropter, ut idem Bellarminus ibidem monet; etſi noſtro tempore ſeveritas jejuniorum aliquantulum relaxata eſſe videatur, tamen non ideo reprehendi poteſt populus Chriſtianus, qui morem in Eccleſia introductum, a Paſtoribus probatum ſequitur. Sed quare introductus eſt? nimirum, ut modo innuimus, pro temporum diverſitate. Quis enim neget humanorum corporum habitudinem in deterius eſſe mutatam? adeoque priſtinam illam abſtinentiam, & priſcum jejunandi morem ferre non poſſe? Faciunt hic verba S. Leonis Papæ ep. 99. *Multa ſunt, quæ pro neceſſitate temporum, aut pro conſideratione ætatum oportet temperare*. Et S. Gregorius relatus in Decr. Gratiani *diſt.* 29. ait: *Regulæ SS. Patrum pro tempore, loco, & perſona, & negotio, inſtante neceſſitate traditæ ſunt*. Cardinalis Bona *lib. 1. Vet. liturg. c.* 18. inquit. *Moribus immutatis ſacros quoque ritus variari conſequens fuit; & multa quidem ſapientiſſime ab OEcumenicis Conciliis, & a Summis Pontificibus innovata fuerunt, id exigente temporum conditione, quæ priſtinæ conſuetudinis diſtrictionem ſemper in eodem ſtatu manere non patitur*. Denique Petrus Pictavienſis allegatus a La Croix *l. 6. par. 7. qu.* 172. §. 4. obſervat: antiquorum Canonum Pœnitentialium temperatum fuiſſe rigorem; quia (inquit) non poſſumus *ſuſtinere cenſuram illius temporis, quando & corpora defecerunt*.

50 Qu. hic 1. Quare Eccleſia Occidentalis non abſtinuerit in jejuniis a vino, quemadmodum Eccleſia Orientalis?

℟. Cum Bellarm. l. cit. c. 5. fine, ubi ait: *Abſtinentiam vini in iis locis, ubi corporum valetudini potus aquæ non multum nocet, valde congruentem eſſe jejunio; & ideo Eccleſiam Orientalem in Quadrageſima non minus a vino, quam a carnibus abſtinuiſſe; ut teſtatur Baſilius* orat. 1. de jejunio; *Cyrillus* Catecheſi 4. *Theophil.* lib. 3. Paſchali; & *Chryſoſtomus* hom. 6. in Geneſim. *In Regionibus autem frigidioribus ideo noluiſſe Eccleſiam vini abſtinentiam imperare, quoniam a plurimis ſine magno valetudinis periculo tolerari non potuiſſet*.

Nota hic: orientales Clericos, vel Laicos, quamvis inter latinos commorentur; aut contra, Latinos inter Græcos, licite patrios mores obſervare; eo quod Eccleſia id permittat, ne cogantur novos addiſcere mores, vetereſque deponere: quod eſſet durum & difficile, cum ſint plurimum diverſi: ut teſtatur, & notat Azorius *Inſtit. Moral. par. 1. lib. 5. c.* 18. *q.* 13. Vide tamen dicenda art. ſequen. n. 55. & dicta tr. 1. l. 2. ubi de Sabbato art. 7. n. 54. & videri etiam poſſunt ibidem dicta qu. 7.

51 Qu. II. Ubi extet hæc lex, quæ præcipiat jejunium dicto modo ſervandum? Scilicet primo cum uni-

ca refectione, certa hora ſumenda. Secundo cum abſtinentia a carne? Item ubi Lex præcipiens in Quadrageſima ovorum, & lacticiniorum abſtinentiam?

℞. Multos velle de prædictis obligationibus extare præceptum in jure ſcripto, quod allegant. Sed ſi illud revocetur in dubium, ut plerique revocant; Certiſſime lex, quæ ſupradicta præcipit, eſt praxis ipſa, & conſuetudo continua Eccleſiæ univerſalis, quæ viva lex eſt, quam Sancti Patres commendant, Sacri adhuc Canones, & Concilia urgent; & contra tranſgreſſores pœnas graves decernunt. Unde art. 8. & 9. obſervantiam quadrageſimalem ſub gravi obligare, docebimus. Interim vide de hac re Bellarm. loc. cit. c. 5. & 7. Natal. ab Alex. *Sæc.* 2. *diſſert.* 4. *art.* 2. Salmantic. *to.* 5. *tr.* 23. *c.* 2. *pu.* 1. *a nu.* 8. *&* *pu.* 2. §. 2. *n.* 32. *&* 33. Viva in prop. 32. Alexandr. VII. a nu. 5. & Benedict. XIV. tom. 1. Notif. 16.

52 Priuſquam progrediamur ad alia, animadvertimus hic ceſſare in tota Quadrageſima, ſicut & intermittitur in Vigiliis & Quatuor Temporibus anni, privilegium illud, quod una, vel altera Provincia excepta, habent Hyſpani veſcendi in omnibus Sabbatis Animantium extremitatibus, inteſtinis, ac viſceribus. Quapropter in Sabbatis Quadrageſimæ, illis veſci non poſſunt privilegiati prædicti. Salmantic. *l. cit. pu.* 5. §. 2. *n.* 109. fine. Idem eſt de recentiori Privilegio, & permiſſione veſcendi abſolute carnibus facta Hiſpanis iiſdem in omnibus Regnis Caſtellæ Legionis, & Indiarum, excepta Corona Aragoniæ, in omnibus Sabbatis, quæ non ſint dies abſtinentiæ, & Vigiliæ. Uti notavimus tract. 1. ubi de Sab. art. 7. num. 54.

ARTICULUS VI.

Quando incipiat, & abſolvatur Quadrageſima?

PRIMIS Eccleſiæ temporibus obſervantia Quadrageſimalis complebatur ſex hebdomadibus plenis. Quadrageſima itaque inchoabat quadrageſima ſecunda die ante feſtum Paſchæ Reſurrectionis Domini, conſequenter in die Dominica quæ ideo dicebatur, & dicitur *Caput Quadrageſimæ*, & eſt Dom. I. in Quadrageſima. Qua tamen die non ſervabatur perfectum, ſed imperfectum jejunium, nimirum ſola abſtinentia a certis cibis art. præcedenti explicata: ſicut & in ſequentibus Dominicis ejuſdem Quadrageſimæ. Profecto in Dominica numquam præſcribitur jejunium perfectum ob lætitiam Dominicæ Reſurrectionis, quæ in Domica accidit; de qua re dictum eſt tr. 1. lib. 2. p. 2. c. 1. de Dominica art. 9. n. 72. & 73. Jejunium vero perfectum, quod videlicet præter dictam abſtinentiam includit etiam unicam refectionem in die, incipiebat a feria ſecunda poſt Dominicam primam Quadrageſimæ: A qua feria uſque ad Paſcha, ſi Dominicas excipias, occurrunt trigintaſex jejunia perfecta, quot quidem fuerunt ex inſtitutione Apoſtolica præſcripta. Recole dicta art. 1. n. 1. Deinde vero ad complendum numerum quadragenarium jejunii perfecti ob rationem ultimo loco art. 4. explicatam, & infra commemorandam, illis ſex hebdomadibus additum eſt dimidium ſeptimæ. Deſumpti ſunt videlicet quatuor dies ex præcedenti he-

hebdomada Quinquageſimæ, quam additionem univerſa Eccleſia tum Latina, tum Græca recepiſſe videtur, ut affirmat Durandus *in Ration. lib. 6. cap. 24. n. 6.* & oſtendit Bellarminus *controv. to. 3. controv. 3. lib. 2. c. 15. fine*. Raynaud *to. 10. tr. de Roſa c. 7. ubi de contin. Quadrag.* Hanc autem conſuetudinem eſſe valde antiquam, certum eſt. Qui vero Auctor fuerit, aut quo determinato tempore cœperit? omnino non conveniunt Scriptores. Vid. Bellarm. l. cit. Benedict. XIV. *de Synod. Diœceſ. lib. 11. c. 1. n. 5.* Merat. *to. 1. par. 4. tit. 6. n. 1.* Poſt prædictam itaque additionem quatuor dierum, cujus antiqua conſuetudo manet in Eccleſia univerſali; (particulari quodam loco excepto, de quo infra, n. 57.) jam Quadrageſima, ſeu rectius jejunium, & obſervantia Quadrageſimalis incipit a feria quarta poſt Dominicam Quinquageſimæ, quæ feria inde appellatur *Caput jejunii*, ex ordine Rom. antiquo tit. *de ordine in quarta feria Quadrageſ.* ſive *caput jejuniorum*. Aliquando etiam appellatur *Caput Quadrageſimæ*. Communiter autem vocatur Feria quarta Cinerum, ob Cæremoniam, quæ illo die fit Aſperſionis Cinerum.

Abſolvitur vero jejunium Quadrageſimæ, & omnis obſervantia Quadrageſimalis in Sabbato incluſive præcedente diem ſolemnem Reſurrectionis Domini. Vide Azor. *Inſtit. Moral. par. 1. lib. 7. c. 12. qu. 3.*

54 Sed notandum 1. omnino mirabilem fuiſſe apud Veteres in Quadrageſima obſervanda varietatem quoad tempus, modum, cibos ec. Et licet hoc quidem fieri potuerit ex eo, quod Quadrageſimalis obſervantia, cum divina non ſit, ſed tantum Apoſtolica, adeoque humana inſtitutio, per humanam conſuetudinem potuerit variari: (Vide dicta art. 2. qu. 2. Natal. ab Alexandro *hiſt. Eccl. ſæc. 2. diſſ. 4. art. 3. prop. 1.*) tamen illa varietas incidiſſe videtur ob particulare jejunantium libitu, vel abuſum, imperitiam populi, & Paſtorum Eccleſiaſticorum negligentiam aut conniventiam potius, quam ex lege aliqua Eccleſiaſtica, & uſu Legitimo. Ac primum quidem propter magnam rerum Chriſtianarum perturbationem ſævientibus Ethnicis Imperatoribus. Deinde vero ob tepeſcentem priſtinum illum Chriſtianæ pietatis ardorem. Hæc præter alios opinio eſt Irenei apud Bellarminum l. cit. c. 14. ajentis: *Cœpit hæc diverſitas ab illis* (ut opinor) *qui non ſimpliciter, quod ab initio traditum eſt, tenentes, in alium morem, vel per negligentiam, vel per imperitiam poſtmodum decidere*. Et favent dicenda art. 7. num. 75. Et quod hic attinet ad rationem temporis incipiendi jejunium Quadrageſimale, admiranda fuit in eo varietas; cum enim non omnes Nationes ſimili ratione intermitterent rigoroſa ac perfecta jejunia antepaſchalia, hinc ut omnes complerent jejuniorum numerum præſcriptum, anticipabant principium Quadrageſimæ magis, aut minus, prout magis, aut minus illa intermittere conſueverant. Inde erat quod alii obſervantiam Quadrageſimalem inciperent a Quinquageſima, alii a Sexageſima, alii a Septuageſima. Vide dicta l. 3. par. 1. c. 1. nu. 1. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par. 4. tit. 5. nu. 8. & 9.* Natalem ab Alex. *cit. prop. 1.* Raynaud. *to. 10. tr. de Roſa c. 7.* ubi *de contin. Quadrag.* Jo. Beleth *de Div. Offic. c. 78.* Durand. *in Ration. lib. 6. c. 24. n. 6. ini-*

initio & n. 7. fine, & nu. 8. qui tamen duo Auctores poſtremo laudati ſignificant, id fuiſſe pro temporum varietate, Pontificia ſactum auctoritate. De modica vero quadam varietate quoad ad finem jejunii Quadrageſimalis videri poteſt Azor. *Inſt. moral. c.* 12. *qu.* 13.

Jam vero omnis hujuſmodi, aut ſimilis ratio incipiendi Quadrageſimam, abolita eſt, & omnino prohibita pro univerſa Eccleſia; in qua jejunio, & obſervantiæ Quadrageſimali principium datur a feria quarta poſt Dominicam Quinquageſimæ, ut dictum eſt: (particulari quodam loco excepto, ut ſupra innuimus, & explicabimus infra:) & non licet amplius intermittere perfecta jejunia antepaſchalia, niſi ſolis Dominicis diebus, ut articulo ſequenti dicetur.

55 Notandum 2. quod Græci nihilominus paulo maturius, quam Latini, incipiant obſervantiam Quadrageſimalem: quia apud illos non ſolum in Dominicis, ſed in Sabbatis quoque, (excepto Sabbato quod eſt pridie Paſchatis) ſolvitur, & intermittitur jejunium perfectum, ſervata tamen abſtinentia Quadrageſimali, quam, ut notat Bened. XIV. *to.* 1. *notif.* 14. *nu.* 6. incipiunt a Dominica Quinquageſimæ, etſi olim inchoaverint a Dominica Sexageſimæ uti habetur ex Ordine Rom. tit. *de Septuageſima*, & ſcribit etiam Durand. *in Ration. lib. 6. c.* 24. *nu.* 6. initio. & Raynaud. *to.* 10. *tr. de Roſa c.* 7. ubi *de contin. Quadrag.* & ubi *de plur. Quadrag. in fine*.

56 Notandum 3. quod olim illis triginta ſex jejuniis pro omnibus fidelibus præſcriptis, quæ complebantur ſex hebdomadibus, injunctum fuit Clericis addere ſeptimam hebdomadam: Nimirum ſtatutum fuit, quod Clerici, quorum vita a Laicorum converſatione diſcreta eſſe debet, ut in jejunio idipſum appareret, inciperent obſervantiam Quadrageſimalem a Dominica Quinquageſimæ: Quemadmodum conſtat ex Ordine Rom. tit. de *Septuageſima*. & C. *ſtatuimus*. 4. diſt. 4. & C. *Denique 6. diſt. ead.*, & alia nonnulla Veterum Monumenta profert Meratus *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 5. *nu.* 2., qui videri poteſt; nec non Benedictus XIV. *to.* 1. *Notif.* 14. *n.* 6. Legem vero prædictam, notat Leſſius *de juſt. lib.* 4. *c.* 2. *dubit.* 9. *n.* 63. ex Gratiano ad C. *In iſtis* 3. *diſt.* 4. moribus utentium non eſſe approbatam; vel certe contraria conſuetudine eſſe abolitam; & præter quam in quibuſdam Monaſteriis, modo non obligare; multos tamen viros pios abſtinentiam carnium a Quinquageſima incipere. Idipſum tradit Meratus ſupracit. n. 2. ubi teſtatur, multos quidem Regularium Ordines, inter quos ſuam ipſius Congregationem, inſtitutum hoc retinere.

Notandum 4. quod licet univerſalis Eccleſia incipiat jejunium, & ab- 57
ſtinentiam Quadrageſimalem a fer. 4. poſt Quinquageſimam: At vero Mediolanenſis Eccleſia conſuetudinem hujuſmodi numquam amplexata eſt, ne ab Ambroſii Inſtitutis, quorum ſemper tenaciſſima fuit, recederet; ut ex teſtimonio Decii Doctoris Mediolanenſis, & aliorum refert Benedictus XIV. *de Synodo Diœceſ. lib.* 11. *c.* 1. *n.* 6. Igitur in Civitate Mediolanenſi, iiſque Mediolanenſis Diœceſis partibus, ubi ex Divi Ambroſii inſtituto Divina Officia celebrantur, reſpectu populi, & Cleri, (etſi non reſpectu fere omnium Religioſorum,

ut

ut ex teſtimonio Bordonii referunt Salmant. *tom.* 5. *tr.* 23. *c.* 2. *pu.* 5. §. 1. *n.* 92. & ſupponitur ab Auctoribus inferius citandis qu. 9.) abſtinentia Quadrageſimalis incipit a Dominica prima Quadrageſimæ; Jejunium vero perfectum a Fer. 2. poſt Dominicam prædictam. Animadvertit autem Raynaud. *to.* 10. *tr. de Roſa c.* 7. ubi *de contin. Quadrag.* a Mediolanenſibus hujuſmodi eorum conſuetudinem, probante Eccleſia retineri, quia eſt perexigui temporis, nec tollit decimas dierum totius anni: quod per Quadrageſimale jejunium nonnulli volunt ſignificari. Confer Merat. l. cit. prop. fin.

58 Notandum 5. quod cum in quibuſdam Germaniæ locis conſuetudine introductum fuiſſe dicatur, ut ſingulis hebdomadibus Quadrageſimæ, ter tantum jejunarent; quemadmodum teſtatur Leander relatus a Salmant. l. cit. fortaſſe id ortum eſt ex eo quod longe ante conſuetum tempus in illis locis jejunia inchoabantur; ita ut certus maneret & legitimus eſurialium dierum numerus, facta tamen interpolatione: deinde vero abolitis anterioribus jejuniis, ſola remanſit corruptela; ut illam merito taxat Raynaudus loc. cit.

59 Notandum 6. ex La-Croix *lib.* 1. *de legib. qu.* 83. §. 4. quod ubi ſervatur vetus Calendarium, Eccleſia permittit, ut fideles ſe illi accomodent; uti conſtat ex uſu piorum, & doctorum hominum. In his vero locis quandoque incipit Quadrageſimalis obſervantia octo diebus ſerius, quam pro univerſali Eccleſia; quia vetus Calendarium quandoque habet Paſcha octo diebus ſerius, quam novum. La-Croix *lib.* 3. *par.* 2. *de jejun. qu.* 241. §. 1. Imo aliquando incipit multo adhuc ſerius, quam octo diebus; ut colligi poteſt ex Gobat *to.* 1. *tract.* 5. *caſ.* 3. *ſect.* 2. *n.* 99. Animadvertendum vero eſt Jejunium Quadrageſimæ juxta Calendarium Romanum, & Gregorianum ab Italo-Græcis obſervandum eſſe, ex Benedicto XIV. Conſtit. 57. *Etſi Paſtoralis* §. 8. n. 3. to. 1. Bullar. ſui.

Qu. hic 1. In illo caſu, quo vetus Calendarium habet principium obſervantiæ quadrageſimalis octo diebus e. g. ſerius, quam novum: ſi quis ex loco novi Calendarii proponat ſibi, proficiſci poſt octo dies, & pergere in locum veteris Calendarii, tenetur ne jejunare in loco novi Calendarii, ubi nunc eſt, & incipere obſervantiam Quadrageſimalem: vel poteſt differre, ut incipiat poſt octo dies in illo alio loco, quo eſt in uſu vetus Calendarium? 60

℞. Ex La-Croix *lib.* 3. *par.* 2. *de jejun. qu.* 241. §. 2. hujuſmodi tenetur incipere obſervantiam Quadrageſimalem hic, ubi eſt in loco novi Calendarii; quia lex nunc hic obligat, & ipſe eſt hic ſubditus. Ergo tenetur lege.

Ob. Si quis in die feſto ex loco, ubi fiat unum tantummodo Sacrum, & celebretur valde mane, profecturus eſſet in alium locum, ubi fiat unum ſimiliter tantum Sacrum, ſed celebretur tardius, puta, paulo ante Meridiem: ſi prudenter certus moraliter ſit; ſe perventurum in illum alium locum tempore, quo poſſit adeſſe illi Sacro tardius celebrando, non tenetur intereſſe Sacro, quod hic celebretur maturius. Ergo a pari in caſu quæſtionis. 61

℞. Conceſſo Antecedenti, nego conſequentiam: Diſparitas latiſſima eſt; etenim Eccleſia non obligat deter-

terminate diluculo, vel determinate meridie audire Miſſam: ſed hoc relinquit libertati fidelium. Contra vero, oſtendi nequit cur, & unde cuique ſit libertas jejunandi ubi velit, & ſe hic eximendi a lege nunc obligante. In prædicto autem caſu non eſſe obligationem (citra ſcandalum) abſolvendi Quadrageſimam tunc, quando abſolvitur in loco novi Calendarii: docebimus qu. 4.

62 Qu. II. In illo eodem caſu, quo vetus Calendarium habet principium obſervantiæ Quadrageſimalis octo diebus e. g. ſerius, quam novum: ſi quis ſubditus loci veteris Calendarii veniat per aliquos dies in locum novi Calendarii, tenetur ne incipere Quadrageſimam in loco novi Calendarii: an poterit incipere in Patria ſua poſt octo dies, quando illuc redibit?

℞. Tenetur incipere in loco, in quo ſervatur novum Calendarium, etſi ibi maneat ut peregrinus. Ratio eſt, quia lex juris communis eſt univerſalis, obligat omnes, qui ſunt in loco, ubi per Privilegium, aut legitimam conſuetudinem nequaquam ſit derogatum. Buſemb. *lib.* 1. *tr.* 2. *de legib. c.* 2. *dub.* 3. *Reſol.* 2. Laym. *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 12. *n.* 2. Leſſ. *lib.* 4. *c.* 2. *dub.* 8. *n.* 60. Gob. *to.* 1. *tr.* 5. *caſſ.* 17. *n.* 376. Th. Sanchez, Suarez, & alii paſſim vid. dicta lib. 2. par. 1. c. 2. qu. 2. Privilegium autem locale expirat extra locum.

63 Qu. III. In illo eodem caſu, quo vetus Calendarium habet principium obſervantiæ Quadrageſimalis ſerius, quam novum: ſi quis ex loco novi Calendarii poſt incœptam ibi Quadrageſimam veniat in illum locum, in quo nondum incœpit: poteſt ne veſci Carnibus, & interrumpere obſervantiam Quadrageſimalem in illo priori loco incœptam, & a ſe obſervatam?

℞. Affirmative; dummodo veniat in locum Catholicorum, aut in quo habeatur non mediocris ſaltem pars Catholicorum, qui ſequantur vetus Calendarium. Ratio primæ partis eſt, quia privilegio locali frui poſſunt omnes qui in loco morantur. Accedit Regula Gloſſæ in C. *illa* 11. diſt. 12. *Si fueris Romæ romano vivito more.* Quæ etiamſi non contineat præceptum, proponit tamen aut conſilium, aut licentiam: ut docet Gobat *to.* 1. *tr.* 5. *caſ.* 17. *n.* 385. Buſemb. *lib.* 1. *tr.* 2. *de Legib. c.* 2. *dub.* 4. Vide dicta *tr.* 1. 23. Julii art. 3. qu. 3. a n. 13. & hoc tr. 2. l. 2. par. 1. c. 2. qu. 1.

Ratio autem ſecundæ partis eſt, quia, ſi quis Catholicus veniat in locum Hæreticorum, ubi alii Catholici non ſunt, tenetur ibi ſervare novum Calendarium ad vitandum ſcandalum, & contemptum Eccleſiæ Catholicæ. Buſemb. *loc. cit. dub.* 4. *Reſol.* 2. Gob. *l. cit. nu.* 386. Layman *in Theol. Moral. lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 11. *n.* 8. quem laudat Diana *to.* 6. *edit. coord. tr.* 1. *R.* 49. §. 9. Videri etiam poſſunt dicta tr. 1. ubi de fer. 6. ar. 1. n. 38. & 39. Multo magis tenetur, ſi habeantur Catholici, qui verſantes in illo loco, ſervent novum Calendarium.

Dixi: *ſi veniat in locum, in quo habeatur non mediocris ſaltem pars Catholicorum, qui ſequantur vetus Calendarium:* Sufficit enim, quod reſpectu hæreticorum minor pars ſit Catholicorum ſi hæc ſequatur vetus Calendarium cum illis. Ita Gobat. *to.* 1. *tr.* 5. *c.* 3. *ſect.* 2. in Append. ubi docet: id valere etiam pro Religio-

ſis:

ſis : cui ſententiæ inſinuandæ valere poteſt auctoritas Auguſtini , quam lege inf. n. 66. f.

64 Qu. IV. Si quis incœperit Quadrageſimam in loco novi Calendarii , & poſt octo dies pergat ad locum; in quo eſt in uſu vetus Calendarium , ibique moretur; tenetur ne proſequi obſervantiam Quadrageſimalem ex uſu veteris Calendarii , adhuc octo alios dies jejunando, poſtquam ex novo Calendario celebratum eſt Paſcha?

℞. Negative , præciſo ſcandalo . Quia talis abſolvit vere, & ad mentem Eccleſiæ Quadrageſimam . Et hæc valent , ſive ut peregrinus ibi manſurus ſit, ſive figat, aut habeat Domicilium. Ita La-Croix *lib.* 3. *par.* 2. *qu.* 241. §. 1. & 2. qui citat pro hac ſententia Sanch. & Delbene . Hanc ſententiam quoque docet Leſſius *de juſt. lib.* 4. *c.* 2. *dub.* 7. *n.* 52. qui tamen rite monet , cavendum eſſe , ne alii inde ſcandalizentur . Vide etiam Gobat. *to.* 1. *tr.* 5. *caſ.* 3. *ſect.* 2. *n.* 97. qui citat Tannerum; & caſ. 17. nu. 377. qui licet ponat exempum de feſto univerſali Eccleſiæ : doctrina tamen applicari poteſt jejunio univerſali.

65 Ob. Quidquid ſit de Peregrino , ſecus tamen videtur dicendum de eo, qui figat Domicilium , aut ad illud redeat ; quia per Domicilium dicendus eſt contrahere omnes obligationem civius illius loci : quam ſententiam Gob. *to.* 1. *tr.* 5. *c.* 17. *n.* 383. vocat veram . Ergo ſaltem , qui figat Domicilium , aut per majorem anni partem cogitet morari in loco veteris Calendarii , aut a fortiori ſi ad illum redeat , in quo habeat Domicilium ; tenetur abſolvere Quadrageſimam cum aliis civibus illius loci ; & jejunare per illos quoque reliquos dies , in quibus illi jejunant.

℞. Per Domicilium dicendus eſt contrahere omnes civium illius loci obligationes particularium ſtatutorum, & conſuetudinum loci; concedo. Omnes obligationes Præceptorum communium toti Populo Chriſtiano: ſubdiſtinguo: Si nondum ſatisfecit; concedo : Si jam alibi ſatisfecit tempore, quo poterat , & licebat ſatisfacere , Nego . Ratio eſt ſupradicta : Quia nimirum Eccleſia non vult obligare ad ſervandum bis idem Præceptum , ad celebrandum bis idem feſtum, ad explendum bis idem jejunium.

Qu. V. In illo eodem caſu , quo 66
vetus Calendarium habeat Paſcha ſerius, quam novum : Si quis ex loco veteris Calendarii veniat in locum novi , ubi ſit expleta Quadrageſima , tenetur ne ibi complere numerum dierum, qui deſiderantur reſpectu ipſius ad complendam integram Quadrageſimam?

℞. Leſſius *de juſt. lib.* 4. *c.* 2. *dubit.* 8. *n.* 59. & 60. docet: Satis probabiliter dici poſſe , hujuſmodi non teneri ſupplere , ob rationem illam generalem , quod quivis poſſit , ſe moribus eorum , quibuſcum vivit , accommodare. Præſertim , ait, cum valde difficile ſit in convictu humano ſeorſum ab aliis ſervare jejunium, cæteris omnibus a jejunii lege ſolutis , & minime jejunantibus . Confirmat exemplo eorum qui primis quatuor diebus Quadrageſimæ veniunt Mediolanum , quos non teneri jejunare illis quatuor diebus , communem eſſe in Italia opinionem, teſtatur: & nos docebimus qu. 7. eo quod jejunium Quadrageſimale ibi nondum ſit

ſit inchoatum. Duo tamen addit: primo limitat, & vult, id tantum intelligi poſſe de iis, qui non in fraudem jejunii, ſed bona fide negotiorum cauſa, locum mutant. Secundo: Contrariam ſententiam etiam valde probabilem ſe judicare, & in praxi ſuadendam; neque dubium eſſe, quin Eccleſia ſic poſſit obligare. Ita Leſſius tr. 1. Atqui ego non video, in quo laudandus ſit is, qui in loco, ubi ex univerſalis Eccleſiæ inſtituto Paſchalia feſta celebrantur, quadrageſimalem exerceret mœſtitiam, & abſtinentiam. Enimvero pronior dicam, hunc ex peculiari loci, in quo olim morabatur, diſciplina excuſatum fuiſſe, ne primis Quadrageſimæ communiter indictæ diebus jejunaret, quam novo præcepto cogi, ut tantum ipſe privatus adverſus Eccleſiæ communiter lætantis admittat difformitatem. Pro eadem ſententia ſunt Sanch. Sal. Bonac. Laym. cit. a Buſemb. *l.* 1. *de leg. c.* 2. *dub.* 4. *reſol.* 2. La Croix *l.* 3. *p.* 2. *qu.* 241. citans alios. Eandem ſuſtinet Gobat *to.* 1. *tr.* 5. *caſ.* 3. *a n.* 99. & affert exemplum, quod ita exponit: *Pater Coſmas an.* 1654. *vel* 55. *venit ex Valleſia, ſeu Diœceſi Cædunenſi in qua habitaverat Fribur. Helvetior. ipſa hebdomada Paſchæ, cum in Valleſia jejunaſſet nonniſi tres, aut quatuor hebdomadas; quia id temporis nondum erat facta Reformatio Calendarii, quam pauculis poſt annis (emigrare juſſis Calvinicolarum reliquiis) acceptavit tota illa pia, & Catholica Regio . . . . . Quæſitum ex me fuit: an Patri illi parato implere totam Quadrageſimam, acquieſcendum eſſet nec ne? Dedi illud Reſponſum, quod ſibi ſciſcitanti fuiſſe a S. Ambroſio datum, teſtatur S. Auguſt. relatus* cap. *illa* diſt. 12. *his verbis*: Cum Romam venio jejuno Sabbato, cum ſum Mediolani, non jejuno; ſic & tu, ad quam forte Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi. *Non erat quidem periculum ullius ſcandali, erat tamen futura variis de cauſis moleſta, ſeu incommoda tanta diſcrepatio a communitate numeroſa, temporeque minime decreto ad jejunandum; quare juſſus fuit locum dare ſententiæ paulo ante relatæ ex Layman; licet contrariam (ſepoſitis incommodis) merito ſuadeat Leſſius* lib. 4. de Juſt. & jur. c. 2. n. 59., *& imperaſſet Tannerus* l. cit. n. 33. *in caſu, quo ille P. Coſmas veniſſet ex Valleſia in Rhætiam, in qua æque, ac in Valleſia Catholici hodie ſervant Calendarium antiquum; Imperarem, & ego.*

Sed objicies 1. Præceptum ſervandi Quadrageſimam, eſt Generale: Ergo obligat omnes, & ubique impleri debet. Ergo qui durante Quadrageſima in oppido, ubi verſabatur, ſe contulit in alium locum, ubi illa jam eſt tranſacta, nihilominus tenetur ibi etiam perficere. 67

℞. ex Leſſ. l. cit. n. 60. Etſi jejunium quadrageſimale obliget omnes, & ubique; non tamen omnino abſolute, ſed ſub illis exceptionibus quibus ſubſtant leges omnes Eccleſiaſticæ, quarum hæc una eſt ex locorum varietate, & privilegiorum petita. V. dicta 23. Jul. art. 3. qu. 3.

Ob. 2. Si quis e loco veteris Calendarii veniret in locum novi, & inveniret abſolutum præceptum Paſchale; nihilominus teneretur communicare, ſi nondum communicaſſet pro paſchate; ergo ſimiliter, qui nondum implevit præceptum jejunandi per integram Quadrageſimam, te- 68

ne-

netur hic complere, ſi nondum complevit, licet hic tranſierit tempus quadrageſimale.

℞. Leſſ. l. cit. n. 59. & La-Croix l. cit. concedunt antecedens, negant vero conſequentiam; & aſſignant diſparitatem, dicendo: obligationem Præcepti Communionis Paſchalis abſolute obligare perſonam abſque reſpectu ad locum; ſecus eſſe in præcepto obſervantiæ quadrageſimalis, hoc enim afficit perſonam cum reſpectu ad locum, ſicut præceptum feſti communis. Ita laudati Auctores. Adde quod præceptum Communionis paſchalis ubique, & quovis tempore ſine ulla difformitatis nota, aut ſcandalo ſervari poteſt, omni etiam difficultate vacat; ſecus ac accidit in caſu noſtræ quæſtionis. Sed de ipſa Paſchalis Communionis obligatione: V. infra dicenda lib. 5. part. 2. in ejus 1. part. c. 3. ſect. 2. qu. 2. n. 11. qu. 11. 12. & 14.

69 Qu. VI. Si quis ex loco novi Calendarii, abſoluto ibi quadrageſimali tempore, veniat in locum, quo eſt in uſu vetus Calendarium: ipſe autem in loco novi Calendarii per aliquam hebdomadam non jejunaverit, tenetur ne complere, & compenſare in loco veteris Calendarii, ubi Quadrageſima nondum præterierit?

℞. Puto affirmaturum Gobat, etiamſi ob aliquam juſtam cauſam illos dies quadrageſimales non ſervaverit; etenim tom. 1. tr. 5. caſ. 17. num. 377. docet, quod ſi Peregrinus, non obſervavit ob aliquam juſtam cauſam puta ob morbum, dum adhuc eſſet in ſua patria, præceptum univerſale, & veniat in locum, in quo ob diverſitatem Calendariorum inveniat illi præcepto nunc ſatisfieri, teneatur & ipſe, ut cæteri incolæ loci; ob eam rationem, quia mens Pontificis, inquit, videtur eſſe, ut compenſet. Attamen, ita ſe ſentire fatetur, ſatis trepide, tacentibus aliis. Vide dicta tr. 1. 23. Julii qu. 4. n. 20. ubi etiam hanc ſententiam retulimus. Sed verius puto, obligationem ex rationabili cauſa extinctam non reviviſcere: ut habet Gloſ. in c. *Quæris* de *Conſecr. diſt.* 4.

Qu. VII. Utrum Peregrinus, aut vagus veniens Mediolanum, teneatur jejunare primis quatuor diebus Quadrageſimæ? Poſito quod ibi Quadrag. incipiat a prima Dominica Quadrageſimæ, ſecundum dicta n. 57. 70

℞. Negative: Et hanc eſſe communem in Italia opinionem, teſtatur Leſſius *lib.* 4. *c.* 2. *dubit.* 8. *nu.* 59. ut ſignificavimus nu. 66. Rationem dedimus, ubi egimus de ſimili caſu hoc tract. 2. lib. 2. 1. par. c. 2. qu. 1. vide ibi dicta.

Qu. VIII. Si Mediolanenſis veniat in locum, ubi non eſt privilegium illud ſuæ patriæ: poteſt ne frui illo? 71

℞. Negative. Rationem dedimus in pari caſu cit. lib. 2. 1. par. c. 2. qu. 2. vide omnino ibi dicta, & videri etiam poſſunt dicta hic qu. 2.

Qu. IX. Utrum Religioſus, qui Mediolani exiſtens, & ut innuimus n. 57. tenetur per ſe jejunare primis quatuor diebus Quadrageſimæ: eximatur a jejunio, ſi moretur in domibus ſæcularium?

℞. Pelliz. in Manual Regul. *tom.* 1. *tr.* 5. *c.* 15. *qu.* 21. *n.* 58. & Bordon *tom.* 1. *reſol.* 18. *n.* 2. docent: Regulares exiſtentes Mediolani in primis quatuor diebus Quadrageſimæ teneri ad jejunium, ſi morentur in ſuis Monaſteriis; ſecus autem ſi exiſte-

ſterent in domibus ſæcularium. Sub ſcribam; ſi hanc ipſi habeant obſer. ſervantiæ ſuæ monaſticæ ex legitima conſuetudine explicationem. Siquidem privilegium illud negari videtur Regularibus ratione ſtatus, non loci: ſtatum autem non mutant, manendo in domo ſæculari, quod ſi ſeveritatem iſtam ad obſervantiam clauſtralem referre velis; bene ajebam, id ex ipſius regularis diſciplinæ legitima conſuetudine judicari oportere.

ARTICULUS VII.

Quod Jejunium perfectum Quadrageſimale non eſt continuum.

73 LICET Quadrageſima noſtra incipiens a feria quarta poſt Dominicam Quinquageſimæ uſque ad Reſurrectionem Domini conſtet diebus quadraginta ſex, non in omnibus tamen hiſce diebus jejunium perfectum ſervatur, ſeu in omnibus unica refectio fit; ſed ſolis tantummodo quadraginta. Per ſex itaque dies jejunium perfectum intermittitur, & imperfectum jejunium cuſtoditur, ſeu ſolus exigitur quadrageſimalis cibi delectus: non quidem ad libitum ſex dies excipiendo; ſed ipſi ſunt ab Eccleſia præſcripti: nimirum ſex Dominicæ, quæ in Quadrageſima occurrunt, in quibus exigitur ſola abſtinentia a carne, ovis, & lacticiniis. Conſtat ex c. *Placuit 9. diſt. 3. de Conſec. & eodem tit. C. Quadrageſima 16. diſt. 5.* ubi ſic: *Quadrageſima ſumma obſervatione eſt obſervanda, ut jejunium in ea, (præter dies Dominicos, qui de abſtinentia ſubtracti ſunt,) niſi quem infirmitas impedierit, nullatenus ſolvatur.* In quo textu animadvertendum eſt: quod, ubi dicuntur dies Dominici ſubtracti de abſtinentia: per abſtinentiam intelligitur ſolum rigoroſum, & perfectum jejunium, non item abſtinentia a carne, ovis, & lacticiniis: ut monet Diana *to. 4. edit. coord. tr. 6. R.* 54. §. 3. & ut oſtendit Chiavetta *conſult. 61. nu.* 11. & ſatis patet ex toto contextu illius canonis, & patebit etiam ex dicendis ar. 9. qu. 1. Rurſus Dominicas Quadrageſimæ exemptas eſſe a perfecto jejunio teſtatur Epiphanius in *Expoſ. Fid. Cathol.* ubi docet: quod Eccleſia obſervare Dominicas jejunando *non ſolet omnino, etiam in ipſa Quadrageſima.* De Jejunio in Dominica V. tr. 1. lib. 2. part. 2. cap. 1. art. 9.

Non licere ad libitum intermittere, & interrumpere Quadrageſimale jejunium: animadvertit S. Petrus Chryſologus *Serm. 166. de Quadrag. jejun.* ubi poſtquam allegatis teſtimoniis, comprobavit, Apoſtolicam eſſe inſtitutionem numerum etiam quadragenarium obſervantiæ Quadrageſimalis: ſic concludit, & invehitur contra nonnullos, qui ad libitum ſuum jejunia quadrageſimalia interrumpebant, & variabant: *Si ergo quadraginta dierum ſim[...], purum, æquale, tantis teſtimoniis ſub tanti numero Sacramenti traditum nobis a Domino jejunium perdocetur; unde iſta varietas? unde novitas iſta, unde hebdomadæ nunc reſolutæ, nunc rigidæ, nunc indulgentes, nimium nunc ſeveræ? unde intemperati jejunii uſus iſte, qui aut afficiat ſine venia, aut remittat ad crapulam? . . . Jejunium ſit æquale: & ut eſt nobis traditum, ſervetur ad corporis, & animæ diſciplinam. Certe qui jejunare non poteſt, non præſumat in-* 74

inducere novitates; ſed fateatur, eſſe fragilitatis propriæ, quod relaxat &c.

Item Concilium Agathienſe in Gal-
75 lia Narbonenſi anno Chriſti 506 ob celebratum can. 12. (ſecundum Battaglini hiſt. concil. ubi de concil. Agat. can. 8.) monet, dies Dominicos Quadrageſimæ exceptos eſſe a rigoroſo jejunio; & admonet non licere Sabbatis Quadrageſimæ intermittere jejunium. Ait enim in laudato canone: *Placuit etiam, ut omnes Eccleſiæ filii, exceptis diebus Dominicis, in Quadrageſima, etiam die Sabbato, Sacerdotali ordinatione, & diſtrictionis comminatione jejunent*: & refertur c. *Placuit* 9. diſt. 3. *de conſecr.* Pro cujus canonis intelligentia ſciendum quod quidam habebantur, qui ſecundum Orientalis Eccleſiæ ritum, de quo art. præc. n. 55. & modo hic redibit ſermo, præter Dominicas, in Sabbatis etiam interrumpebant jejunium perfectum: licet anticipaverint initium obſervantiæ quadrageſimalis; recole dicta n. 54. Quam varietatem iterum damnarunt Gallicani Epiſcopi in Concilio Aurelianenſi anno Chriſti 511. ut refert Natal. ab Alex. *hiſt. Eccleſ. ſæc.* 2. *diſſert.* 4. *art.* 3. *prop.* 1.

76 Græcis vero permiſſum eſt, ut art. præc. n. 55. dictum fuit, etiam in Sabbatis, uno excepto majoris hebdomadæ, ex antiqua eorum traditione, jejunium ſolvere, ſola Quadrageſimali abſtinentia retenta.

Dixi *permiſſum eſt*: quia ex Bulla Innocentii IV. anno undecimo Pontificatus ſui ſuper Ritibus Græcorum, nu. 55. quamvis pro libito ſervent morem ſuum; ſalubrius tamen, & honeſtius agerent, ſi in omnibus etiam Sabbatis Quadrageſimæ perfectum jejunium cuſtodirent; ut conſtat ex Annalibus Eccleſiaſticis Auctore Raynaldo *tom.* 13. *an.* 1254. *n.* 8. teſte Caſſalio l. art. præc. cit. & c. 62. & 63. vide dicta tr. 1. ubi de Sabbato art. 7. a n. 54.

ARTICULUS VIII.

De obbligatione gravi ſervandi Quadrageſimam.

Ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, 77
facile argui poteſt, eſſe obligationem gravem ſervandi Quadrageſimam: quod & expreſſius hic aſſerimus. Eſt certum apud Catholicos. Vide Bellarm. *controv.* 3. *de Rom. Pontif. lib.* c. 16. prope fin. & *de bon. oper. in partic. lib.* 2. *c.* 7. Caſſalium *c.* 62. prope init. Leſſium *de Juſt. lib.* 4. *c.* 2. *dubit.* 5. *nu.* 33. Salmantic. *to.* 5. & 23. *c.* 2. *pu.* 1. *nu.* 11. & *pu.* 5. §. 1. *n.* 91. & 99. Azor. *inſtit. Moral. par.* 1. *l.* 7. *c.* 20. *q.* 1.

Quod ſi Joannes Caſſianus *Collat.* 21. *c.* 29. ſcribit: *Hac igitur Quadrageſimæ lege, qui juſtus, atque perfectus eſt non tenetur. Nec exigui hujus Canonis ſubjectione contentus eſt, quem profecto illis, qui per totum anni ſpatium deliciis, vel negotiis ſæcularibus implicantur, Eccleſiarum Principes ſtatuerunt; ut vel hac legali quodammodo neceſſitate conſtricti, his ſaltem diebus vacare Domino cogerentur &c.* male illum de errore accuſat Theophilus Raynaudus *to.* 15. *par.* 1. *ſect.* 3. *pu.* 3. *de elect. Sanctor. nu.* 33. *init.* tanquam verbis prædictis putantem; juſtos, atque perfectos non adſtringi jejunare per Quadrageſimam, eo quod aliis diebus ſatis ſuperque jejunent: & male etiam ſe gerunt alii, qui, teſte Petro Ciaconio, ſuſpicantur; eo loci favere Caſſianum Beguardis, & Be-

& Beguinis, quorum hæreſes damnatæ ſunt ſub Clemente V. in Concilio Viennenſi, relato inter Clementinas in Clem. *Ad noſtrum. de hæreticis*: quorum ſecundus & tertius error erat de exemptione Juſtorum a jejuniis, & præceptis Eccleſiæ. Per ea enim verba: *Nec exigui hujus Canonis ſubjectione contentus eſt*; liquet quo ſenſu dixerit Caſſianus *hac lege Juſtum non teneri*: nimirum ad oſtendendum, illa lege non eguiſſe nec gravari Juſtum, qui etiam illa non contentus, majorem ſponte ſua exequitur abſtinentiam: ad eum certe modum, quo Paulus dixit: *Lex Juſto non eſt poſita, ſed injuſtis*. Timot. 1. v. 9. Quare Caſſianum merito cum laude commemorat, & allegat S. Iſidorus Hiſpal. Epiſc. *de Eccl. Off. lib. 1. c. 36.* & Rabbanus Maurus *Inſtit. Cleric. l. 2. c. 20.* eumque jure optimo defendit laudatus Petrus Ciaconius in ſuis obſervationibus in Caſſianum, quæ ſunt inſertæ libris de *Inſtitutis*, & *Collationibus Caſſiani edit. Rom. an. 1588. pag. 742.* videri etiam poteſt D. Thomas *in 3. diſt. 37. qu. 1. art. 1. in reſp. ad 5.*

78 Qu. hic I. Utrum, qui poſt inceptum tempus jejunii quadrageſimalis complet ætatis ſuæ 21. annum (quæ ætas eſt ex communi Doctorum ſententia, & fidelium praxi jejunio præfixa) teneatur jejunare reliquo, quod forte ſuper erit tempore?

℞. Affirmative, etiamſi unicus dies ſuperſit de Quadrageſima. Ratio eſt, quia præceptum ſervandi Quadrageſimam obligat diviſibiliter ad ſingulos dies. La-Croix *l. cit. nu. 1316.* Ludovicus a Cruce *l. cit. n. 3.* fine Thom. Sanch. *l. cit. n. 8.* Pilliuc. *l. cit. fin.* Tambur. *in 4. præc. Eccl. c. 2. n. 16.* An teneatur autem jejunare illo ipſo die, quo complet ætatem? Examinavimus tract. 1. l. 1. c. 1. art. 9. ſect. 6. n. 37. Quod diximus de initio obligationis ad jejunium reſpectu juvenum, intellige etiam de initio obligationis abſtinentiæ a carnibus, & ovis, ac lacticiniis reſpectu puerorum, & puellarum. Vide dicta tract. 1. ubi de fer. VI. art. 1. ubi de Abſtinentia VI. feriæ qu. 8. a num. 40.

Qu. II. Utrum, qui poteſt comedere carnes, teneatur ad jejunium, ſeu ad unicam refectionem? 79

℞. Dicendum eſt: eos, qui diſpenſantur ad carnes in Quadrageſima, ſive extra Quadr. in diebus jejuniorum, non ideo excuſari a jejunio, ſeu ab unica refectione. Unde tenentur in ſerotina refectiuncula tum quoad quantitatem, tum quoad qualitatem ciborum perfecti jejunii normam ſervare; niſi rurſus ab hac ex aliqua peculiari cauſa excuſentur. Conſtat ex Pontificiis Conſtitutionibus Benedicti XIV. ad obſervantiam quadrageſimalem ſpectantibus, quas ad verbum dabimus art. 11. Videri etiam poſſunt Salmantic. *in append. tract. 6. de Bull. Cruc. c. 5. pu. 1. a n. 19.* & recole dicta art. 2. qu. 14. n. 31. & 38. & vide etiam dicenda hic qu. 14. ubi etiam in reſp. ad ſubjectam interrog. 3. innuemus: in hujuſmodi Conſtitutionibus Diſpenſationem ſumi late, ita ut intelligantur obligari ad jejunium etiam ii, qui carnes comedant ex conſilio Medici.

Quæres III. Utrum Concionatores teneantur jejunare in Quadrageſima? 80
Et idem quæritur de habentibus publicam lectionem, ut ſunt Magiſtri, & Lectores in Scholis?

Reſpondeo 1. pro hujuſmodi nullam eſſe vel ex Jure; vel ex conſuetu-

tudine abſolute factam diſpenſationem. Non ex Jure; conſtat enim nullum tale proferri poſſe. Non ex conſuetudine; quia ut Conſuetudo legitimam diſpenſationem ab aliquo Eccleſiæ præcepto abſque ullo alio reſpectu inducat; neceſſe eſt, ut a Prælatis Eccleſiæ, ſcientibus & non cohibentibus, convaleſcere permittatur. At ea non poteſt eſſe neque pro Concionatoribus ullis, neque pro Magiſtris; res enim omnino hæc penes privatos agitur, quos ex propria ipſorum indigentia ſeſe gerere prudenter judicant Superiores Eccleſiaſtici: proinde neque de illis inquirendum, neque quidquam ſeverius ſtatuendum curant. Cum ergo & ipſi Eccleſiæ Paſtores rem prudentum judicio decidendam relinquant; haud ſunt putandi conſuetudini vim ullam in præſenti caſu præbere, ſed ſimpliciter excuſationem prudenti judicio, videlicet ex rationabili hujuſmodi privatorum indigentia factam.

81 Reſpondeo 2. conſequenter: Cum Concionatoribus & Magiſtris quibuslibet, quoad Jejunii diſpenſationem, æquo jure agendum ac cum aliis, alio quovis munere & labore gravatis; nimirum ut eatenus excuſari cenſeantur, quatenus aut ſua munera aliter exercere nequeant; aut admodum difficulter, cum præjudicio boni publici, aut privatæ etiam valetudinis. Ita Navar. *Man. c.* 21. *n.* 16. Azor. *Inſt. Mor. p.* 1. *l.* 7. *c.* 18. *qu.* 1. & *alii apud ipſos*.

82 Qui ergo aliter huic quæſtioni reſpondere videntur, ut ii ſunt, qui ſimpliciter ſtatuunt excuſari Concionantes omnibus Quadrageſimæ diebus, aut ſaltem ter in hebdomada; ſimiliter & Magiſtros ſeu Cathedraticos, quando ad lectiones dictandas magno indigent ſtudio & labore improbo, ut loquuntur Salmanticenſes *tom.* 5. *tr.* 23. *c.* 2. *pun.* 7. §. 3. 147. Hi, inquam, haud putandi ſunt diſſentire a ſupra data reſponſione; ſed tantum, admiſſo communi principio, quod talium hominum excuſatio ab indigentia & æquitate ſit repetenda; taxare tanquam prudenti judicio, quid Hominum vires in communi uſu pro magno labore habeant, quid non. Enimvero ſi ab iiſdem Auctoribus quæras, an excuſatum habeant qui aut ſemel e. g. aut bis concionetur in hebdomada, aut lectiones dictet modici momenti? negabunt, ea ratione ducti, quod neque talium ſit magnus labor, neque timoratorum praxis id habeat. Videſne ergo ut & ipſi excuſationem hac in re faciendam, ſeu declarandam, prudenti judicio librent. Huc ergo confer Dian. *tom.* 4. *edit. coord. tr.* 6. *Reſ.* 24. §. 3. & *Reſ.* 26. §. 6. & *Reſ.* 27. §. 11. & 14. ex eo potiſſimum quod pro ſe afferat praxim piorum virorum. Tambur. *in Decal. l.* 4. *c.* 5. §. 7. *Sylveſt.* V. Jejunium *n.* 26. Fagund. *in* 4. *præc. Eccl. l.* 1. *c.* 8. *n.* 19. &c.

Quin etiam eodem prudenti judicio decidendum eſt, ſi quando oporteat cum hujuſmodi Hominibus, ratione muneris & laboris, (quibus adde Artifices omnes & Agricolas) excuſationem a jejunio facere, etiamſi per aliquem diem a labore ceſſant. Siquidem habitudo in talibus eſt attendenda. 83

Qu. IV. An pauperes, qui ordinarie non habent quantum ipſis ſufficiat ad plenam refectionem, teneantur jejunare in Quadrageſima, illo die, quo forte habeant? 84

℞. Affirmative: niſi ex præcedenti

ti inedia ita eſſent debilitati, ut jejunium ſine gravi incommodo ferre non valeant. ita Th. Sanch. *l.* 5. *Conſil.* *c.* 5. *dub.* 15. *n.* 4. Lezana Steph. aliique innominatim apud La-Croix *lib.* 3. *par.* 2. *qu.* 258. An autem debeant ſufficere illis pro debito prandio panis, fructus, olera? Vide qu. 6.

85 Qu. V. An teneantur jejunare quotidie in Quadrageſima, qui non habent niſi ſolum panem: ut ſunt multi Pauperum?

℟. Negative: neque etiamſi habeant vinum, quia nimis eſſet onerosum, & laborioſum ſic jejunare; at benigna Mater Eccleſia per legem jejunii intendit ſolum corporis abſtinentiam moderatam; ut ex communi fidelium praxi arguere licet. Tambur. *in Decal. l.* 4. *c.* 5. §. 7. *n.* 34. & *in* 4. *præc. Eccl. c.* 10. *n.* 56. & La-Croix *de jejun. l. cit.*

86 Quæres VI. Cum Eccleſia per jejunii legem non intendat prohibere unicam in meridie plenam refectionem; quænam pro tali cenſenda ſit. Utrum e. g. ſufficiens prandium reputari debeat ex pane & herbis ſeu leguminibus ſumptum, ut ex eo quis jejunare poſtea teneatur?

Reſpondeo affirmative, dummodo tantum ſumpſeris, quantum ſuſtentationi abſque notabili incommodo ſeu nimia virium maceratione (quam non intendit Eccleſia) ſufficiat. Quod certe evenit in hominibus ruſticæ & plebejæ educationis, hujuſmodi prandiis aſſuetis. Quod ſi quis nobiliter educatus, ex his vulgaribus cibis ex neceſſitate forte oblatis, haud ſumpſerit ad plenam ſui refectionem, ſed tantum delibaverit, poterit adhuc ultra, ubi feret occaſio, plene ſeſe reficere: Eccleſia enim, ut modo ajebam, jejunii lege non extraordinariam, & prope eremiticam concluſit ſeveritatem, ſed vulgarem & portabilem cum quadam rigoris æquitate. Id ſuadet communis Doctorum ſenſus ex æquitate præcipientis Eccleſiæ deſumptus. V. Tambur. in Decal. *l.* 4. *c.* 5. §. 7. Th. Sanch. l. 1. conſ. c. 1. dub. 15. n. 3.

Qu. VII. An multipliciter peccet, qui non jejunet, aut carnes comedat die, quo concurrunt diverſæ obligationes jejunandi, & abſtinendi a carnibus ex eodem præcepto Eccleſiæ: puta ratione Quadrageſimæ, Vigiliæ, Quatuor temporum? 87

℟. Probabilior ſententia negat. Vide etiam dicta tr. 1. in Septembr. par. 1. ſect. 5. ſubſ. 5. n. 49. Secus tamen erit ſi diverſa obligatio concurrat ex Voto, aut pœnitentia a Confeſſario impoſita, ſive alterius Superioris præcepto.

Qu. VIII. An edens carnes in diebus Quadrageſimæ, quibus tenetur ad jejunium, prima vice peccet non ſolum contra præceptum de non edendis carnibus; ſed etiam contra præceptum jejunii, ita ut duplex peccatum committat? 88

℟. Affirmat Sanchez in ſum. *lib.* 4. *c.* 11. *n.* 53. Ratio eſt, quia eſus carnium, ultra ſpecialem prohibitionem, interdicitur quoque indirecte in ipſo jejunii præcepto, eo quod ſit eſſentialiter requiſita ad jejunium abſtinentia a carnibus. Quare in omni jejunio præcipitur. Idem contra Leandrum docet Diana *tom.* 4. *edit. coord. tr.* 6. *R.* 77. §. 6. & alibi, teſtaturque, hanc eſſe communem Doctorum ſententiam.

Unde ſequitur, eum, qui in die, quo jejunare tenetur ex præcepto Eccleſiæ, comedat carnes abſque legitima cauſa; non ſatis eſſe in Conſeſ-

feſſione dicere : ſe comediſſe carnes ſemel in die vetito ; ſed debere addere id fuiſſe in die jejunii ; ut ſic exprimat violationem alterius præcepti nempe jejunii ; violationem, inquam, factam per carnis comeſtionem. Quod etiam docet Diana *l. cit. Reſol.* 83. §. 2. & ſimiliter nec ſatis erit in confeſſione dicere ſimpliciter, ſe fregiſſe jejunium, ſed erit addendum, id fuiſſe per carnis comeſtionem; ita cum aliis La-Croix *lib. 6. part.* 2. *qu.* 148. §. 3.

89 Qu. IX. An, qui poteſt comedere carnes in die vetito, poſſit eas ſæpius in die commedere?

Dicendum eſt primo: Superiores, qui in diebus jejunii aliquem diſpenſent ad carnes, teneri ſub gravi, hujuſmodi facultatem non aliter dare, quam ſub conditione ſervandæ unicæ comeſtionis: Dummodo is, qui diſpenſatur, nequaquam a jejunio ſit excuſatus, puta propter ætatem. Vide dicta art. 2. qu. 14. n. 31. Et hujuſmodi diſpenſatum teneri ad jejunium, & non poſſe in collatione ſerotina edere carnes. Vide dicta l. cit. n. 38.

Secundo videtur concedendum; ſi
90 non ſit dies jejunii, aut etiamſi ſit dies jejunii, ſi tamen diſpenſatus ad carnes non teneatur jejunare, ſive propter ætatem, ſive propter laborem &c. poſſe quidem eum regulariter carnes multoties in die comedere. Quod etiam dicunt Salmantic. *in append. tr. 6. de Bull. Cruc. c.* 5. *pu.* 1. *n.* 23. Supponimus autem perſeverare cauſam diſpenſationis ad carnes in carnis comeſtione ſecunda, tertia &c. Vide dicta art. 2. qu. 17. num. 43.

91 Dicendum eſt 3. ſi carnes comedantur ex neceſſitate ſimpliciter a Medico declarata, interrogandum eſſe Medicum, utrum neceſſitatem agnoſcat comedendi carnes toties, quoties comedetur; puta in Prandio, & Cœna, niſi id aliunde ſatis conſtet ratione talis infirmitatis.

Qu. X. An diſpenſatus propter valetudinem ad carnes, poſſit quaslibet edere? 92

℞. Huic quæſtioni ſatisfecimus tr. 1. ubi de fer. 6. art. 1. qu. 14. nu. 63. & 64.

Qu. XI. An, qui poteſt comedere carnes, poſſit ſimul comedere piſces? 93

Reſpondeo; quidquid antea Doctores diſputaverint, nunc dicendum omnino eſt: diſpenſatos ad carnes tempore Quadrageſimali etiam in ejus Dominicis; vel extra Quadrageſimam in diebus jejuniorum, non poſſe ſimul comedere piſces; ſecus graviter peccabunt, niſi parva quantitas excuſaverit eos; conſtat ex Conſtitutionibus Benedicti XIV. recitandis art. 11. & ſat eſt legere Conſtit. *Libentiſſime*. Videri etiam poſſunt Salmantic. *in append. tr. 6. de Bull. Cruc. c.* 5. *pu.* 1. *n.* 15. 29. & 33. qui idem oſtendunt ex alia Conſtitutione laudati Pontificis quæ incipit *In ſuprema* & ex Litteris ejuſdem ad Archiep. Compoſtel. quas nos etiam deſcribemus cit. art. 11.

Parvam vero quantitatem piſcis fore, ſi non excedat dimidiam unciam: docent laudati Salmanticenſes *l. cit. n.* 38. Hæc clarius proponentur ſequentibus interrogationibus.

Inter. 1. An diſpenſati ad carnes, ſi velint in Dominicis Quadrageſimæ uti piſcibus in ſerotina refectione, hoc illis liceat, quamvis in prandio comederint carnes. 94

℞. Licere, dummodo in eadem

ſit inchoatum. Duo tamen addit: primo limitat, & vult, id tantum intelligi poſſe de iis, qui non in fraudem jejunii, ſed bona fide negotiorum cauſa, locum mutant. Secundo: Contrariam ſententiam etiam valde probabilem ſe judicare, & in praxi ſuadendam; neque dubium eſſe, quin Eccleſia ſic poſſit obligare. Ita Leſſius tr. 1. Atqui ego non video, in quo laudandus ſit is, qui in loco, ubi ex univerſalis Eccleſiæ inſtituto Paſchalia feſta celebrantur, quadrageſimalem exerceret mœſtitiam, & abſtinentiam. Enimvero pronior dicam, hunc ex peculiari loci, in quo olim morabatur, diſciplina excuſatum fuiſſe, ne primis Quadrageſimæ communiter indictæ diebus jejunaret, quam novo præcepto cogi, ut tantum ipſe privatus adverſus Eccleſiæ communiter lætantis admittat diſſormitatem. Pro eadem ſententia ſunt Sanch. Sal. Bonac. Laym. cit. a Buſemb. *l.* 1. *de leg. c.* 2. *dub.* 4. *reſol.* 2. La Croix *l.* 3. *p.* 2. *qu.* 241. citans alios. Eandem ſuſtinet Gobat *to.* 1. *tr.* 5. *caſ.* 3. *a n.* 99. & affert exemplum, quod ita exponit: *Pater Coſmas an.* 1654. *vel* 55. *venit ex Valleſia, ſeu Diœceſi Cædunenſi in qua habitaverat Fribur. Helvetior. ipſa hebdomada Paſchæ, cum in Valleſia jejunaſſet nonniſi tres, aut quatuor hebdomadas; quia id temporis nondum erat facta Reformatio Calendarii, quam pauculis poſt annis (emigrare juſſis Calvinicolarum reliquiis) acceptavit tota illa pia, & Catholica Regio ..... Quæſitum ex me fuit: an Patri illi parato implere totam Quadrageſimam, acquieſcendum eſſet nec ne? Dedi illud Reſponſum, quod ſibi ſciſcitanti fuiſſe a S. Ambroſio datum, teſtatur S. Auguſt. relatus* cap. *illa* diſt. 12. *his verbis*: Cum Romam venio jejuno Sabbato, cum ſum Mediolani, non jejuno; ſic & tu, ad quam forte Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi. *Non erat quidem periculum ullius ſcandali, erat tamen futura variis de cauſis moleſta, ſeu incommoda tanta diſcrepatio a communitate numeroſa, temporeque minime decreto ad jejunandum; quare juſſus fuit locum dare ſententiæ paulo ante relatæ ex Layman; licet contrariam (ſepoſitis incommodis) merito ſuadeat Leſſius* lib. 4. de Juſt. & jur. c. 2. n. 59., *& imperaſſet Tannerus* l. cit. n. 33. *in caſu, quo ille P. Coſmas veniſſet ex Valleſia in Rhætiam, in qua æque, ac in Valleſia Catholici hodie ſervant Calendarium antiquum; Imperarem, & ego.*

Sed objicies 1. Præceptum ſervandi Quadrageſimam, eſt Generale: Ergo obligat omnes, & ubique impleri debet. Ergo qui durante Quadrageſima in oppido, ubi verſabatur, ſe contulit in alium locum, ubi illa jam eſt tranſacta, nihilominus tenetur ibi etiam perficere. 67

℞. ex Leſſ. l. cit. n. 60. Etſi jejunium quadrageſimale obliget omnes, & ubique; non tamen omnino abſolute, ſed ſub illis exceptionibus quibus ſubſtant leges omnes Eccleſiaſticæ, quarum hæc una eſt ex locorum varietate, & privilegiorum petita. V. dicta 23. Jul. art. 3. qu. 3.

Ob. 2. Si quis e loco veteris Calendarii veniret in locum novi, & inveniret abſolutum præceptum Paſchale; nihilominus teneretur communicare, ſi nondum communicaſſet pro paſchate; ergo ſimiliter, qui nondum implevit præceptum jejunandi per integram Quadrageſimam, tene- 68

netur hic complere, ſi nondum complevit, licet hic transſierit tempus quadrageſimale.

℞. Leſſ. l. cit. n. 59. & La-Croix l. cit. concedunt antecedens, negant vero conſequentiam; & aſſignant diſparitatem, dicendo: obligationem Præcepti Communionis Paſchalis abſolute obligare perſonam abſque reſpectu ad locum; ſecus eſſe in præcepto obſervantiæ quadrageſimalis, hoc enim afficit perſonam cum reſpectu ad locum, ſicut præceptum feſti communis. Ita laudati Auctores. Adde quod præceptum Communionis paſchalis ubique, & quovis tempore ſine ulla difformitatis nota, aut ſcandalo ſervari poteſt, omni etiam difficultate vacat; ſecus ac accidit in caſu noſtræ quæſtionis. Sed de ipſa Paſchalis Communionis obligatione: V. infra dicenda lib. 5. part. 2. in ejus 1. part. c. 3. ſect. 2. qu. 2. n. 11. qu. 11. 12. & 14.

69 Qu. VI. Si quis ex loco novi Calendarii, abſoluto ibi quadrageſimali tempore, veniat in locum, quo eſt in uſu vetus Calendarium: ipſe autem in loco novi Calendarii per aliquam hebdomadam non jejunaverit, tenetur ne complere, & compenſare in loco veteris Calendarii, ubi Quadrageſima nondum præterierit?

℞. Puto affirmaturum Gobat, etiamſi ob aliquam juſtam cauſam illos dies quadrageſimales non ſervaverit; etenim tom. 1. tr. 5. caſ. 17. num. 377. docet, quod ſi Peregrinus, non obſervavit ob aliquam juſtam cauſam puta ob morbum, dum adhuc eſſet in ſua patria, præceptum univerſale, & veniat in locum, in quo ob diverſitatem Calendariorum inveniat illi præcepto nunc ſatisfieri, teneatur & ipſe, ut cæteri incolæ loci; ab eam rationem, quia mens Pontificis, inquit, videtur eſſe, ut compenſet. Attamen, ita ſe ſentire fatetur, ſatis trepide, tacentibus aliis. Vide dicta tr. 1. 23. Julii qu. 4. n. 20. ubi etiam hanc ſententiam retulimus. Sed verius puto, obligationem ex rationabili cauſa extinctam non reviviſcere: ut habet Gloſ. in c. *Quæris* de *Conſecr. diſt.* 4.

Qu. VII. Utrum Peregrinus, aut vagus veniens Mediolanum, teneatur jejunare primis quatuor diebus Quadrageſimæ? Poſito quod ibi Quadrag. incipiat a prima Dominica Quadrageſimæ, ſecundum dicta n. 57. 70

℞. Negative: Et hanc eſſe communem in Italia opinionem, teſtatur Leſſius *lib.* 4. *c.* 2. *dubit.* 8. *nu.* 59. ut ſignificavimus nu. 66. Rationem dedimus, ubi egimus de ſimili caſu hoc tract. 2. lib. 2. 1. par. c. 2. qu. 1. vide ibi dicta.

Qu. VIII. Si Mediolanenſis veniat in locum, ubi non eſt privilegium illud ſuæ patriæ: poteſt ne frui illo? 71

℞. Negative. Rationem dedimus in pari caſu cit. lib. 2. 1. par. c. 2. qu. 2. vide omnino ibi dicta, & videri etiam poſſunt dicta hic qu. 2.

Qu. IX. Utrum Religioſus, qui Mediolani exiſtens, & ut innuimus n. 57. tenetur per ſe jejunare primis quatuor diebus Quadrageſimæ: eximatur a jejunio, ſi moretur in domibus ſæcularium?

℞. Pelliz. in Manual Regul. *tom.* 1. *tr.* 5. *c.* 15. *qu.* 21. *n.* 58. & Bordon *tom.* 1. *reſol.* 18. *n.* 2. docent: Regulares exiſtentes Mediolani in primis quatuor diebus Quadrageſimæ teneri ad jejunium, ſi morentur in ſuis Monaſteriis; ſecus autem ſi exiſte-

ſterent in domibus ſæcularium. Subſcribam; ſi hanc ipſi habeant obſerſervantiæ ſuæ monaſticæ ex legitima conſuetudine explicationem. Siquidem privilegium illud negari videtur Regularibus ratione ſtatus, non loci: ſtatum autem non mutant, manendo in domo ſæculari, quod ſi ſeveritatem iſtam ad obſervantiam clauſtralem referre velis; bene ajebam, id ex ipſius regularis diſciplinæ legitima conſuetudine judicari oportere.

ARTICULUS VII.

Quod Jejunium perfectum Quadrageſimale non eſt continuum.

73 LICET Quadrageſima noſtra incipiens a feria quarta poſt Dominicam Quinquageſimæ uſque ad Reſurrectionem Domini conſtet diebus quadraginta ſex, non in omnibus tamen hiſce diebus jejunium perfectum ſervatur, ſeu in omnibus unica refectio fit; ſed ſolis tantummodo quadraginta. Per ſex itaque dies jejunium perfectum intermittitur, & imperfectum jejunium cuſtoditur, ſeu ſolus exigitur quadrageſimalis cibi delectus: non quidem ad libitum ſex dies excipiendo; ſed ipſi ſunt ab Eccleſia præſcripti: nimirum ſex Dominicæ, quæ in Quadrageſima occurrunt, in quibus exigitur ſola abſtinentia a carne, ovis, & lacticiniis. Conſtat ex c. *Placuit* 9. *diſt.* 3. *de Conſec. & eodem tit. C. Quadrageſima* 16. *diſt.* 5. ubi ſic: *Quadrageſima ſumma obſervatione eſt obſervanda, ut jejunium in ea, (præter dies Dominicos, qui de abſtinentia ſubtracti ſunt,) niſi quem infirmitas impedierit, nullatenus ſolvatur.* In quo textu animadvertendum eſt, quod, ubi dicuntur dies Dominici ſubtracti de abſtinentia: per abſtinentiam intelligitur ſolum rigoroſum, & perfectum jejunium, non item abſtinentia a carne, ovis, & lacticiniis: ut monet Diana *to.* 4. *edit. coord. tr.* 6. *R.* 54. §. 3. & ut oſtendit Chiavetta *conſult.* 61. *nu.* 11. & ſatis patet ex toto contextu illius canonis, & patebit etiam ex dicendis ar. 9. qu. 1. Rurſus Dominicas Quadrageſimæ exemptas eſſe a perfecto jejunio teſtatur Epiphanius in *Expoſ. Fid. Cathol.* ubi docet: quod Eccleſia obſervare Dominicas jejunando *non ſolet omnino, etiam in ipſa Quadrageſima*. De Jejunio in Dominica V. tr. 1. lib. 2. part. 2. cap. 1. art. 9.

Non licere ad libitum intermittere, & interrumpere Quadrageſimale jejunium: animadvertit S. Petrus Chryſologus *Serm.* 166. *de Quadrag. jejun.* ubi poſtquam allegatis teſtimoniis, comprobavit, Apoſtolicam eſſe inſtitutionem numerum etiam quadragenarium obſervantiæ Quadrageſimalis: ſic concludit, & invehitur contra nonnullos, qui ad libitum ſuum jejunia quadrageſimalia interrumpebant, & variabant: *Si ergo quadraginta dierum ſim[illegible], purum, æquale, tantis teſtimoniis ſub tanti numero Sacramenti traditum nobis a Domino jejunium perdocetur; unde iſta varietas? unde novitas iſta, unde hebdomadæ nunc reſolutæ, nunc rigidæ, nunc indulgentes, nimium nunc ſeveræ? unde intemperati jejunii uſus iſte, qui aut afficiat ſine venia, aut remittat ad crapulam? . . . Jejunium ſit æquale: & ut eſt nobis traditum, ſervetur ad corporis, & animæ diſciplinam. Certe qui jejunare non poteſt, non præſumat* 74

in-

inducere novitates; ſed fateatur, eſſe fragilitatis propriæ, quod relaxat &c.

Item Concilium Agathienſe in Gal-
75 lia Narbonenſi anno Chriſti 506 ob celebratum can. 12. (ſecundum Battaglini hiſt. concil. ubi de concil. Agat. can. 8.) monet, dies Dominicos Quadrageſimæ exceptos eſſe a rigoroſo jejunio; & admonet non licere Sabbatis Quadrageſimæ intermittere jejunium. Ait enim in laudato canone: *Placuit etiam, ut omnes Eccleſiæ filii, exceptis diebus Dominicis, in Quadrageſima, etiam die Sabbato, Sacerdotali ordinatione, & diſtrictionis comminatione jejunent*: & refertur c. *Placuit* 9. diſt. 3. *de conſecr.* Pro cujus canonis intelligentia ſciendum quod quidam habebantur, qui ſecundum Orientalis Eccleſiæ ritum, de quo art. præc. n. 55. & modo hic redibit ſermo, præter Dominicas, in Sabbatis etiam interrumpebant jejunium perfectum: licet anticipaverint initium obſervantiæ quadrageſimalis; recole dicta n. 54. Quam varietatem iterum damnarunt Gallicani Epiſcopi in Concilio Aurelianenſi anno Chriſti 511. ut refert Natal. ab Alex. *hiſt. Eccleſ. ſæc.* 2. *diſſert.* 4. *art.* 3. *prop.* 1.

76 Græcis vero permiſſum eſt, ut art. præc. n. 55. dictum fuit, etiam in Sabbatis, uno excepto majoris hebdomadæ, ex antiqua eorum traditione, jejunium ſolvere, ſola Quadrageſimali abſtinentia retenta.

Dixi *permiſſum eſt*: quia ex Bulla Innocentii IV. anno undecimo Pontificatus ſui ſuper Ritibus Græcorum, nu. 55. quamvis pro libito ſervent morem ſuum; ſalubrius tamen, & honeſtius agerent, ſi in omnibus etiam Sabbatis Quadrageſimæ perfectum jejunium cuſtodirent; ut conſtat ex Annalibus Eccleſiaſticis Auctore Raynaldo *tom.* 13. *an.* 1254. *n.* 8. teſte Caſſalio l. art. præc. cit. & c. 62. & 63. vide dicta tr. 1. ubi de Sabbato art. 7. a n. 54.

ARTICULUS VIII.

De obbligatione gravi ſervandi Quadrageſimam.

Ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, 77
facile argui poteſt, eſſe obligationem gravem ſervandi Quadrageſimam: quod & expreſſius hic aſſerimus. Eſt certum apud Catholicos. Vide Bellarm. *controv.* 3. *de Rom. Pontif. lib. c.* 16. prope fin. & *de bon. oper. in partic. lib.* 2. *c.* 7. Caſſalium *c.* 62. prope init. Leſſium *de Juſt. lib.* 4. *c.* 2. *dubit.* 5. *nu.* 33. Salmantic. *to.* 5. & 23. *c.* 2. *pu.* 1. *nu.* 11. & *pu.* 5. §. 1. *n.* 91. & 99. Azor. *inſtit. Moral. par.* 1. *l.* 7. *c.* 20. *q.* 1.

Quod ſi Joannes Caſſianus *Collat.* 21. *c.* 29. ſcribit: *Hac igitur Quadrageſimæ lege, qui juſtus, atque perfectus eſt non tenetur. Nec exigui hujus Canonis ſubjectione contentus eſt, quem profecto illis, qui per totum anni ſpatium deliciis, vel negotiis ſæcularibus implicantur, Eccleſiarum Principes ſtatuerunt; ut vel hac legali quodammodo neceſſitate conſtricti, his ſaltem diebus vacare Domino cogerentur &c.* male illum de errore accuſat Theophilus Raynaudus *to.* 15. *par.* 1. *ſect.* 3. *pu.* 3. *de elect. Sanctor. nu.* 33. *init.* tanquam verbis prædictis putantem; juſtos, atque perfectos non adſtringi jejunare per Quadrageſimam, eo quod aliis diebus ſatis ſuperque jejunent: & male etiam ſe gerunt alii, qui, teſte Petro Ciaconio, ſuſpicantur; eo loci favere Caſſianum Beguardis, & Be-

& Beguinis, quorum hæreſes damnatæ ſunt ſub Clemente V. in Concilio Viennenſi, relato inter Clementinas in Clem. *Ad noſtrum. de hæreticis*: quorum ſecundus & tertius error erat de exemptione Juſtorum a jejuniis, & præceptis Eccleſiæ. Per ea enim verba: *Nec exigui hujus Canonis ſubjectione contentus eſt*; liquet quo ſenſu dixerit Caſſianus *hac lege Juſtum non teneri*: nimirum ad oſtendendum, illa lege non eguiſſe nec gravari Juſtum, qui etiam illa non contentus, majorem ſponte ſua exequitur abſtinentiam: ad eum certe modum, quo Paulus dixit: *Lex Juſto non eſt poſita, ſed injuſtis*. Timot. 1. v. 9. Quare Caſſianum merito cum laude commemorat, & allegat S. Iſidorus Hiſpal. Epiſc. *de Eccl. Off. lib. 1. c. 36.* & Rabbanus Maurus *Inſtit. Cleric. l. 2. c. 20.* eumque jure optimo defendit laudatus Petrus Ciaconius in ſuis obſervationibus in Caſſianum, quæ ſunt inſertæ libris de *Inſtitutis*, & *Collationibus Caſſiani edit. Rom. an. 1588. pag. 742.* videri etiam poteſt D. Thomas *in 3. diſt. 37. qu. 1. art. 1. in reſp. ad 5.*

78 Qu. hic I. Utrum, qui poſt incæptum tempus jejunii quadrageſimalis complet ætatis ſuæ 21. annum (quæ ætas eſt ex communi Doctorum ſententia, & fidelium praxi jejunio præfixa) teneatur jejunare reliquo, quod forte ſuper erit tempore?

℞. Affirmative, etiamſi unicus dies ſuperſit de Quadrageſima. Ratio eſt, quia præceptum ſervandi Quadrageſimam obligat diviſibiliter ad ſingulos dies. La-Croix *l. cit. nu.* 1316. Ludovicus a Cruce *l. cit. n.* 3. fine Thom. Sanch. *l. cit. n.* 8. Pilliuc. *l. cit. fin.* Tambur. *in 4. præc. Eccl. c. 2. n.* 16. An teneatur autem jejunare illo ipſo die, quo complet ætatem? Examinavimus tract. 1. l. 1. c. 1. art. 9. ſect. 6. n. 37. Quod diximus de initio obligationis ad jejunium reſpectu juvenum, intellige etiam de initio obligationis abſtinentiæ a carnibus, & ovis, ac lacticiniis reſpectu puerorum, & puellarum. Vide dicta tract. 1. ubi de fer. VI. art. 1. ubi de Abſtinentia VI. feriæ qu. 8. a num. 40.

Qu. II. Utrum, qui poteſt comedere carnes, teneatur ad jejunium, ſeu ad unicam refectionem? 79

℞. Dicendum eſt: eos, qui diſpenſantur ad carnes in Quadrageſima, ſive extra Quadr. in diebus jejuniorum, non ideo excuſari a jejunio, ſeu ab unica refectione. Unde tenentur in ſerotina refectiuncula tum quoad quantitatem, tum quoad qualitatem ciborum perfecti jejunii normam ſervare; niſi rurſus ab hac ex aliqua peculiari cauſa excuſentur. Conſtat ex Pontificiis Conſtitutionibus Benedicti XIV. ad obſervantiam quadrageſimalem ſpectantibus, quas ad verbum dabimus art. 11. Videri etiam poſſunt Salmantic. *in append. tract. 6. de Bull. Cruc. c. 5. pu. 1. a n. 19.* & recole dicta art. 2. qu. 14. n. 31. & 38. & vide etiam dicenda hic qu. 14. ubi etiam in reſp. ad ſubjectam interrog. 3. innuemus: in hujuſmodi Conſtitutionibus Diſpenſationem ſumi late, ita ut intelligantur obligari ad jejunium etiam ii, qui carnes comedant ex conſilio Medici.

Quæres III. Utrum Concionatores teneantur jejunare in Quadrageſima? 80
Et idem quæritur de habentibus publicam lectionem, ut ſunt Magiſtri, & Lectores in Scholis?

Reſpondeo 1. pro hujuſmodi nullam eſſe vel ex Jure; vel ex conſue-

tu-

tudine abſolute factam diſpenſationem. Non ex Jure; conſtat enim nullum tale proferri poſſe. Non ex conſuetudine; quia ut Conſuetudo legitimam diſpenſationem ab aliquo Eccleſiæ præcepto abſque ullo alio reſpectu inducat; neceſſe eſt, ut a Prælatis Eccleſiæ, ſcientibus & non cohibentibus, convaleſcere permittatur. At ea non poteſt eſſe neque pro Concionatoribus ullis, neque pro Magiſtris; res enim omnino hæc penes privatos agitur, quos ex propria ipſorum indigentia ſeſe gerere prudenter judicant Superiores Eccleſiaſtici: proinde neque de illis inquirendum, neque quidquam ſeverius ſtatuendum curant. Cum ergo & ipſi Eccleſiæ Paſtores rem prudentum judicio decidendam relinquant; haud ſunt putandi conſuetudini vim ullam in præſenti caſu præbere, ſed ſimpliciter excuſationem prudenti judicio, videlicet ex rationabili hujuſmodi privatorum indigentia factam.

81 Reſpondeo 2. conſequenter: Cum Concionatoribus & Magiſtris quibuslibet, quoad Jejunii diſpenſationem, æquo jure agendum ac cum aliis, alio quovis munere & labore gravatis; nimirum ut eatenus excuſari cenſeantur, quatenus aut ſua munera aliter exercere nequeant; aut admodum difficulter, cum præjudicio boni publici, aut privatæ etiam valetudinis. Ita Navar. *Man. c.* 21. *n.* 16. Azor. *Inſt. Mor. p.* 1. *l.* 7. *c.* 18. *qu.* 1. & *alii apud ipſos*.

82 Qui ergo aliter huic quæſtioni reſpondere videntur, ut ii ſunt, qui ſimpliciter ſtatuunt excuſari Concionantes omnibus Quadrageſimæ diebus, aut ſaltem ter in hebdomada; ſimiliter & Magiſtros ſeu Cathedraticos, quando ad lectiones dictandas magno indigent ſtudio & labore improbo, ut loquuntur Salmanticenſes *tom.* 5. *tr.* 23. *c.* 2. *pun.* 7. §. 3. 147. Hi, inquam, haud putandi ſunt diſſentire a ſupra data reſponſione; ſed tantum, admiſſo communi principio, quod talium hominum excuſatio ab indigentia & æquitate ſit repetenda; taxare tanquam prudenti judicio, quid Hominum vires in communi uſu pro magno labore habeant, quid non. Enimvero ſi ab iiſdem Auctoribus quæras, an excuſatum habeant qui aut ſemel e. g. aut bis concionetur in hebdomada, aut lectiones dictet modici momenti? negabunt, ea ratione ducti, quod neque talium ſit magnus labor, neque timoratorum praxis id habeat. Videſne ergo ut & ipſi excuſationem hac in re faciendam, ſeu declarandam, prudenti judicio librent. Huc ergo confer Dian. *tom.* 4. *edit. coord. tr.* 6. *Reſ.* 24. §. 3. & *Reſ.* 26. §. 6. & *Reſ.* 27. §. 11. & 14. ex eo potiſſimum quod pro ſe afferat praxim piorum virorum. Tambur. *in Decal. l.* 4. *c.* 5. §. 7. *Sylveſt.* V. Jejunium *n.* 26. Fagund. *in* 4. *præc. Eccl. l.* 1. *c.* 8. *n.* 19. *&c.*

Quin etiam eodem prudenti judicio decidendum eſt, ſi quando oporteat cum hujuſmodi Hominibus, ratione muneris & laboris, (quibus adde Artifices omnes & Agricolas) excuſationem a jejunio facere, etiamſi per aliquem diem a labore ceſſant. Siquidem habitudo in talibus eſt attendenda. 83

Qu. IV. An pauperes, qui ordinarie non habent quantum ipſis ſufficiat ad plenam refectionem, teneantur jejunare in Quadrageſima, illo die, quo forte habeant? 84

℞. Affirmative: niſi ex præceden-

ti

ti inedia ita eſſent debilitati, ut jejunium ſine gravi incommodo ferre non valeant. ita Th. Sanch. *l.* 5. *Conſil.* *c.* 5. *dub.* 15. *n.* 4. Lezana Steph. aliique innominatim apud La-Croix *lib.* 3. *par.* 2. *qu.* 258. An autem debeant ſufficere illis pro debito prandio panis, fructus, olera? Vide qu. 6.

85 Qu. V. An teneantur jejunare quotidie in Quadrageſima, qui non habent niſi ſolum panem: ut ſunt multi Pauperum?

℞. Negative: neque etiamſi habeant vinum, quia nimis eſſet oneroſum, & laborioſum ſic jejunare; at benigna Mater Eccleſia per legem jejunii intendit ſolum corporis abſtinentiam moderatam; ut ex communi fidelium praxi arguere licet. Tambur. *in Decal. l.* 4. *c.* 5. §. 7. *n.* 34. & *in* 4. *præc. Eccl. c.* 10. *n.* 56. & La-Croix *de jejun. l. cit.*

86 Quæres VI. Cum Eccleſia per jejunii legem non intendat prohibere unicam in meridie plenam refectionem; quænam pro tali cenſenda ſit. Utrum e. g. ſufficiens prandium reputari debeat ex pane & herbis ſeu leguminibus ſumptum, ut ex eo quis jejunare poſtea teneatur?

Reſpondeo affirmative, dummodo tantum ſumpſeris, quantum ſuſtentationi abſque notabili incommodo ſeu nimia virium maceratione (quam non intendit Eccleſia) ſufficiat. Quod certe evenit in hominibus ruſticæ & plebejæ educationis, hujuſmodi prandiis aſſuetis. Quod ſi quis nobiliter educatus, ex his vulgaribus cibis ex neceſſitate forte oblatis, haud ſumpſerit ad plenam ſui refectionem, ſed tantum delibaverit, poterit adhuc ultra, ubi feret occaſio, plene ſeſe reficere: Eccleſia enim, ut modo ajebam, jejunii lege non extraordinariam, & prope eremiticam concluſit ſeveritatem, ſed vulgarem & portabilem cum quadam rigoris æquitate. Id ſuadet communis Doctorum ſenſus ex æquitate præcipientis Eccleſiæ deſumptus. V. Tambur. in Decal. *l.* 4. *c.* 5. §. 7. Th. Sanch. l. 1. conſ. c. 1. dub. 15. n. 3.

Qu. VII. An multipliciter peccet, qui non jejunet, aut carnes comedat die, quo concurrunt diverſæ obligationes jejunandi, & abſtinendi a carnibus ex eodem præcepto Eccleſiæ: puta ratione Quadrageſimæ, Vigiliæ, Quatuor temporum? 87

℞. Probabilior ſententia negat. Vide etiam dicta tr. 1. in Septembr. par. 1. ſect. 5. ſubſ. 5. n. 49. Secus tamen erit ſi diverſa obligatio concurrat ex Voto, aut pœnitentia a Confeſſario impoſita, ſive alterius Superioris præcepto.

Qu. VIII. An edens carnes in diebus Quadrageſimæ, quibus tenetur ad jejunium, prima vice peccet non ſolum contra præceptum de non edendis carnibus; ſed etiam contra præceptum jejunii, ita ut duplex peccatum committat? 88

℞. Affirmat Sanchez in ſum. *lib.* 4. *c.* 11. *n.* 53. Ratio eſt, quia eſus carnium, ultra ſpecialem prohibitionem, interdicitur quoque indirecte in ipſo jejunii præcepto, eo quod ſit eſſentialiter requiſita ad jejunium abſtinentia a carnibus. Quare in omni jejunio præcipitur. Idem contra Leandrum docet Diana *tom.* 4. *edit. coord. tr.* 6. *R.* 77. §. 6. & alibi, teſtaturque, hanc eſſe communem Doctorum ſententiam.

Unde ſequitur, eum, qui in die, quo jejunare tenetur ex præcepto Eccleſiæ, comedat carnes abſque legitima cauſa; non ſatis eſſe in Con-

ſeſſ-

feſſione dicere : ſe comediſſe carnes ſemel in die vetito ; ſed debere addere id fuiſſe in die jejunii ; ut ſic exprimat violationem alterius præcepti nempe jejunii ; violationem, inquam, factam per carnis comeſtionem. Quod etiam docet Diana *l. cit. Reſol.* 83. §. 2. & ſimiliter nec ſatis erit in confeſſione dicere ſimpliciter, ſe fregiſſe jejunium, ſed erit addendum, id fuiſſe per carnis comeſtionem; ita cum aliis La-Croix *lib. 6. part.* 2. *qu.* 148. §. 3.

89 Qu. IX. An, qui poteſt comedere carnes in die vetito, poſſit eas ſæpius in die commedere?

Dicendum eſt primo: Superiores, qui in diebus jejunii aliquem diſpenſent ad carnes, teneri ſub gravi, hujuſmodi facultatem non aliter dare, quam ſub conditione ſervandæ unicæ comeſtionis : Dummodo is, qui diſpenſatur, nequaquam a jejunio ſit excuſatus, puta propter ætatem. Vide dicta art. 2. qu. 14. n. 31. Et hujuſmodi diſpenſatum teneri ad jejunium, & non poſſe in collatione ſerotina edere carnes. Vide dicta l. cit. n. 38.

Secundo videtur concedendum ; ſi
90 non ſit dies jejunii, aut etiamſi ſit dies jejunii, ſi tamen diſpenſatus ad carnes non teneatur jejunare, ſive propter ætatem, ſive propter laborem &c. poſſe quidem eum regulariter carnes multoties in die comedere. Quod etiam dicunt Salmantic. *in append. tr. 6. de Bull. Cruc. c.* 5. *pu.* 1. *n.* 23. Supponimus autem perſeverare cauſam diſpenſationis ad carnes in carnis comeſtione ſecunda, tertia &c. Vide dicta art. 2. qu. 17. num. 43.

91 Dicendum eſt 3. ſi carnes comedantur ex neceſſitate ſimpliciter a Medico declarata, interrogandum eſſe Medicum, utrum neceſſitatem agnoſcat comedendi carnes toties, quoties comedetur ; puta in Prandio, & Cœna, niſi id aliunde ſatis conſtet ratione talis infirmitatis.

Qu. X. An diſpenſatus propter valetudinem ad carnes, poſſit quaslibet edere? 92

℞. Huic quæſtioni ſatisfecimus tr. 1. ubi de fer. 6. art. 1. qu. 14. nu. 63. & 64.

Qu. XI. An, qui poteſt comedere carnes, poſſit ſimul comedere piſces? 93

Reſpondeo ; quidquid antea Doctores diſputaverint, nunc dicendum omnino eſt ; diſpenſatos ad carnes tempore Quadrageſimali etiam in ejus Dominicis ; vel extra Quadrageſimam in diebus jejuniorum, non poſſe ſimul comedere piſces ; ſecus graviter peccabunt, niſi parva quantitas excuſaverit eos ; conſtat ex Conſtitutionibus Benedicti XIV. recitandis art. 11. & ſat eſt legere Conſtit. *Libentiſſime*. Videri etiam poſſunt Salmantic. *in append. tr. 6. de Bull. Cruc. c.* 5. *pu.* 1. *n.* 15. 29. & 33. qui idem oſtendunt ex alia Conſtitutione laudati Pontificis quæ incipit *In ſuprema* & ex Litteris ejuſdem ad Archiep. Compoſtel. quas nos etiam deſcribemus cit. art. 11.

Parvam vero quantitatem piſcis fore, ſi non excedat dimidiam unciam : docent laudati Salmanticenſes *l. cit. n.* 38. Hæc clarius proponentur ſequentibus interrogationibus.

Inter. 1. An diſpenſati ad carnes, ſi velint in Dominicis Quadrageſimæ uti piſcibus in ſerotina refectione, hoc illis liceat, quamvis in prandio comederint carnes. 94

℞. Licere, dummodo in eadem

cœna non adhibeant carnes, ſola enim permixtio carnium, & piſcium eſt interdicta in eadem refectione. Ita Salmant. l. cit. n. 35.

95 Inter. 2. Num epularum permixtio interdicta ſit iis diſpenſatis ad carnes qui non tenentur jejunare?

℟. Affirmative pro Quadrageſima ex mente Benedicti XIV. inf. cit. Inter. 4. quam huc conferas.

96 Int. 3. Num epularum permixtio ſit interdicta iis, qui carnes comedunt non ex vera diſpenſatione aliqua, ſed ex ſimplici neceſſitate naturali per ſe excuſante, puta ob gravem morbum?

℟. Negant Salmant. l. cit. n. 36. volentes, prohibitionem prædictam afficere tantummodo eos, qui ex aliqua vera diſpenſatione carnes comedunt. Sed praxis habet contrarium; qui enim comedunt carnes, eo quod noceant ſibi cibi quadrageſimales, & lacticinia, abſtinent a prædicta epularum permixtione tamquam ex vi ſupracitatæ Conſtit. Bened. XIV. & vero ſi in eadem Conſtitutione, ubi ſermo eſt de obligatione jejunii reſpectu eorum, qui diſpenſantur ad carnes, diſpenſatio ſumitur late ita ut intelligantur obligari ad jejunium ex vi conſtitutionis prædictæ etiam ii, qui carnes comedant ex conſilio Medici, eo quod ſibi noceant cibi quadrageſimales, & lacticinia; cur in eadem Conſtitutione, ubi ſermo eſt de non permiſcendis epulis, reſpectu eorumdem, qui diſpenſantur ad carnes, diſpenſatio ſumenda eſt ſtricte, & non etiam late in ſenſu prædicto?

97 Inter. 4. Utrum in diebus abſtinentiæ a carne extra Quadrageſimam, ſi non occurrat ſimul jejunium; puta in ſimplici feria ſexta, interdicta ſit epularum permixtio iis, qui ex aliqua diſpenſatione carnes comedunt?

℟. Negant Salmantic. l. cit. n. 30. In Dominicis autem Quadrageſimæ, etſi non ſit obbligatio jejunandi eſt adhuc nihilominus interdicta epularum permixtio, quia Pontifex eas Dominicas expreſſe ob temporis nimium quadrageſimalis reverentiam., huic abſtinentiæ rigidioris obſervantiæ ſubjicit. Uti conſtat ex ejus Litteris ad Archiepiſcopum Compoſtellanum, & notant Salmant. nu. 24. & 31.

Inter. 5. An, qui eſt diſpenſatus ad carnes, quia cibi quadrageſimales ſunt nocivi, poſſit ſimul edere piſces, ſi propter inappetentiam nequeat aliter de carnibus ſumere, quantum ſufficiat ad plenam refectionem? 98

℟. Affirmative: dummodo ſumat quantum ſibi ſufficere credat ad finem intentum, & non plus; ita Salmantic. l. cit. n. 37. ſiquidem ita guſtati piſces potius ad medicamentum pertinent, quam ad luxum & intemperantiam, quam intendit rejicere Pontifex.

Qu. XI. An, qui poteſt comedere ova, poſſit comedere carnes? 99

℟. Negative. Eſt certa: Neque enim cui conceditur minus; quod majus eſt, concedi exiſtimatur.

Qu. XII. An habens in Quadrageſima ſolum panem, & carnes, poſſit comedere carnes? 100

℟. Affirmative, ſi neceſſitas duraret per totam Quadrageſimam, aut ſaltem ad plures ejus dies. Deberet autem abſtinere uno, vel altero die, & contentus eſſe ſolo pane. Thom. Sanch. *lib.* 5. *conſil. c.* 1. *dub.* 19. *n.* 7. Vega & Angles apud Dianam *to.* 4. *edit.*

4. *edit. coord. tr. 6. R. 86. §. 6.* Leand. & Steph. apud La-Croix *lib. 3. part. 2. qu.* 258. §. 3. Niſi eſſet perſona valde delicata; aut contra valde robuſta, quæ ſine carne, ſolo pane commode ſaturari non poſſet, ſed magnum incommodum pateretur vel unico die comedendo tantummodo panem; Baucius apud Dianam l. cit. & ipſe Diana R. 85. §. 2. Tamburin in 4. *præc. Eccl. c.* 10. *n.* 58. Leand., & Steph. apud la-Croix l. cit. Hujuſmodi autem obligari jejunare, ſi ætatem habeat, ſeu etiam cum carnis comeſtione ſervare unicam refectionem, quæ ſervatur in jejunio: intelliges ex dictis qu. 2. n. 79.

101 Nota hic quod Layman apud La-Croix *lib. 3. par. 2. qu.* 258. §. 2. teſtatur de pauperibus ſuæ Regionis; ſcilicet tolerari apud ſuos conſuetudinem miniſtrandi pauperibus abſumendas carnium reliquias, in Bacchanalibus non abſumptas. Similiter Salmanticenſes *to. 5. tr. 23. c. 2. pu. 2. n.* 40. docent cum multis aliis: quoslibet pauperes oſtiatim mendicantes, cum aliunde non habeant unde ſuſtententur, poſſe ſine dubio licite comedere fruſta ovorum, eis donata ratione neceſſitatis: habet enim neceſſitas ſecum magna privilegia. Hanc doctrinam libenter admittimus in favorem pauperum; dummodo adſint duæ conditiones; prima, ut, qui dat Lacticinia, aut etiam carnes pauperi, non habeat, unde nunc commode poſſit aliis cibis licitis, aut pecunia illum ſuccurrere. Secunda: quod pauper, cui offerantur carnes, aut lacticinia, habeat veram neceſſitatem conſiſtentem in hoc, quod non habeat, quid illa die manducet, nec probabiliter ſperare poſſit, ſe alibi receptum competentem ſibi illa ipſa die ſuſtentationem hora congruenti. Quibus duabus conditionibus exiſtentibus dico: poſſe ne dum lacticinia, verum etiam carnes licite pauperes edere, & licite dari pauperibus, vel oſtiatim mendicantibus vel multo magis illis, qui ex verecundia non petunt eleemoſynam, aut etiam domi ſe continent, ut nonnullæ fœminæ honeſtæ pauperrimæ, & derelictæ. Videri poteſt Tamburinus *in 4. præc. Eccl. c.* 10. *ad* 64., ubi hanc rem attingit nobiſque favet.

Qu. XIII. An, qui in Quadrageſima non habeat aliquo die præter panem, niſi lacticinia, poſſit illa comedere? 102

℞. Vide Qu. præc. quamquam cum non ſit in comeſtione Lacticiniorum tanta diſſonantia a jejunio; quanta eſt in carnibus; non videtur Eccleſia velle adſtringere ad comedendum ſolum panem, ut ſervetur præceptum abſtinentiæ ab ovis, & lacticiniis, velle, inquam, eodem modo, quo velle, dicitur, ut ſervetur præceptum abſtinentiæ a carnibus.

Qu. XIV. An Mercatores Belgæ, qui in Quadrageſima ad Nundinas Francofurtenſes proficiſcuntur, carnibus libere cum aliis veſci poſſint, nimirum cum Hæreticis? 103

℞. Leſſius de juſt. *lib.* 4. *c.* 2. *dubit.* 5. *n.* 35. hæc habet: *Non facile Catholicus eas* (carnes ſcilicet tempore jejunii, & abſtinentiæ a carne:) *comedet etiam inter hæreticos, quia id facere non poſſunt, ſi abſque gravi periculo poſſint vitare, & alii cibi ſuppetant. Quare graviter reprehendendi Mercatores Belgæ, quidum in Quadrageſima ad nundinas Francofurtenſes proficiſcuntur, carnibus cum a-*

ſecundum alteram opinionem committi, dicuntur. Eſt enim, inquit, unum objectum, vel certe per modum unius animo objicitur, non autem fertur voluntas diſtincte ſuper ſingulos dies Quadrageſimæ. Quod ſi deinde hæc voluntas executioni mandetur non jejunando ſingulis diebus Quadrageſimæ, tunc utique quolibet die unum numero peccatum committetur omiſſionis externæ jejunii: Ita Filliuc. quem ſequitur Reinſſuel. *theol. mor. to.* 2. *tr.* 10. *diſt.* 2. *qu.* 3. *concl.* 7. *n.* 50. Idem docet Tambur. *in* 4. *præc. Eccl. cap.* 9. *n.* 6. Lucius Ferraris V. *jejunium art.* 1. *n.* 65. Buſemb. *l.* 5. *c.* 1. *dub.* 3. *art.* 2. *reſol.* 1. ubi hanc quæſtionem tangit quoad poſteriorem partem; licet fateatur oppoſitam ſententiam Azorii, & aliorum eſſe ſatis probabilem.

ARTICULUS IX.

Speciatim aſſeritur de Ovis & Lacticiniis, quod illorum abſtinentia obliget ſub gravi in Quadrageſima; & ſolvuntur variæ quæſtiones ad eamdem abſtinentiam ſpectantes.

106 ABSTINENTIA ab ovis, & lacticiniis in Quadrageſima obligare certum eſt; & dubitari nequit, poſtea quam Alex. VII. damnavit propoſitionem dicentem: *Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.* Quæ ordine eſt 32. inter propoſitiones damnatas a laudato Pontif. an. 1666. die 18. Martii. Obligationem prædictam eſſe tantum ſub veniali putarunt quidam, quos refert, & rejicit Mendo in *ſtatera opin. benign. diſſert.* 8. *quæſt.* 3. Profecto contra illorum opinionem pugnat fidelium perſuaſio, & Theologorum unanimis conſenſus: unde audiendi non ſunt, ſed dicendum eſt: obligationem prædictam eſſe ſub gravi. Vid. Salmantic. *to.* 5. *tr.* 23. *c.* 2. *pu.* 2. §. 2. *nu.* 34. *& in append. tr.* 6. *de Bull. Cruc. c.* 5. *pu.* 2. *n.* 42. Diana *edit. coord. to.* 4. *tr.* 6. *R.* 52. *&* 53. Raynaud. *to.* 10. *tract. de Roſa c.* 7. ubi *de exten. probib. carn. ad oriunda ex car.* Chiavet. *Conſult.* 61. *a n.* 3. & Viva in prædictam prop. Alex. VII. qui a n. 7. docet: conſuetudinem abſtinendi ab ovis, & lacticiniis in Quadrageſima obligare ſub gravi; atque id eſſe evidens: quamvis id in proſcriptione illius Theſis non exprimatur. Probat ex eo, quod ideo conſuetudo iſta abſtinendi ab ovis, & Lacticiniis eſt evidenter obligatoria; quia eſt communis perſuaſio Fidelium, & communiſſimus Theologorum ſenſus, quod obliget; eſto non conſtet aliunde, quod habuerit olim omnia, quæ requiruntur ad hoc, ut aliqua conſuetudo obliget. Atqui eadem fidelium perſuaſio, & Theologorum unanimis conſenſus fert talem conſuetudinem obligare ſub gravi. Ergo evidens pariter eſt, quod ſit graviter obligatoria. Ita Viva, qui adhuc ſubdit: quod propterea, qui poſt prædictam propoſitionem ab Alex. VII. damnatam doceret: conſuetudinem iſtam obligare tantum ſub levi: ſi minus explicite contradiceret definitioni Pontificis; implicite tamen certe contradiceret.

Hactenus dicta valent generatim pro univerſa Eccleſia, & de rigore juris comunis: ſed quoniam lex quælibet patitur aliquam exceptionem: videtur, quod his non obſtantibus in nonnullis Provinciis licite, & ſine 107

ne peccato lacticinia comedantur in Quadrageſima, ratione tantum conſuetudinis contrariæ ibi introductæ ex rationabili cauſa, communi neceſſitate continua cogente. Id peculiariter aſſeritur de Eborenſi, & Ægydienſi Diœceſibus in Luſitania; & in Conſtitionibus ſynodalibus Eccleſiæ Uliſſyponenſis hæc eadem conſuetudo memoratur *lib.* 2. *tit.* 3. *decret.* 1. §. 2. atque additur, illius vigore tum ova, tum Lacticinia in Quadrageſima ſine peccato comedi poſſe; ut refert Benedictus XIV. *de Synodo Diœceſ. l.* 11. *c.* 5. *n.* 14. Idem teſtantur de Belgio, & Germania Leſſius, Amicus, & Jacobus Marchantius apud Dianam *l. cit. R.* 48. §. 1. & *R.* 53. §. 5. Idem teſtatur La Croix *lib.* 3. *par.* 2. *qu.* 236. §. 2. Idem de diœceſi Colonienſi, Monaſterieſi, aliiſque vicinis. Idem tenet Buſemb. *l.* 3. *par.* 2. *de* 3. *præc. Eccl. dub.* 1. *Reſol.* 3. nec adverſari videtur Bened. XIV. *to.* 1. *Notif.* 16. *n.* 15.

108 Nihilominus deinde idem Benedictus XIV. Pontifex Maximus hujuſmodi conſuetudinem particularem univerſali Eccleſiæ conſuetudini contrariam reprehendit in ſua Bulla quæ incipit *Libentiſſime*: & de prædictorum locorum uſu, tamquam de abuſu queritur, ac præcipit, ut quotannis a Sede Apoſtolica humiliter diſpenſatio poſtuletur. En laudati Pontificis verba, quibus alloquitur Paſtores Eccleſiarum: (... *Animadvertimus jam multis abhinc annis, non ſolum plures in qualibet Italiæ urbe, veſtra autoritate diſſolvi a quadrageſimali abſtinentia, ſed etiam magno ſtudio contenditis, ut univerſam Civitatem, totamque Diœceſim eadem abſtinentia liberemus. Hinc factum eſt, ut in quibuſdam Civitatibus, ac Diœceſibus, jam per multos annos, fideles univerſi, abſque ullo diſcrimine, carnibus per Quadrageſimam utantur. Id quidem maximam nobis affert ſolicitudinem, eo quod deprehendimus certis Teſtimoniis, in quibuſdam Regionibus Septentrionis, toto Quadrageſimæ curſu, lactis, & ovorum uſum libere permitti, quia per plures annos eamdem facultatem petierint, & ab Sede Apoſtolica conſecuti fuerint: quamobrem illi Populi ſibi in animum induxerunt, non eſſe rurſus ad Pontificem confugiendum pro hujuſmodi facultate impetranda, ſed priores conceſſiones ſingulis annis acceptas ſufficere, ut lactis, & ovorum conſuetudo per Quadrageſimam comprobetur ... In litteris noſtris Apoſtolicis, quas anno* 1741. *ad omnes catholicos Epiſcopos dedimus, huic corruptelæ viam præcludere cogitavimus ea ratione, illiſque verbis, quæ rurſum hic ſubjicimus: (Debitum igitur Paternæ uniuſcujuſque veſtrum ſedulitatis, & charitatis officium jure poſtulat, ut omnibus notum faciatis, & annuncietis, nemini quidem ſine legitima cauſa, & de utriuſque Medici conſilio; multitudini vero, veluti Populo, aut Civitati, aut Genti indiſcriminatim integræ, nonniſi graviſſima, & urgenti neceſſitate, & in caſibus per ſacra Canonum Statuta præſcriptis, cum debita Apoſtolicæ hujus Sanctæ Sedis reverentia a Quadrageſimali jejunio diſpenſationem toties, quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter, fidenterque uſurpandam; nec ſuperbe, & arroganter ab Eccleſia, ſicut alibi in more poſitum eſſe, accipimus, eſſe poſtulandam*) Hæc Summus Pontifex.

Pro fidelibus degentibus in inſulis Ditionis Gallicæ in America legatur cit. Bullæ §. *Inſula S. Dominici*. 109

Qu. I. An in Dominicis Quadrage- 110

geſimæ liceat veſci ovis, & lacticiniis, abſque Bulla Cruciatæ?

℞. Negative: & contraria ſententia non reputatur probabilis, teſte Thoma Sanch. & Chiavetta l. infra cit. & certe non eſt tuta in praxi. Audiatur Diana *tom. 4. edit. coord. tr. 6. R. 54. §. 2. Ego alibi hanc ſententiam improbavi, & nunc iterum improbo; & caveant Auctores ne in poſterum illam vel abſolute teneant, vel tamquam probabilem admittant: Nam Sacra Congregatio S. Officii, & Sacra Congregatio Indicis, menſibus elapſis, mandarunt, hanc ſententiam a quodam libro deleri, ut factum fuit. Et recte quidem: nam eſt contra communem ſententiam Doctorum, quidquid falſo aſſerat Machadus ubi ſupra; & eſt contra conſuetudinem totius Eccleſiæ &c.* De peculiari Jure Bullæ Cruciatæ V. infra loco ſuo. Interim ſi plura deſideras circa prohibitionem lacticiniorum lege Raynaud *to. 10. tract. de Roſa cap. 7.* ubi *de exten. probib. car. ad oriunda ex car.* Salmanticenſes fuſius tractantes *tom. 5. tract. 23. cap. 2. pu. 2. §. 2. a num. 35.*

111 Qu. II. An ova, & lacticinia in Dominicis Quadrageſimæ abſque Bulla edi poſſint in iis ſaltem locis, in quibus eſt conſuetudo veſcendi illis?

℞. Salmantic. *to. 5. tr. 23. c. 2. pu. 2. §. 2. n. 36.*, & in *append. tr. 6. de Bull. Cruc. c. 5. pu. 2. n. 43.* docent: quod, ſi alicubi, ut accidit in aliquibus Hyſpaniæ Provinciis, non ſit introducta conſuetudo abſtinendi ab ovis, & lacticiniis etiam in Dominicis Quadrageſimæ, vel per contrarium uſum ſit abrogata: tunc non ſit mortale edere in Dominicis prædictis ova, & lacticinia; cum conſuetudo legem Eccleſiæ abrogare valeat; Ita illi.

Nota hic. Chiavettam *conſult. 61. a nu. 13.* docere: in noſtro Regno Siciliæ non adeſſe legitimam conſuetudinem comedendi ova, & lacticinia in Dominicis Quadrageſimæ. Adeoque animadvertit his veſci non poſſe, ne quidem in Dominicis eos, qui Bullam Cruciatæ non accipiunt, quando hæc promulgatur. Si aliquando autem accideret non promulgari, ut accidit anno 1714. in hoc caſu monet: neminem ſiculorum poſſe prætextu Siculæ conſuetudinis, quæ nulla adeſt, comedere ova, & lacticinia in Dominicis Quadrageſimæ. 112

Ego etiam dico, & addo: nec eſſe poſſe in noſtro Regno Siciliæ hanc conſuetudinem communem comedendi ova, & lacticinia, in Dominicis Quadrageſimæ, dum major pars populi quotannis accipit Bullam Cruciatæ, cujus privilegio ſemper licet veſci illis contra jus commune: conſuetudo autem communis ſumitur, & ſic denominatur a majori parte. 113

Qu. III. Qui habet experientiam antiquam, ſibi eſſe nocivum, piſcibus, ſimilibuſque cibis quadrageſimalibus veſci; utrum poſſit edere ova & lacticinia, etiam ab initio Quadrageſimæ; ſine nova nocumenti experientia. 114

℞. Huic quæſtioni ſatisfecimus art. 2. qu. 18. n. 44. vide ibi dicta.

Qu. IV. Utrum, qui in ſua patria comedit ova, & lacticinia ob privilegium Bullæ Cruciatæ, & poſtea venit in locum, ubi non eſt conceſſa prædicta Bulla, poſſit in illo loco comedere ova, & lacticinia? 115

℞. Ne-

℞. Negative. Vide dicenda c. 2. art. 1. ſect. 2. ſubſ. 1. q. 8. & pro ſimilibus dubiis de lacticiniis cum Bulla Cruciatæ connexis videantur dicenda citata ſubſ. 1.

116 Qu. V. An Præsbyteri Cantores cauſa vocis conſervandæ poſſint veſci ovis?

℞. Affirmat Sancius apud Dianam *to.* 4. *edit. coord. tr.* 6. *R.* 24. §. 4. ſi aliter nequeant bene canere: quia cauſa abſtinentiæ ab ovis adſtringi non debent diminute ſuum exequi munus; quod etiam vergit in detrimentum officii eccleſiaſtici. Conſentit Diana loc. cit.

117 Qu. VI. An diſpenſatus ad carnes poſſit comedere ova, & lacticinia?

℞. Affirmative, quia in eodem genere *Cui licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus* ex reg. 53. jur. in 6. niſi ratio ſit pro majori, quæ non eſt pro minori. Salmantic. *tom.* 5. *tr.* 23. *c.* 2. *pu.* 2. §. 1. *nu.* 28. Tambur. *de præc. Eccl. tr.* 4. *c.* 5. *n.* 21. & in *Decal. l.* 4. *c.* 5. §. 4. & alii communiter. Vide tamen ea, quæ monet Summus Pontif. Clemens XIII. in ſua Epiſtola Encyclica, quam deſcribemus art. 11., & dicenda a nobis inferius qu. 20. n. 143.

118 Qu. VII. An diſpenſatus ad ova poſſit comedere piſces? Dubium oritur, ex eo, quia ſecundum dicta art. præc. qu. 14. diſpenſatus ad carnes non poteſt comedere piſces.

℞. Poſſe. & conſtat ex Bulla Benedicti XV. incipiente *Libentiſſime*. Ubi in reſpoſione ad quæſtionem quartam in ea Bulla expoſitam expreſſe dicitur: *Epulas licitas pro iis, quibus permiſſum eſt carnes comedere, eſſe carnes ipſas: epulas interdictas eſſe piſces, adeoque Utrumque ſimul adhiberi non poſſe. Piſcibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticinia.*

Nota hic: licere aliquando diſpenſare aliquem ad ova, & lacticinia, etiamſi poſſit & valeat comedere piſces: quamvis ad cohoneſtandam diſpenſationem requiratur aliqua cauſa; puta difficilis aut infrequens piſcium copia ſaltem in populo. V. dicta ar. 2. qu. 13. n. 26. 119

Qu. VIII. An diſpenſatus ad ova poſſit comedere lacticinia; & contra? 120

℞. Negat Bonacina *to.* 2. *diſp. ult. qu.* 1. *pu.* 2. *n.* 4. & alii, quia putant, eſſe res diſtinctas, quarum una concedi poteſt ſine altera: & conceſſio hæc, cum ſit contra jus commune, eſt odioſa, unde reſtringi debet.

Doctores autem communius affirmant: ſentiunt enim, hæc omnia eſſe rationis ejuſdem, & ſimiliter ex carne originem trahere; unde habent ſimilem prorſus rationem prohibitionis, ne comedantur in Quadrageſima, in qua nimirum prohibentur carnes, & ea, quæ ex carne trahunt originem. Ita Reginal. *in praxi l.* 4. *n.* 170. Azor. *Inſtit. Moral. par.* 2. *l.* 7. *c.* 10. *qu.* 4. Lezana V. *jejunium n.* 11. fine. Bardi *in Bull. Cruc. par.* 3. *tr.* 5. *diſſert.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 1. *n.* 4. Medina Trull. & alii, quorum ſententiam tamquam omnino certam ſequitur Tambur. in *Decal. l.* 4. *c.* 5. §. 2. *n.* 19.

Interim nota hic, etiam ſtando in hac poſteriori ſententia, attamen aliquando permitti aliquam ſpeciem lacticiniorum, & non ideo licere veſci cæteris omnibus; quod ex Abulenſe notavit Reginal. in praxi *l.* 4. *n.* 170. unde monent, in hac re atten- 121

tendendam eſſe conſuetudinem, quæ ſi permittat uti ſolo lacte, vel ſolo caſeo, non licebit uti reliquis; quia conſuetudo habet vim legis: & ſi lex tantummodo permitteret uſum lactis, aut tantummodo uſum caſei, cæteris negatis: non liceret illis uti. Et nos etiam tr. 1. ubi de fer. 6. art. 1. qu. 1. inter. 6. num. 16. notavimus cum Viva ex Mendo, in aliquibus Provinciis introductum fuiſſe propter olei penuriam, ſagimen pro oleo, in iis etiam diebus, quibus tenentur ab ovis, & lacticiniis abſtinere. Unde in hujuſmodi locis ſive ſagimen reputetur caro, ſive inter lacticinia, ſeu inter oriunda ex carne computetur, non licet uti ovis, & cæteris lacticiniis, ex eo, quia liceat uti ſagimine.

122 Qu. IX. An qui vovit abſtinentiam a lacticiniis, poſſit comedere ova, & contra qui vovit abſtinentiam ab ovis, poſſit comedere lacticinia?

℞. Affirmat Th. Sanchez in ſum. *lib.* 4. *c.* 11. *n.* 47. ſubdit vero, niſi in utroque caſu conſtet de expreſſa voventis intentione utramque abſtinentiam comprehenſam eſſe.

Dico quod ſtando ipſius Vocis etymologiæ non comprehenduntur utique ova lacticiniorum vocabulo; lacticinia enim ſunt proprie dicta, quæ ex lacte conficiuntur. Sed uſus jam apud omnes, quod ſciam, invaluit ut lacticiniorum nomine ova ipſa concludantur, a qua intelligentia non putandus eſt aberraſſe, qui cum ſimpliciter abſtinentiam lacticiniorum voverit, incommuni ſenſu voviſſe cenſendus eſt.

123 Aliud vero dicendum de eo qui vovit expreſſe abſtinentiam ovorum; cum enim ova ſpecies jam ſint lacticiniorum, non valet arguere a ſpecie ad Genus. Tenebitur ergo, quantum eſt ex ſenſu communi, abſtinere ab ovis, qui vovit abſtinentiam lacticiniorum; non vero contra ad abſtinentiam aliorum lacticiniorum, qui ſimpliciter vovit abſtinentiam ovorum.

Qu. X. An laridum, axungia, ſagimen, ſanguis item animalis carnei, jus ex carne, & ova quæ intra Gallinas inveniuntur, poſſint inter lacticinia computari, ſeu inter ea, quæ ſementinam ex carne trahunt originem, ſed non ſunt ſimpliciter caro? 124

℞. Huic quæſtioni ſatisfecimus tr. 1. ubi de fer. 6. art. 1. qu. 1. ab interrog. 3. ad 7.

Qu. XI. An cruſtum, ſeu panis ille dulcis, quem ſicule dicimus *Biſcottu*, italice *Biſcottino*, poſſit comedi ab iis, qui non poſſunt veſci lacticiniis? Dubium oritur ex eo, quia prædictus panis non ſolum ſaccharo miſcetur, ſed etiam modico ſagimine; & a nonnullis miſcetur etiam ovis in modica ſimiliter quantitate reſpective tamen ad maſſam farinæ. 125

℞. Et dico: hujuſmodi panem Biſcoctum prædicto modo compoſitum, non poſſe comedi ab iis, quibus prohibita ſunt ova, & ſagimen: niſi forte tantum de hujuſmodi pane quis comedat, ut quantitas ſaginis, & ovi in illo recepta ſatis modica ſit, & parva, ita ut ſi ſola, & ſegregata comederetur, a peccato mortali excuſaret. Hujuſmodi autem quantitas ſi quia parva eſt, excuſaret a mortali; quia vero quantitas eſt, non excuſaret a veniali, cum tunc fieret etiam contra præceptum licet leviter, ſeu in re levi, ut animadvertit Tambur. *de præc. Eccl. tr.* 4. *cap.* 5. *num.* 31. & nos etiam in

in alia materia probavimus tract. 1. lib. 1. cap. 1. art. 9. ſect. 8. num. 44. Niſi adeo parva, & modica eſſet, ut vere moraliter pro nihilo haberi poſſet; in quo quidem ſenſu docuit Chiavetta *Conſult.* 61. *nu.* 18. licere hujuſmodi panem biſcoctum comedere in Quadrageſima. Hanc ſententiam ut omnino certam haberi volunt Salmant. plures alios Doctores adducentes *to.* 5. *tr.* 23. *de* 3. *Decal. præc. c.* 2. *pu.* 2. *n.* 41. Vide quoque Dianam *to.* 4. *edit. coord. tr.* 6. *R.* 49. *&* *R.* 118. §. 3. Tambur. *de præc. Eccl. tr.* 4. *c.* 4. *a n.* 13.

126 Sed ob. 1. cum Paſqualigo apud Dianam l. c. reſ. 38. §. 3. in pane prædicto biſcocto nullum remanet veſtigium ovorum & ſagiminis: ergo.

℞. Nego antec. ſi ita eſſet, nulla intercederet differentia inter panem prædictum, & alium uſualem: quod ex ipſo ſenſu falſum eſt.

127 Ob. 2. Cum eodem Paſqualigo apud Salmanticenſes l. ſupra cit. quantitas ovi, quæ in dicto pane miſcetur, licet ſecundum ſe eſſet ſufficiens ad mortale, ſi ſeorſum acciperetur, tamen immixta pani, ita abſorbetur ab ejus ſubſtantia, ut non cenſeatur quis veſci ovis, ſed pane; ſicut apparet in jure, ubi non cenſetur comedere carnem, qui jure veſcitur. Ergo poteſt quivis prædicto pane veſci in qualibet magna quantitate.

℞. Nego antecedens, quod falſum eſſe ab experientia oſtendit Leandrus l. cit. experientia enim teſtatur: cum majori quantitate ovorum, manente eadem quantitate farinæ, majorem in quantitate panem biſcoctum fieri; quod non contingeret, ſi quantitas ovorum abſorberetur in ſubſtantia panis. Alia etiam ratione antecedens idem eſſe falſum, probat Jo. a Cruce apud Dianam *to.* 4. *edit. coord. tr.* 6. *R.* 49. §. 1. ubi hæc habet: *Nota, eſſe peccatum mortale, comedere in Quadrageſima Biſcochos* (ita hyſpanice) *ſine privilegio. Nec valet, quod ſubſtantia ovi, eſt verſa in aliam ſubſtantiam; alias liceret comedere cibum album ex carne confectum, cum ibi ſubſtantia carnis verſa ſit in aliam ſubſtantiam.* Ita ille: qua etiam ratione utuntur Salmanticenſes loc. cit. qui etiam ante prædictam rationem adduxerant aliam: quia ſecus prædictus panis biſcoctus maneret panis uſualis, qui poſſet conſecrationi deſervire: quod nequit dici.

Quoad paritatem vero, quæ affertur de jure ex carne; potius favet ipſa, quam obſtet. Falſum enim eſt, non cenſeri comedere carnem, qui jure ex carne veſcatur; ut teſtatur univerſalis hominum exiſtimatio & uſus, qui inter carnes jus enumerat. Vide dicta tr. 1. ubi de fer. 6. art. 1. qu. 1. inter. 3. n. 8. 128

Ob. 3. Cum eodem Paſqualigo apud Dianam l. cit. poteſt recte dici, quod non prohibeantur ova niſi prout ſunt moraliter ova, hoc eſt non mixta, & imbibita in ſubſtantia panis, aut aliorum ciborum. Ergo. 129

℞. 1. Nego ſuppoſitum antecedentis; ſupponit enim ova mixta cum alio cibo non eſſe moraliter ova, quod eſt falſum. Ova mixta cum alio cibo; & in caſu noſtro ova mixta cum pane ſunt, & remanent vera ova, & eadem ac illa, quæ erant priuſquam miſcerentur; non integra quidem, ſicut erant antequam ſolverentur, & ex ipſis fieret quaſi una maſſa, & miſcerentur cum farina; ſed ſunt quaſi abſcondita, propter ad-

admixtionem cum ſubſtantia panis in majori quantitate : ut obſervat Leandrus apud Dian. l. cit.

130 ℞. 2. in forma; nego antecedens, quod eſt falſum : enim vero ova prohibentur abſolute & ſimpliciter, ſine limitatione, ut ſuperius dictum eſt. Ergo etſi mixta ſint cum alia ſubſtantia, manent nihilominus; ita Salmantic. l. cit. & Leandr. cum quo ſentit quoad hæc omnia Diana l. c.

Ea, quæ de Ovis dicta ſunt, intelligenda ſunt etiam de ſagimine, quo quidem ſemper commixtum ſupponimus prædictum panem Biſcoctum; ovis autem non ſemper, plerique enim ova non ponunt in biſcoctis hujuſmodi.

131 Quoniam ex data reſponſione manet, ratione quantitatis parvæ ſeu ovorum ſeu ſaginiinis poſſe excuſari a mortali hujuſmodi cruſtorum comeſtionem : interrogabis, quota ſit quantitas ovi, & ſaginiinis a mortali excuſans? ſeu quænam ſit parva quantitas ovi, & ſagiminis?

℞. Et primo quoad Sagimen : vel illud inter carnes computare velimus, quod in rigore eſt, ſecundum dicta in fer. 6. art. 1. n. 13. vel ex uſu aliquo particulari, ut eſt in noſtra Sicilia, inter lacticinia adſcribamus, ſeu inter ea, quæ originem quidem trahunt a carne, caro autem non ſunt. Si itaque dicamus, ſagimen eſſe carnem : parva quantitas ſagiminis, ſequitur, eſſe eadem, ac parva quantitas carnis; ſi vero inter lacticinia computemus, tunc illius parva quantitas ex his aliis deſumenda eſt; & videndum, quænam ſit parva quantitas in lacticiniis, quæ ex carne trahunt originem.

132 Et quod attinet ad parvam quantitatem carnis; eam deſignavimus tr. 1. in fer. 6. cit. art. 1. qu. 2. n. 25. ubi expoſuimus & approbavimus ſententiam Tamburini, Dianæ, & Leandri, docentium parvam quantitatem carnis eſſe octavam partem unciæ Romanæ, hoc eſt mediam quartam; Hæc enim quantitas non poteſt graviter nocere fini intento ab hujuſmodi abſtinentiæ præcepto. Ergo ſi ſagimen carnem eſſe dicamus, parva quantitas ſaginiinis eſt octava pars unciæ Romanæ, ſeu media quarta. Si vero illud inter lacticinia computetur ſeu inter oriunda ex carne, puta, ova, caſeum, aliaque ex lacte confecta; illius parva quantitas ex hujuſcemodi rebus deſumenda eſt, ut diximus. Si quæratur autem quænam ſit parva quantitas lacticiniorum, ſeu illorum, quæ ſementinam carnis trahunt originem? Dico : Leandrum apud Tamburinum *de præc. Eccl. tr.* 4. *c.* 5. *n.* 38. putare, parvam quantitatem ovi eſſe mediam unciam, ſcilicet Romanam; cujus ſententiam Tamburinus non improbat, licet ipſe putet ibidem, quoad ova idem dicendum eſſe ac de carnibus; Adeoque velit, parvam quantitatem ovi eſſe octavam partem unciæ Romanæ, ſeu mediam quartam : hæc enim eſt juxta illum parva quantitas carnis, & juxta etiam Leandrum, ut ſupra quoque vidimus.

Quod autem Leandrus neget carnibus mediam unciam Romanam pro parva quantitate : hanc vero concedat ovis; id, ut putat Tamburinus fortaſſe Leandrus docuit, quia judicavit aliquid plus nutritionis dari a carnibus, quam ab ovis. Si autem hoc judicavit, rectiſſime quidem id judicaſſe puto, quia videtur certum, carnes veras plus nutritionis dare, quam ova, quæ ex carne ſo- 133

jam ducunt originem; & hoc de lacticiniis proprie talibus, ſeu de lacte, & aliis, ex lacte conflatis fatetur ipſemet Tamburinus l. cit. n. 39. infra afferendus & c. 6. n. 24.

Sententiam Leandri videtur tenere quoque Pater Villalobos; nam apud Dian. *tom.* 4. *edit. coord. tr.* 6. *R.* 49. §. 2. in præſenti quæſtione: an poſſint comedi panes biſcocti propter ova immixta? docet, poſſe comedi unum biſcoctum in collatione. At quare unum? procul dubio quia putat in uno tantum biſcocto contineri parvam ovi quantitatem; ſed quænam eſt iſta ovi parva quantitas? ipſe teſtatur in uno biſcocto inveniri quartam partem ovi. Ergo Villalobos etiam putat quartam partem ovi eſſe parvam quantitatem; ſed quarta pars ovi ordinariæ magnitudinis, ovi quidem Gallinacei eſt media uncia Romana, ut ex Tamburino obſervabimus infra. Ergo Villalobos putat mediam unciam Romanam ovi, eſſe parvam quantitatem.

Quoad alia vero lacticinia, ſeu quoad lacticinia proprie dicta nempe lac, caſeum, butyrum, inclinat Tamburinus ad dicendum: horum parvam quantitatem eſſe dimidiam unciam Romanam, quia hæc ait, ſunt minus nutritiva, quam carnes, & ova. De veris hujuſmodi lacticiniis aſſignant quoque mediam unciam Romanam pro parva quantitate Villalobos, Trullench; & Diana apud Leandrum teſte eodem Tamburino *de præc. Eccl. tr.* 4. *c.* 6. *nu.* 23. *fine*.

134 Ex his habes ſolutionem factæ interrogationis, qua quærebatur: quænam eſſet ovi, & ſagiminis parva quantitas? nimirum prudenter dici poſſe eſſe mediam unciam Romanam libræ ſubtilis: porro uncia Romana, quam nos Siculi dicimus unciam *ſubtilem*, eſt duodecima pars libræ, trigeſima vero pars ponderis duarum librarum, & ſelibræ. Atque adeo trigeſima pars ponderis quod Siculi vocamus *Rotulu*.

Non inutile eſt audire hic etiam ex Tamburino, quænam quantitas ovi contineat in ſe pondus mediæ unciæ Romanæ, vel octavæ partis ejuſdem unciæ Romanæ? hoc ille exponit l. cit. n. 38. ubi teſtatur, ſe ponderaſſe ovum mediocris magnitudinis ſpoliatum putamine, ſeu deducto cortice tum crudum, tum aſſatum, tum frictum, atque ſemper inveniſſe ponderis duarum unciarum, ſcilicet Romanarum.

Quæ hactenus de una dulciariorum ſpecie diximus, cuilibet alteri quæ apud quoſcumque in uſu ſit, prudenti judicio accommoda. 135

Qu. XII. An diſpenſatus ad ova, & lacticinia, poſſit ea pluries in die comedere, præſcindendo a jejunio? 136

℞. Regulariter loquendo probabile eſſe, quod ſic; colligi poteſt ex dictis in ſimili diſpenſatione ad carnes art. 8. qu. 12. n. 93.

Supponimus autem etiam hic, quod non ceſſaverit cauſa diſpenſationis ad ova, & lacticinia, in eorum comeſtione ſecunda, tertia, &c. Vide dicta art. 2. qu. 17. n. 43., ſi vero lacticinia, & ova concedantur ex neceſſitate ſimpliciter a Medico declarata, in caſu, quo non ſit obligatio jejunandi, expedit illum interrogare: utrum neceſſitatem agnoſcat ea comedendi toties, quoties comedetur, puta in prandio, & cœna? dixi *præſcindendo a jejunio*; quia de refectiuncula ſerotina, utrum in ea adhiberi liceat ova, & lacticinia a je-

jejunantibus, qui alias poſſint illis veſci? examinabimus infra n. 143.

137 Qu. XIII. Si quis aliquo die Quadrageſimæ teneatur jejunare ex voto: ſi comedat ova, & lacticinia abſque Bulla, vel ſimili privilegio, aut ſine alia cauſa excuſante, peccat ne contra votum jejunii edendo illa? An ſolum contra præceptum de non edendis ovis & lacticiniis prædicto tempore?

℞. Aliqui docent; ſolum contra præceptum Eccleſiæ peccare; ex eo quia ſatis probabile eſt: abſtinentiam a lacticiniis non includi in jejunio ne quidem ut quadrageſimali; ſed diſtincto prorſus præcepto eam præcipi: adeoque in voto jejunii non includitur abſtinentia a lacticiniis. Ergo qui illa comedit, non facit contra votum. Ita Sanch. *in Decal. lib.* 4. *c.* 11. *n.* 53. quem videtur ſequi Chiavetta *conſult.* 189. *n.* 3. *fine*. Idem docet Tancredi *to.* 4. *tr.* 3. *de Vot. qu.* 21. Diana *tom.* 4. *edit. coord. tr.* 6. *R.* 84. §. 2. qui etiam citat Portel. & favet quoque Tolenus allegandus infra qu. 17. n. 140. fine. Contrarium tamen tenet Sylv. V. *jejunium* n. 15. Idem verius cenſet Caſtropal. *par.* 2. *de eſſent. & oblig. Vot. tr.* 15. *diſp.* 1. *pu. n.* 18. Suar. *to.* 2. *Relig. tr.* 6. *de Vot. lib.* 4. *c.* 7. *nu.* 9. Idem ſentire videtur Azor. *Inſtit. Moral. part.* 1. *lib.* 7. *c.* 10. *qu.* 2. *fine*, & *c.* 20. *qu.* 6. Sed utramque ſententiam eſſe probabilem, inquit Tamburinus *in Decal. l.* 3. *c.* 15. §. 6. *num.* 11. talem exiſtimant priorem etiam Salmantic. in *append. tr.* 6. *de Bull. Cruc. cap.* 5. *pu.* 2. *n.* 46. fine, & talem nos etiam judicavimus tr. 1. ubi de Dominica art. 9. qu. 7. n. 95. Ex priori autem ſententia ſequitur 1. poſſe in quadrageſima comedere ova, & lacticinia illum, qui tenetur jejunare ex Voto, ſi eſſet in loco, ubi foret privilegium edendi ova, & lacticinia. Quod expreſſe docet Manuel apud Sanch. l. cit. n. 50.

Sequitur 2. edentem ova, & lacticinia in Quadrageſima abſque Bulla, aliave cauſa excuſante, etſi peccet contra præceptum Eccleſiæ; ſatisfacere tamen Voto jejunii, ſi ex Voto ad illud tenetur; unde ſi voverat ſemel jejunare, non tenetur altera denuo die jejunare, ut ſatisfaciat voto, quia jam illi ſatisfecit. Ad hæc videnda eſt animadverſio facta tract. 1. ubi egimus de Dominica l. cit. verſus fin.

Quæ dicta ſunt de jejunio ex Voto, intelligi quoque poſſe de jejunio ex Pœnitentia Sacramentali, & de jejunio explendo ad Jubilæum lucrandum, ni Confeſſarius vel Pontifex expreſſe imponat, & exigat abſtinentiam ovorum, & lacticiniorum; vult Chiavetta conſult. 189. nu. 3. ſed vide dicta in Septembr. part. 1. ſect. 5. ſubſ. 5. n. 62.

Qu. XIV. An Religioſus, qui ex voto ſuæ Religionis teneatur abſtinere ab ovis, & lacticiniis: illa edendo in Quadrageſima, duplex peccatum committat: unum contra obligationem Voti ſui: alterum contra præceptum Eccleſiæ? 138

℞. Huic quæſtioni ſatisfecimus in feria ſexta art. 1. qu. 11. interrog. un. num. 59.

Qu. XV. Utrum, qui in Quadrageſima comedat ſine juſta cauſa excuſante carnes, & ſimul ova, committat duo peccata diſtincta? 139

℞. Negat Leandrus apud Dianam to. 4. edit. coord. tr. 6. R. 87. §. 6., quia ait, vel unicum tantum præce-

ceptum violat : aut ſi duo , ſub una , & eademmet ratione formali abſtinentiæ . Affirmat vero Diana , ibi , & Sancius apud eumdem R. 84. §. 1. eſſe duo peccata diſtincta : cum præceptum abſtinentiæ ab ovis , & lacticiniis ſit prorſus diſtinctum a præcepto abſtinentiæ a carne ; & in confeſſione diſtincte aperiendam utriuſque Præcepti violationem.

140 Siquidem tamquam de diſtinctis , eſto cohærentibus præceptis loqui videtur C. *Denique Sacerdotes*, diſtinct. 4. *Par autem eſt , ut quibus diebus a carne animalium abſtinemus , ab omnibus quoque quæ ſementinam carnis trahunt originem , jejunemus : a lacte videlicet, & caſeo , & ovis :* Ergo &c. conſentit Toletus in Sum. lib. 6. c. 3. nu. 2. ubi docet , eſſe tria præcepta diſtincta hæc: nimirum præceptum jejunii , præceptum abſtinendi ab eſu carnium, & præceptum , inquit , abſtinendi a lacticiniis , & ovis.

141 Qu. XVI. An , qui comedit Ova , & lacticinia , recte ſe accuſet in confeſſione , ſi dicat : ſe comediſſe lacticinia?

℞. Si ſecundun uſum ſuæ Patriæ nomine lacticiniorum veniant etiam ova , recte quidem ſe accuſaret.

Si vero lacticiniorum nomine non ſit uſus intelligere etiam ova ; ſed lacticinia accipiantur ſtricte , & rigoroſe , ut ſignificent lac , & alia ex lacte conflata ; tunc minus recte ſe accuſaret. Diſtinctus enim Vocabuli ſenſus diſtinctam arguit in utravis comeſtione malitiam in confeſſione utique aperiendam.

142 Qu. XVII. An diſpenſatus ad lacticinia , & ova teneatur jejunare in Quadrageſima , ſi per ſe obligetur , puta , quia ætatem ſufficientem habeat?

℞ Affirmative; quia ex jure componitur cum jejunio eſus ovorum, & lacticiniorum . Tambur. in decal. *l.* 4. *c.* 8. §. 1. *n.* 25. Tolet in *Sum. lib. 6. cap. 3. n.* 4. Lezana V. *jejunium num.* 11.

Et quamvis plerique velint abſtinentiam ab ovis, & lacticinis eſſe de eſſentia jejunii quadrageſimalis ; alii tamen ſatis probabiliter contrarium docent , quam ſententiam approbavimus qu. 14. n. 137. Accedit praxis , & uſus fidelium ; enim vero qui diſpenſantur ad ova , & lacticinia , non putant ſe ideo ab jejunii obligatione eſſe ſolutos ; nec id intendunt Superiores, quando diſpenſant ad illa . Imo in Bulla Cruciata ubi conceditur privilegium edendi ova , & lacticinia, declaratur expreſſe ; eſſe nihilominus obligationem jejunandi . Et confirmatur ex diſpenſatione ad carnes ; etenim diſpenſati ad edendas carnes in diebus jejunii Eccleſiæ , eo quia ſibi noceant cibi quadrageſimales , & Lacticinia ; tenentur nihilominus jejejunare , ſecundum dicta art. præc. qu. 2. n. 79. Ergo a fortiori diſpenſati ad ova , & lacticinia . Quod per ſe patet , cum certiſſime longe magis videatur opponi jejunio eſus carnium, quam ovorum , & lacticiniorum. Et hæc omnia conſtant ex conſtitutionibus Benedicti XIV. infra recitandis.

Qu. XVIII. An in refectiuncula ſe- 143
rotina ſumere poſſit lacticinia proprie talia, puta caſeum, qui poteſt lacticiniis veſci?

℞. Affirmarunt nonnuli , quorum ſententiam putavit eſſe probabilem Tambur. *de præc. Eccl. tr.* 4. *cap.* 6. *n.* 23.

nu. 23. dumodo quantitas, quæ ſumatur, ſit mediocris: quam explicat cit. tr. 4. cap. ult. & videbimus infra qu. ſequenti: quia, inquit, non apparet ratio, unde prædicta lacticinia certo prohibeantur poſito quod in tali jejunio licite, ut ſupponitur, eadem comedantur. Subdit etiam quod ſi per Auctores, qui cæteroqui rigidiſſime agunt de jentaculo, aſſumi poſſunt quæ adhiberi ſolent in ſecundis menſis, ſicuti ſunt fructus, dulciaria ec. cur excludi debeat caſeus, qui ſolet in dictis ſecundis menſis paſſim ab omnibus adhiberi? ſed hæc ante Benedictinas Conſtitutiones tolerari forte potuere.

Nunc ſententia negativa certa eſt quam ſuſtinent Salmantic. *in append. tr. 6. de Bull. Cruc. cap. 5. quæſt. 1. nu.* 27. aliique apud Tambur. l. cit. & noviſſime Franciſcus Antonius Zachar. in ſuis *animadv. ad theol. mor. P. Lo Cr. animadv. in lib. 3. par. 2. qu.* 252. §. 5. *num.* 1302. inquit: Id jam certum eſſe ex Benedicti XIV. reſponſis ad Compoſtellanum Archiepiſcopum, & ex Clementis XIII. Epiſtola encyclica edita 20. Decembr. an. 1759. Quas nos litteras Apoſtolicas ad verbum dabimus in fine hujus articuli.

144 Sed notandum 1. quod refert laudatus Zacharias l. c. in quibuſdam locis non fuiſſe promulgatas, & receptas Benedicti XIV. conſtitutiones de jejunio, & Clementis XIII. præfatam Epiſtolam. Et ſane conſuetudinem legitime alicubi invectam, ut eſſet ob penuriam aliorum ciborum, maxime ſi acceſſerit aliquod locale indultum; non videntur præfatæ conſtitutiones impetere, quæ potius privatorum abuſus & corruptelas reprehendunt; ut videbis ulterius legendo.

Notandum 2. allegatis Benedicti XIV. 145
ad Archiepiſcopum Compoſtellanum inter alia quidem eſſe reſponſum ad quæſtionem ſecundo loco propoſitam, *An ii, quibus conceſſum eſt veſci carnibus, poſſint in veſpertina refectiuncula ea quantitate carnis veſci, quæ jejunantibus permittitur?* Reſpondit Pontifex: *Non licere, ſed opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticuloſæ conſcientiæ.* Deinde Clemens XIII. in allegata ſua ipſius Encyclica monet Epiſcopos, ut *ſi quidpiam de veteri corruptela* (poſt Laudati Prædeceſſoris ejus Benedicti XIV. litteras de jejunio) *fortaſſe reliquum fuerit, ſive nova infringendis jejunii Legibus vel opinionum commenta, vel a vera jejunii vi, & natura abhorrentes conſuetudines humani pravitate ingenii noviſſime ſint invectæ, ea omnia, quantum juvante Domino fieri poteſt, radicitus convellenda (curent).* In quibus profecto abuſum illum cenſet omnino numerandum, *quod Nonnulli, quibus ob juſtas, & legitimas cauſas ab abſtinentia carnium diſpenſatum fuerit, licere ſibi putant, potiones lacte permixtas ſumere, contra quam prædicto Prædeceſſori noſtro viſum fuerit; qui cenſuit tam diſpenſatos a carnium abſtinentia, quam quovis modo jejunantes, unica excepta comeſtione, in omnibus æquiparandos iis eſſe, quibuſcum nulla eſt diſpenſatio, ac propterea tantummodo ad unicam comeſtionem poſſe carnem vel quæ ex carne trahunt originem adhibere.*

Notandum 3. Conſtitutiones Bene- 146
dicti XIV. de jejunio, atque adeo Encyclicam Clementis XIII. declarativam, & approbativam earum nullum præjudicium inferre privilegiatis ex Bulla Cruciatæ. Conſtat ex reſ-

per-

ponſione Benedicti XIV. ad ſupra laudatum Archiepiſcopum Compoſtellanum ; Cum enim ſexto loco quæſierit : *Utrum hæc lex ad eos quoque pertineat , qui ex Bulla Cruciatæ edere poſſunt Ova , & Lacticinia ?* Pontifex reſpondit : *Nihil in prænunciatis noſtris Apoſtolicis litteris ſtatutum eſſe , quod reſpiciat gratioſum Cruciatæ Diploma . Quare qui eo gaudent , illius tenorem ſtricte , & conſiderate perpendant , ex ejuſque Sententia ſe gerant . Caveant autem , ne inani quapiam excuſatione ſeſe ſolutos eſſe arbitrentur præſcriptis ibi legibus :* Et hæc ſatis pro quæſtione propoſita .

ARTICULUS X.

De Hora comedendi , ſeu ſolvendi jejunium in Quadrageſima .

147 IN die jejunii ad ſumendam plenam refectionem deſignatur hora certa diei ſive ex jure , ſive ex conſuetudine particulari ; ſive ſub mortali , ſive tantum ſub veniali , juxta varias Doctorum ſententias . Licet autem olim hora comedendi , ſeu ſolvendi jejunium in Quadrageſima fuerit diverſa a cæteris jejuniis extra Quadrageſimam ; nunc tamen temporis una , & eadem eſt . Itaque in Quadrageſima comedere , ſive ſolvere licet jejunium eadem hora , qua licet in cæteris jejuniis . De hac re vide Caſſalium c. 62. a §. *Priſcis Sæculis* . Cabaſſut. diſſert. 20. n. 4. & 6. Azor. Inſtit. Moral. par. 1. l. 7. c. 11. qu. 1. & duab. ſeq. Salmantic. to. 5. tr. 23. c. 2. pu. 1. n. 10. & pu. 4. n. 84. & 90. in fine . Tamburinum de præc. Eccl. tr. 4. c. 7. n. 1. & 9. & ea quæ nos diſſeremus hic c. 3 qu. 3. & dicta tr. 1. l. 1. c. 1. art. 9. S. ct. 8. n. 41.

ARTICULUS XI.

Conſtitutiones Pontificiæ .

Ad obſervantiam Quadrageſimalem Pertinentes .

P R O V I D E T U R

Abuſibus adverſus Jejunii Quadrageſimalis obſervantiam invectis .

Venerabilibus Fratribus , Patriarchis , Primatibus , Metropolitanis , Archiepiſcopis , & Epiſcopis univerſis , gratiam , & communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus .

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres , ſalutem , & Apoſtolicam Benedictionem .

,, NON ambigimus , Venerabiles
,, Fratres , quin univerſis Catho-
,, licæ Religionis Cultoribus notum
,, ſit , a tota per Chriſtianum Or-
,, bem Eccleſia inter præcipua Or-
,, thodoxæ diſciplinæ capita perpe-
,, tuo adnumeratum retineri Quadra-
,, geſimale Jejunium ; quod olim in
,, Lege , & Prophetis primitus ad-
,, umbratum , ipſius Domini Noſtri
,, Jeſu Chriſti exemplo veluti conſe-
,, cratum , ab Apoſtolis traditum , a
,, Sacris Canonibus ubique præſcri-
,, ptum , & ab univerſali Eccleſia ab
,, ipſo ſui primordio retentum , &
,, obſervatum eſt . Hoc nimirum , ut
,, veteres tradidere Patres , nobis
,, quotidie peccantibus communis pœ-
,, nitentiæ conſtituto remedio , per
,, conſortium Crucis Chriſti , nos
,, etiam aliquid in eo , quod ipſe
,, propter nos præſtitit , agimus ; ſi-
mul-

„ muſque ad recolenda ſacratiora „ Redemptionis noſtræ myſteria , „ quæ per Dominicæ Paſſionis , ac „ Reſurrectionis memoriam , Qua- „ drageſimali potiſſimum tempore „ ſolemnius celebrantur , purificatis „ Jejunio corporibus, & animis, di- „ gnius paramur. Hoc , veluti no- „ ſtræ militiæ teſſera , ab inimicis „ Crucis Chriſti ſecernimur, flagella „ Divinæ ultionis avertimus, & cœ- „ leſti præſidio in die adverſus prin- „ cipes tenebrarum munimur : Hoc „ deſpectui habito, non contemnen- „ dum divinæ gloriæ detrimentum , „ non leve Catholicæ Religioni de- „ cus, nec dubium animabus Chri- „ ſtifidelium periculum oboritur : nec „ aliunde populis calamitates , re- „ buſque publicis , & privatis cla- „ dem exitiumque importatum eſſe „ conſtat.

„ §. 1. Ab hoc vero inſita inhæ- „ rentique in omnium Catholicorum „ hominum animis de ſacratiſſima „ Quadrageſima , aliiſque diebus je- „ junio conſecratis perſuaſione , & „ reverentia , quam aliena , quam „ diſcors, quam abſona ſit hodierna „ Jejunantium conſuetudo , quantam „ ab ipſa Jejuniorum inſtitutione , „ & ſervata ſemper ubique , & ab „ omnibus diſciplina quam longiſſi- „ me diſtet; Vos, Venerabiles Fra- „ tres , qui populorum curæ veſtræ „ commiſſorum mores, & uſus probe „ noſtis, pro ſingulari ſapientia ve- „ ſtra , præ cæteris clarius intelligi- „ tis. Nos ſane, quibus in hac ſub- „ limi Apoſtolicæ procurationis ſpe- „ cula conſtitutis undique gentium „ nuntii afferuntur , lacrymis ſatis „ deplorare non poſſumus , auguſtiſſi- „ mam Quadrageſimalis Jejunii ob- „ ſervantiam ob nimiam , nullis le- „ gitimis urgentibus cauſis , ubique „ indiſcriminatim diſpenſandi facili- „ tatem , plane ſublatam eſſe ; ita „ ut Orthodoxæ quidem Religionis „ Cultores merito querantur ; hære- „ ſum vero Sectatores illudant , & „ exultent . Pernicioſæ huic corru- „ ptelæ plurimorum inſuper licenti- „ am adjunctam eſſe graviter dole- „ mus ; quæ uſque adeo invaluit , „ ut nulla Apoſtolici Inſtituti , ſa- „ cratiſſimique præcepti habita ratio- „ ne, Jejuniorum tempore , palam , „ & impune ab iiſdem agitentur „ convivia , & epulæ interdictæ „ promiſcue inferantur.

„ §. 2. Eapropter , quemadmodum „ quibus curis, ſolicitudibus, & an- „ goribus urgeamur , cum Fraterni- „ tatibus Veſtris communicamus; ita „ facere non poſſumus , quin pro „ injuncto Nobis ſupremo ſacroſan- „ cti Apoſtolatus officio , & arden- „ tiſſimum Fraternitatum Veſtrarum „ zelum ad opportunum hiſce malis „ adhibendum remedium excitemus, „ & ad congruentes hujuſmodi abuſi- „ bus penitus extirpandis leges præ- „ ſcribendas meditemur . Interea , „ Venerabiles Fratres, gaudium, & „ corona noſtra , nobiſcum conſide- „ rantes, nihil Deo acceptius, nihil „ Paſtorali miniſterio noſtro dignius, „ nihil gregibus curæ noſtræ com- „ miſſis utilius, quam ut verbo , & „ exemplo præeuntes, Chriſtifideles „ ad tam ſalutarem Chriſtianæ pœ- „ nitentiæ , & pietatis exercitatio- „ nem alacrius ſuſcipiendam , con- „ ſtantiſſime retinendam, & ea, qua „ inſtituta fuit, diſciplina peragen- „ dam vehementius inflammemus ; „ omni opera atque induſtria ſtudea- „ mus, ut fideles populi in conſpe- „ ctu Dei, per auſteriorem Jejunio-

„ rum obſervantiam, tales perma„ neant, quales in ipſo Paſchali „ feſto dignum eſt inveniri.

„ §. 3. Debitum igitur paternæ „ unicujuſque veſtrum ſedulitatis, & „ caritatis officium jure poſtulat, ut „ omnibus notum faciatis, & an„ nuntietis, nemini quidem ſine le„ gitima cauſa, & de utriuſque Me„ dici conſilio; multitudini vero, „ veluti populo, aut civitati, aut „ civitati, aut genti indiſcriminatim „ integræ, nonniſi graviſſima, & „ urgente neceſſitate, & in caſibus „ per ſacra Canonum ſtatuta præ„ ſcriptis, cum debita Apoſtolicæ „ hujus Sanctæ Sedis reverentia, a „ Quadrageſimali Jejunio diſpenſa„ tionem, toties quoties opus fuerit, „ concedendam, nec audacter fiden„ terqueuſurpandam, nec ſuperbe, „ & arroganter ab Eccleſia, ſicut „ alicubi in more poſitum eſſe acce„ pimus, eſſe poſtulandam.

„ §. 4. Graviſſimam vero urgen„ temque neceſſitatem etſi non eſt „ cur Vobis explicemus: Nolumus „ tamen Vos ignorare, cum hujuſ„ modi neceſſitate, & ſervandam „ eſſe potiſſimum Unicam Comeſtio„ nem, ſicut alias hic Romæ, ac „ Nos ipſi hoc anno urgentibus cau„ ſis diſpenſantes, expreſſe præſcri„ pſimus: & licitas atque interdictas „ Epulas promiſcue minime appo„ nendas eſſe.

„ §. 5. Porro quemadmodum de „ ejuſmodi indulgentia tam caute „ impertienda, ſi ſecus fieret, Nos „ perſuaſum habemus, diſtrictam ſu„ premo Divino Judici redditum iri „ rationem, ita conſcientiam uni„ uſcujuſque Veſtrum onerandam eſſe „ ducimus. Inſimul Fraternitates Ve„ ſtras rogamus, & in Domino ex„ hortantes, obſecramus, ut popu„ los, qui communem omnium Chri„ ſtifidelium pœnitentiam, ac diſci„ plinam ſervare nequeant, commo„ nere ſatagatis, ne per alia pieta„ tis opera, ut ſua cuique devotio „ ſuggeret, peccata ſua expiare, & „ Deo ſatisfacere negligant; quinim„ mo ſanandis vulneribus, quibus hu„ mana infirmitas ſauciatur, diligen„ tem adhibere ſtudeant curationem, „ ut culpas, de mundano pulvere „ contractas, dum caſta jejunia de„ coquere non poſſunt, pia opera, „ orationum ſuffragia, & eleemo„ ſynæ munera redimant. Interim „ ſolatium, & levamen non leve „ mœrori noſtro a Paſtorarali vigi„ lantia, & caritate veſtra præſto„ lantes, ac certo Nobis pollicentes; „ Apoſtolicam benedictionem, cum „ uberi cœleſtium chariſmatum co„ pia conjunctam, in eoſdem popu„ los veſtros redundaturam, vobis, „ Venerabiles Fratres, peramanter „ impertimur.

„ §. 6. Volumus autem, ut præ„ ſentium tranſumptis, ſive exem„ plis etiam impreſſis, manu alicu„ jus Notarii publici ſubſcriptis, & „ Sigillo perſonæ in dignitate Ec„ cleſiaſtica conſtitutæ munitis, ea„ dem prorſus ubique fides adhibea„ tur, quæ præſentibus adhiberetur, „ & adhiberi poſſet, ſi forent ex„ hibitæ, vel oſtenſæ. Datum Ro„ mæ apud S. Mariam Majorem ſub „ Annulo Piſcatoris die trigeſima „ menſis Maji anno milleſimo ſepti„ genteſimo quadrageſimo primo, „ Pontificatus Noſtri Anno I.

D. Cardinalis Paſſioneus.

DE-

DECLARATUR

Unicam comeſtionem diebus Jejunii ab omnibus ſervandam eſſe, etiam ab iis, quibus ob peculiares cauſas permittitur eſus carnium, ovorum &c.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis univerſis, gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

„ IN ſuprema Univerſalis Eccleſiæ „ procuratione, meritis licet im„ paribus, per ineffabilem Divinæ „ bonitatis abundantiam, ut Ortho„ doxæ Fidei aſſertores, ſic etiam „ Eccleſiaſticæ diſciplinæ cuſtodes, „ ac vindices conſtituti, Quadrageſi„ male præſertim Jejunium, quod „ inter præcipua orthodoxæ diſcipli„ næ capita ſemper, & ubique ad „ ipſo Eccleſiæ exordio numeratum „ eſſe nemo ex Catholicis inficia„ tur, ab hodierna Jejunantium cor„ ruptela vindicare, & in priſtinam, „ quantum, benedicente Domino, „ fieri poſſet, obſervantiam revocare „ cupientes, per alias noſtras in ſi„ mili forma Brevis Litteras ad Fra„ ternitates Veſtras die xxx. proxime „ elapſi menſis Maji currentis anni „ datas, eximium Fraternitatum ve„ ſtrarum zelum excitandum curavi„ mus, ut adlaborare ſtuderetis, ne „ hac in parte, & optatum Apoſto„ licæ noſtræ ſolicitudinis angoribus „ levamen, & ſalutare abolendæ „ ſacratiſſimi Jejunii corruptelæ re„ medium deeſſet. Quoniam autem „ paternæ Pontificiæ caritatis, quæ „ novit imbecillitates infirmorum ſu„ ſtinere, atque etiam cum infir„ mantibus infirmari, non immemo„ res, quemadmodum a Jejunio ali„ quando, legitima cauſa, aut gra„ viſſima urgentique neceſſitate exi„ gente, diſpenſandum eſſe ex Apo„ ſtolica benignitate cenſuimus, ita „ inter cætera præſcripſimus Unicam „ Comeſtionem ſervandam, & lici„ tas, atque interdictas Epulas mi„ nime eſſe apponendas.

„ §. 1. Hinc factum eſſe accepimus, „ quod non defuerunt, qui per hu„ manas, & hominibus a Chriſtiana „ pœnitentia abhorrentibus dumtaxat „ dignas illationes, ſibi aliiſque per„ ſuadeant, unicam potiſſimum Co„ meſtionem ſervari, atque Epulas „ licitas, & interdictas minime ap„ poni debere, cum multitudini qui„ dem indiſcriminatim ob urgentem „ graviſſimamque neceſſitatem, non „ vero ſingulis ob legitimam cau„ ſam, & de utriuſque Medici con„ ſilio diſpenſatur.

„ §. 2. Quam ſane perſuaſionem „ a ſententia noſtra alienam ut ex „ omnium animis penitus evellamus, „ Nos quibuſcumque, quacumque „ occaſione, ſive multitudini indi„ ſcriminatim ob urgentem graviſſi„ mamque neceſſitatem, ſive ſingu„ lis ob legitimam cauſam, & de „ utriuſque Medici conſilio, dum„ modo nulla certa, & periculoſa „ affectæ valetudinis ratio interce„ dat, & aliter fieri neceſſario exi„ gat, in Quadrageſimæ, aliiſque „ anni Temporibus, & diebus, qui„ bus carnium, ovorum, & lactici-

„ niorum eſus eſt prohibitus, diſpen-
„ ſari contigerit, ab omnibus omni-
„ no, nemine excepto, Unicam Co-
„ meſtionem ſervandam, & licitas,
„ atque interdictas minime eſſe ap-
„ ponendas, tenore præſentium de-
„ claramus, & edicimus; quemad-
„ modum per ſingulas noſtras in pari
„ forma Brevis Litteras ſingulis utriuſ-
„ que ſexus Chriſtifidelibus, ob cor-
„ poris infirmitates, quibus obnoxii
„ reperiuntur, in ſacratiſſima Qua-
„ drageſima, aliiſque Jejunio conſe-
„ cratis diebus, veſcendi prohibitis
„ licentiam dantes, unicuique expreſ-
„ ſe præſcribimus, atque præcipimus.

„ §. 3. Eapropter Fraternitates
„ Veſtras rogamus, atque in Domi-
„ no obſecramus, ut populos veſtræ
„ curæ commiſſos ad tam opportu-
„ num ſanandis vulneribus, quibus
„ per humanam infirmitatem quiſ-
„ que fauciatur, ſanctiſſimi Jejunii
„ remedium alacriter adhibendum co-
„ hortantes, ſedulo, ac paterne mo-
„ neatis, rem agi non quidem exi-
„ guam, ſed longe graviſſimam, de
„ obſervando, ſuſtinendoque Jejunio
„ purificandis animis corporibuſque
„ ſalutari. In ſpem igitur illos eri-
„ gite cœleſtium præmiorum, quibus
„ aſſequendis non ſunt condignæ paſ-
„ ſiones hujus temporis; imo leve,
„ ac momentaneum non tribulatio-
„ nis, ſed modicæ abſtinentiæ no-
„ ſtræ incommodum, magnum glo-
„ riæ pondus operatur in Cœlis. Ab
„ omnibus ſe abſtinent, qui in ago-
„ ne contendunt, ut corruptibilem
„ coronam accipiant; pudeat tam
„ imbelles, ac delicatos Chriſtianæ
„ militiæ milites, refugientes a con-
„ ſortio Crucis Chriſti, qui coro-
„ nam legitime certantibus propoſi-
„ tam ſperare præcipit incorruptam;
„ ad cujus auſpicium, & pignus,
„ Fraternitatibus Veſtris Apoſtolicam
„ Benedictionem, iiſdem etiam Po-
„ pulis veſtris Noſtro nomine imper-
„ tiendam, peramanter elargimur.

„ §. 4. Volumus autem, ut præ-
„ ſentium tranſumptis, ſive exem-
„ plis, etiam impreſſis, manu alicu-
„ jus Notarii publici ſubſcriptis, &
„ ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica di-
„ gnitate conſtitutæ munitis, eadem
„ prorſus ubique fides adhibeatur,
„ quæ præſentibus adhibetur, & ad-
„ hiberi poſſet, ſi forent exhibitæ,
„ vel oſtenſæ.

„ §. 5. Datum Romæ apud S.
„ Mariam Majorem, ſub Annulo Pi-
„ ſcatoris, die vigeſima ſecunda men-
„ ſis Auguſti anno milleſimo ſeptin-
„ genteſimo quadrageſimo primo,
„ Pontificatus Noſtri Anno II.

D. Cardinalis Paſſioneus.

DE JEJUNII DISCIPLINA

Conſervanda, vel reintegranda. De diſpenſationibus generalibus pro Oppidis, aut Diœceſibus integris, nonniſi certa ratione, & juſta de cauſa, petendis, & concedendis.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis univerſis, gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

„ LIBENTISSIME quidem amplecti-
„ mur, quæ Nobis offeruntur,
„ ut Eccleſiaſticæ diſciplinæ reparan-
„ dæ

,, dæ ſedulam curam congeratis : ,, Etenim Summi Pontificatus digni- ,, tati, ad quam Nos, licet imme- ,, rentes, evecti fuimus, conjunctam ,, eſſe intelligimus ſolicitudinem alia- ,, rum Eccleſiarum, Nobiſque com- ,, mendatam, qui plane tenuitatem ,, virium noſtrarum non ignoramus.

,, §. 1. Cum itaque præſentium Li- ,, terarum argumentum totum ſit de ,, Jejunio, quod tempore Quadrage- ,, ſimæ, veteri Eccleſiæ inſtituto ac ,, lege, Fidelibus indicitur; ſuperva- ,, caneum ducimus longam oratio- ,, nem conficere de Quadrageſimæ ,, Inſtitutione, & Patrum, & Con- ,, ciliorum omnes hac de re in ,, medium proferre auctoritates. ,, Difficile id quidem Nobis parum ,, videretur: ſed potius alienum, & ,, nullo modo conſentaneum Vobis, ,, quos doctrinæ laude, Canonum, ,, & Sacræ Hiſtoriæ cognitione præ- ,, ſtantes arbitramur. Porro ad ſcri- ,, bendas has Litteras adducti fuimus ,, graviſſimis illis verbis Tridentinæ ,, Synodi, quæ *ſeſſ.* 25. *de Reformat.* ,, præcipit Epiſcopis, omne ſtudium ,, impendere, ut Fideles ipſorum cu- ,, ræ traditi magna religione perfi- ,, ciant ea, quæ a Sacris Canonibus ,, præſcribuntur : *Ut illis omnibus*, ,, *& iis præcipue ſint obſequentes, quæ* ,, *ad mortificandam carnem conducunt*, ,, *ut ciborum delectus, & jejunia*.

,, §. 2. Ubi primum Bononien- ,, ſem Eccleſiam adminiſtrandam ,, ſuſcepimus (ad quam benefi- ,, cio Clementis XII. fel. rec. a ,, Sede Anconitana translati fui- ,, mus) Mandatum evulgavimus (,, quod Libro primo Inſtitutionum ,, Noſtrarum pro viris Eccleſiaſticis ,, decimoquinto loco continetur) : ,, In illo plures difficultates indica- ,, vimus, ob quas minime ſolvendos ,, Jejunii legibus putabamus illos, ,, qui ob legitimam cauſam, & le- ,, gitima prius auctoritate interpoſi- ,, ta, quadrageſimæ abſtinentiam non ,, obſervarent, minime, inquam, ,, ſolvendos a jejunio, itaut lice- ,, ret ipſis quolibet die menſam ,, bis inſtituere, non unica vice, ,, veſpertina ſuperaddita. Refectio- ,, ne, quæ permitti jejunantibus ,, conſuevit.

,, §. 3. Tandem in hac Pontificia ,, Sede collocati, rem totam in exa- ,, men iterum revocavimus, & præ- ,, ſtantiſſimis quoque Viris demanda- ,, vimus, ipſam diligenter accurate- ,, que perpendere, ac ſuas deinde ,, opiniones Nobis exponere. His ,, peractis, hujuſmodi controverſiæ ,, finem tribuere conſtituimus, il- ,, ludque decrevimus, ne ulla in po- ,, ſterum, ſive peculiaris, ſive gene- ,, ralis pro aliqua Civitate, vel Op- ,, pido concedatur facultas adhiben- ,, di carnes ad menſam tempore Je- ,, junii, vel Quadrageſimæ, niſi con- ,, ditio ſervandi Jejunium, ſive unius ,, comeſtionis, interponatur ; & il- ,, lum quoque monitum addatur, ,, nequaquam licere menſam eam- ,, dem carne, ac piſcibus inſtruere. ,, Equidem declinatis hac ratione ni- ,, mium implicatis quæſtionibus, exi- ,, ſtimavimus unicam ſingulis diebus ,, comeſtionem inducere illis etiam, ,, qui carnibus uti, cum Jejunium ,, indicitur, rite obtinuerunt; & pra- ,, vam illam conſuetudinem, quæ apud ,, multos jam nimis invaluerat, peni- ,, tus evellere, afferendi nempe car- ,, nes in menſam cum piſcibus, poſt- ,, quam ipſi Quadrageſimalis abſti- ,, nentiæ præcepto ſoluti fuerunt, ,, ob eam potiſſimum cauſam, quod

„ grave detrimentum ſaluti ab eſu „ piſcium accipiant.

„ §. 4. Hæc apertiſſime conſtant „ ex noſtris Apoſtolicis Literis, quas „ in forma Brevis dedimus ad omnes „ Epiſcopos Orbis Catholici anno „ 1741., quarum primæ incipiunt: „ *Non ambigimus*, alteræ vero: *In* „ *ſuprema*. Nos profecto nulli un- „ quam elargiti ſumus veſci carni- „ bus, cum tempus Quadrageſimæ, „ ſive aliud Jejunium præcipitur, „ niſi indicta, ſcriptaque conditione, „ quam ſuperius commemoravimus. „ Maximam pariter lætitiam perce- „ pimus, cum redditæ Nobis fuerunt „ plures Epiſtolæ, ac Mandata ve- „ ſtra, Literis noſtris Apoſtolicis om- „ nino conſentanea, quibus pro vi- „ rili parte contendiſtis adducere Po- „ pulos vobis ſubjectos, ut propoſi- „ tam in illis diſciplinam ſervarent.

„ §. 5. Interim promulgatis iiſdem „ Apoſtolicis Literis, quas paulo ante „ nominavimus, plures cavillationes „ excogitatæ ſunt a nonnullis, uti „ Nos antea facili conjectura ſuſpi- „ cati fuimus. Plures etiam quæ- „ ſtiones propoſitæ Nobis fuerunt, „ exiguæ quidem ponderis ac momen- „ ti, quemadmodum Nos opinamur; „ cum illæ, vel ipſius Legis verbis, „ vel ſenſu penitus corruant ac diſ- „ ſolvantur. Attamen Sacro Tribu- „ nali noſtræ Pœnitentiariæ, rerum „ hujuſmodi conſcio ac peritiſſimo, „ eaſdem quæſtiones expendendas „ commiſimus, quibus omnibus ple- „ ne cumulateque, quoties opus fuit, „ ſatisfecit.

„ §. 6. Archiepiſcopus Compoſtel- „ læ, in Hiſpaniarum Regnis Pri- „ mus Inquiſitor, nuperrime vita fun- „ ctus, longam ad Nos dedit Epiſto- „ lam, qua plures recenſebat dif- „ ficultates, quæ Literis noſtris Apo- „ ſtolicis adverſabantur, quominus „ executioni mandarentur; eo quod „ nonnulli Theologi in diverſas opi- „ niones ac ſententias abirent in ſol- „ vendis quibuſdam quæſtionibus, „ quibus Literæ noſtræ Apoſtolicæ „ cauſam & occaſionem præbebant; „ ac proinde de illis Judicium No- „ ſtrum exquirebat. Equidem Ar- „ chiepiſcopi Literæ Nos graviſſimis „ ac difficillimis temporibus occupa- „ tos deprehenderunt. Attamen, „ dum quæſtiones in ipſis expoſitas „ percurrimus, viſum Nobis eſt non „ quidem expeti, ut iis quæſtionibus „ reſponſum fieret, ipſiſque ſolutis, „ nullum impedimentum, ſive ob- „ ſtaculum noſtris Literis Apoſtoli- „ cis ſupereſſet; ſed potius ut obje- „ ctis cavillationibus ad optatum fi- „ nem ipſæ minime adducerentur. „ Accedit etiam, quod Epiſtola Ar- „ chiepiſcopi multis argumentationi- „ bus, & obtentis vocibus redunda- „ bat, quamobrem, licet plures hor- „ tarentur, ne ullum Archiepiſcopo „ reſponſum redderemus; illi tamen „ ſatisfecimus, res præcipuas ex ejus „ literis delibantes, & quæſtiones „ omnes ad certum numerum redi- „ gentes. Primum Noſtris occupatio- „ nibus tribuendum teſtati ſumus, „ quod tarde ipſi reſponſum dare- „ mus, ejus ſtudium commendavi- „ mus, & etiam magnopere proba- „ vimus, quod anceps ac dubius ad „ Sanctam Sedem confugerit, ut con- „ ſilium expoſceret: Deinde prolatis „ quæſtionibus ſatisfacere non præ- „ termiſimus, illum tamen monen- „ tes de inſtituto Summorum Ponti- „ ficum, qui leges condere ſolent, „ diſciplinam decernere; neque ul- „ lam habere rationem illorum, qui du-

„ dubitandi cauſas objiciunt, ut quæ „ conſtituta ſunt, perturbent ac „ evertant.

„ §. 7. Vix redditis Literis, Ar„ chiepiſcopus paulo poſt vitæ cur„ ſum abſolvit: Itaque non immeri„ to ſuſpicamur, reſponſa Noſtra, „ quæ literis continebantur, haud „ cognita fuiſſe & perſpecta illis, „ qui quæſtiones excitaverant. Poſt „ hæc alii pariter ex Hiſpanis Epi„ ſcopis nonnullas ex iiſdem quæſtio„ nibus Nobis propoſuerunt; quare „ iiſdem reſponſis uſi ſumus, quæ „ tradita prius Archiepiſcopo Com„ poſtellæ a Nobis fuerant. Non de„ fuerunt etiam præſtantes inter Ita„ los Teologi, qui Literas noſtras „ Apoſtolicas datas anno 1741. egre„ giis commentariis illuſtrarunt; Idem „ contigit Reſponſo, quod fecimus „ Archiepiſcopo Compoſtellæ *die* 8. „ *Julii anno* 1744., quod ſane inte„ grum ſuis Libris præfigendum cu„ raverunt.

„ §. 8. At quoniam Libri ejuſ„ modi ad Vos fortaſſe nondum per„ venerunt, vel curis aliis diſtenti „ illos percurrere minime potuiſtis, „ his Literis Encyclicis adjungimus „ illas pariter, quas (uti dictum ſæ„ pius eſt) ad Archiepiſcopum Com„ poſtellæ jam pridem ſcripſimus, ut „ quæ diſciplina Veſtris in Diœceſi„ bus tenenda ſit, plane cognoſca„ tis, ac ne Vos deterreant difficul„ tates, ſi quæ a captioſis homini„ bus concitentur.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Compoſtellæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

„ Si Fraternitas Tua ſecum repu„ tabit quot graviſſimis & ma„ ximis curis propemodum obrua„ mur, quantumque hoc præſertim „ difficillimo têmpore, prorſus Nos „ teneat impoſita tenuitati noſtræ „ ſolicitudo omnium Eccleſiarum, „ non ſane mirabitur tamdiu ſibi „ procraſtinatum fuiſſe reſponſum ad „ eas Literas, quibus Apoſtolica au„ ctoritate diſſolvendas rogaſti obor„ tas in Hiſpania diſputationes ali„ quas, e duabus noſtris Epiſtolis „ ad omnes Epiſcopos ſuperioris An„ ni MDCCXLI. xxx. Maji, & „ xxii. Auguſti, quibus intra legi„ timos fines coercuimus invaleſcen„ tem Eccleſiaſtici jejunij relaxatio„ nem. Potius tibi in mentem ve„ niet cogitare de ſingulari noſtro „ in religioſiſſimam Hiſpanam Ec„ cleſiam amore, unde Nos immen„ ſa licet rerum mole fatigatos ad „ expediendum ſibi in omni ſua per„ plexitate ſalutis iter opem noſtram „ præſto habet.

„ §. 1. Quamquam igitur, dum præ„ nuntiatas Conſtitutiones edimus, „ non aliud propoſitum Nobis fue„ rit, ac refrænare paucorum nimis „ ingenio fidentium Theologorum li„ centiam, qui opinionum novitate „ gaudent; nec otium, nec animus „ Nobis fuerit definire quicquid ſub„ tili indagatione deduci poſſit ex „ propoſita a Nobis jejunandi regu„ la; tamen eximia paterna carita-

te

„ te complectimur adeo obſervantiſ-
„ ſimos Romanæ Sedis Hiſpanos ,
„ tantique facimus obſecrationes tuas,
„ ut occurrere anxietati veſtræ liben-
„ tër adjecerimus animum, Nos ipſi
„ quæſtiones abs te propoſitas diri-
„ mendas conſtituerimus , Sic aute-
„ ſe habent:

„ I. *Utrum , quæ in antedictis no-*
„ *ſtris literis in forma Brevis de u-*
„ *nica comeſtione , & de epulis non*
„ *permiſcendis , præſcribuntur , ſub gra-*
„ *vi etiam præcepto prohibeantur?*

„ Reſpondemus : Concedentes fa-
„ cultatem veſcendi carnibus tempo-
„ re vetito, ſub gravi teneri eaſdem
„ facultates non aliter dare , quam
„ geminis hiſce adjectis conditioni-
„ bus , videlicet unicæ in die co-
„ meſtionis, & non permiſcendarum
„ epularum . Eos vero , qui hujuſ-
„ modi facultatibus utuntur , ſub
„ gravi ad binas ipſas conditiones
„ implendas obligari.

„ II. *An ii , quibus conceſſum eſt*
„ *veſci carnibus , poſſint in veſperti-*
„ *na refectiuncula , ea quantitate car-*
„ *nis veſci , quæ jejunantibus permit-*
„ *titur?*

„ Reſpondemus ; non licere ; ſed
„ opus habere eo cibo , eaque uti
„ portione, quibus utuntur homines
„ jejunantes rectæ meticuloſæ con-
„ ſcientiæ.

„ II. *An qui jejunii tempore veſci*
„ *carnibus permittuntur , & unica co-*
„ *meſſatione uti debent , horam jeju-*
„ *nantibus præſcriptam ſervare opus*
„ *tunc habeant?*

„ Edicimus , obſervandam iis
eſſe.

„ IV. *Quænam ſint epulæ licitæ ,*
„ *quæ vetantur cum interdictis con-*
„ *jungi?*

„ Reſpondemus: Epulas licitas pro
„ iis , quibus permiſſum eſt carnes
„ comedere , eſſe carnes ipſas . E-
„ pulas interdictas eſſe piſces, adeo-
„ que utrumque ſimul adhiberi non
„ poſſe. Piſcibus tamen edendis non
„ interdicuntur ii , quibus datur tan-
„ tum facultas adhibendi ova & la-
„ cticinia.

„ V. *An præceptum de utroque epu-*
„ *larum genere non miſcendo dies quo-*
„ *que Dominicos Quadrageſimales com-*
„ *plectatur?*

„ Affirmatur complecti.

„ VI. *Utrum hæc lex ad eos quo-*
„ *que pertineat , qui ex Bulla Cru-*
„ *ciatæ edere poſſunt ova , & lacti-*
cinia?

„ Reſcribimus : Nihil in prænun-
„ ciatis noſtris Apoſtolicis literis ſta-
„ tutum eſſe , quod reſpiciat gra-
„ tioſum Cruciatæ Diploma . Qua-
„ re , qui eo gaudent , illius teno-
„ rem ſtricte, & conſiderate perpen-
„ dant , ex ejuſque ſententia ſe ge-
„ rant . Caveant autem , ne inani
„ quapiam excuſatione ſeſe ſolutos
„ eſſe arbitrentur præſcriptis ibi le-
„ gibus.

„ VII. *Utrum memorata duo præ-*
„ *cepta urgeant extra Quadrageſimam?*

„ Reſpondetur, urgere extra Qua-
„ drageſimam utrumque præceptum ;
„ illud ſcilicet unicæ comeſtionis ;
„ cum reliquis legibus in ſecundo , &
„ tertio ad hæc poſtulata reſponſo
„ expreſſis ; & alterum non permi-
„ ſcendi epulas licitas cum interdi-
„ ctis , ut in quarto poſtulato defi-
„ nitum eſt.

„ §. 2. Habes , Venerabilis Fra-
„ ter penitus explicatum quicquid a-
„ pud vos ex noſtris ſæpius nuncu-
„ patis Apoſtolicis literis dubitatio-
„ nem attuliſſe ſcribis. Qua quidem
„ in re laudavimus conſilium tuum
„ in-

„ interrogandæ ſupremæ Romanæ „ Sedis, ut libero, & non vacillanti „ greſſu ad oves ſana doctrina imbuendas incedere Paſtores queant, „ in iſtoque tuo ſuſcepto conſilio agnovimus Hiſpanam religionem, „ nihil ſibi tum, niſi e Divi Petri „ Cathedra acceptum, reputantem: „ qua ſplendidiſſima gloria tantum „ nomen, & incorruptæ Fidei fructum Hiſpania ſibi peperit.

„ §. 3. Cavendum autem vobis „ eſt (idque plurimum ad te pertinet, qui illuſtris Archiepiſcopi, „ & Inquiſitoris geris præcipuum „ munus) ne in expendendis Apolicæ Sedis Conſtitutionibus, pro „ nimia exhauriendi argumenti ſolicitudine, nullus fiat differendi ambigendique modus. Sedula deinde „ opera conferenda, ut iſtiuſmodi „ dubia, quæ facile, pro ingeniorum varietatate, diſputando emergunt, penitus inter vos dirimantur, ne diuturna unquam diſceptatione fluctuent animi; præſertim cum Conſtitutiones ipſæ Apoſtolicæ ſcopum, quo tendunt, „ aperte demonſtrent, & illuc prompte dirigi poteſt quicquid dubitando interturbare videatur. Id ſi „ animadvertiſſent, qui de præſenti „ negotio plura dubitarunt, nodum „ ſibi exſolviſſent. Patebat enim nihil aliud Nobis in animo fuiſſe, „ quam cohibere vivida nonullorum „ Theologorum ingenia, qui nimium ſacri jejunii fines prætergreſſi, „ & non parum obliti, illud ad retinendum in officio corpus divinitus inſtitutum, hoſti huic ſpiritus infenſiſſimo blandiebantur. „ Statim ſiquidem comperiſſent, „ quid in propoſitis quæſtionibus conſtituendum eſſet; nec tibi moleſtiam exhibuiſſent, nec Nobis, „ quos graviſſimæ undique circumſtant curæ, non parum temporis „ occupaſſent: quod tamen pro ſingulari noſtro in veſtram gentem „ ſtudio, atque amore, libenter impendimus ad rectum vobis iter monſtrandum: in poſterum ſimul præcaventes, quomodo in hujuſmodi „ quæſtionibus firmare greſſus veſtros „ in promptu ſit.

„ §. 4. Reliquum eſt, Venerabilis Frater, ut tibi, quod facimus „ ex animo, præcipuæ benevolentiæ „ noſtræ pignus, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertiamur.

„ Datum Romæ apud Sanctam „ Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII. Julii MDCCXLIV. Pontificatus Noſtri Anno „ IV.

J. Vincentius Lucchesinius.

„ §. 9. Cum hæc ita ſe habeant, „ ſatis muneri noſtro feciſſe videmur, ne illi, quibus licet carnes „ edere, cum Jejunium tempore Quadrageſimæ, vel extra Quadrageſimam Fidelibus præſcribitur, unius „ comeſtionis limites excedant, ac „ ne piſcibus ſimul & carnibus parari ſibi menſam patiantur, neve „ cavillationes perſcrutentur, ut legi „ tenebras offundant. Pauca tamen „ adhuc ſuperſunt, quæ remedium a „ Nobis depoſcunt.

„ §. 10. Siquidem advertimus jam „ multis ab hinc annis non ſolum „ plures in qualibet Italiæ Urbe, veſtra auctoritate, diſſolvi a Quadrageſimali abſtinentia, ſed etiam „ magno ſtudio contenditis, uti „ univerſam Civitatem, totamque „ Diæceſim eadem abſtinentia liberemus. Hinc factum eſt, ut in „ quibuſdam Civitatibus ac Diœceſi-

„ bus jam per multos annos Fideles „ univerſi, abſque ullo diſcrimine, „ carnibus per Quadrageſimam utantur.

„ §. 11. Id quidem maximam Nobis affert ſolicitudinem, eo quod „ deprehendimus certis Teſtimoniis, „ in quibuſdam Regionibus Septemtrionis, toto Quadrageſimæ curſu, lactis & ovorum uſum libere „ permitti, quia per plures annos „ eamdem facultatem petierint, & „ a Sede Apoſtolica conſecuti fuerint: quamobrem illi Populi ſibi „ in animum induxerunt, non eſſe „ rurſus ad Pontificem confugiendum „ pro hujuſmodi facultate impetranda, ſed priores conceſſiones ſingulis annis acceptas ſufficere, ut „ lactis & ovorum conſuetudo per „ Quadrageſimam comprobetur.

„ §. 12. Præterea maximi facienda „ eſſe ducimus ea verba Trident. „ Conc. *Seſſ.* 25. *cap.* 18. *de Refor.* „ *Sicuti publice expedit, Legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, „ venientibus caſibus, & neceſſitatibus, „ pro communi utilitate ſatisfiat; ſic „ frequentius Legem ſolvere, exemploque potius, quam certo perſonarum, „ rerumque delectu, petentibus indulgere, nil aliud eſt, quam unicuique „ ad Leges tranſgrediendas aditum „ aperire.*

„ §. 13. In Literis noſtris Apoſtolicis, quas *anno* 1741. ad omnes Catholicos Epiſcopos dedimus, „ huic corruptelæ viam præcludere „ cogitavimus ea ratione, illiſque „ verbis, quæ rurſum hic ſubjicimus: „ *Debitum igitur Paternæ uniuſcujuſque veſtrum ſedulitatis & charitatis „ officium jure poſtulat, ut omnibus „ notum faciatis & annuntietis, nemini quidem ſine legitima cauſa, & „ de utriuſque Medici conſilio, multitudini vero, veluti Populo, aut Civitati, aut Genti indiſcriminatim „ integræ, nonniſi graviſſima, & urgente neceſſitate, & in caſibus per „ Sacra Canonum Statuta præſcriptis, „ cum debita Apoſtolicæ hujus Sanctæ „ Sedis reverentia, a Quadrageſimali „ Jejunio diſpenſationem, toties quoties „ opus fuerit, concedendam, nec audacter fidenterque uſurpandam, nec ſuperbe & arroganter ab Eccleſia, ſicut alicubi in more poſitum eſſe accipimus, eſſe poſtulandam.*

„ §. 14. Porro Nos hanc normam „ ſecuti ſumus, cum multitudinem, „ veluti Populum, aut Civitatem integram, Quadrageſimali abſtinentia immunem declaravimus. In „ primis loci Epiſcopus id poſtulare „ a Nobis debuit, ac graviſſima, „ urgentique neceſſitate ſuum teſtimonium interponere. Deinde carnes minime permiſſæ fuerunt, ſi „ lactis, & ovorum uſus ſatis eſſe „ videretur. Tum vero facultas edendi carnes tribui ſolum conſuevit, „ cum interpoſito Epiſcopi teſtimonio id omnino neceſſarium judicaretur: nec ſufficiens neceſſitati remedium afferri conſtaret, ſi ova „ ſolum, & lacticinia concederentur. „ Quoties autem abſtinentia Quadrageſimæ noſtra auctoritate ſoluta fuit, certos tamen dies præſcripſimus, quibus integra abſtinentia „ ſervaretur, nempe diem Cinerum, „ dies quatuor temporum, vigilias „ præcepto obeundas, dies Majoris „ Hebdomadæ a Dominica Palmarum. Quandoque recenſuimus etiam totam hebdomadam Cinerum; „ Aliquando etiam indiximus abſtinentiam Feriis ſextis, ac Sabbatis, „ etiamſi facultas a Nobis tradita,

„ lactis

„ lactis & ovorum uſum ſolum com„ plecteretur. Poſtremo eam condi„ tionem ſemper addidimus, ne Jeju„ nii lex unius per diem comeſtio„ nis ullo modo violaretur, ac ne „ ſimul in menſa carnes & piſces ap„ ponerentur.

„ §. 15. Dum rationem hujus con„ ſilii noſtri ſerio perpendimus, „ haud plene acquieſcimus, ob eam „ ſolicitudinem ac dubitationem, ne „ cauſa ab Epiſcopo loci prolata, „ quam Nos legitimam credidimus „ ad ſolvendam Quadrageſimæ ab„ ſtinentiam, ejus naturæ fortaſſe „ non ſit, quæ veram & urgentem „ neceſſitatem contineat. Quippe il„ lud Nobis ſemper ante oculos pro„ poſitum habuimus, ut nihil a ra„ tione alienum, nihil inconſulto ac „ temere faciamus. Hærent pariter „ animo defixa Sancti Bernardi ver„ ba ad Pontificem Eugenium *lib.* 3. „ *de Conſideratione cap.* 4. *Facitis hoc,* „ *quia poteſtis: Sed, utrum debeatis,* „ *quæſtio eſt & quomodo:* Attamen „ fidem præſtitimus iis, quibus pre„ ſtanda fuerat, Epiſcopis nempe „ locorum. Non enim alio pacto „ exerceri poteſt ſolicitudo peculia„ rium Eccleſiarum, ac Diœceſum, „ niſi fides habeatur Epiſcopis, a „ quibus illæ adminiſtrantur. Sed in„ poſterum, ut graviſſimum hoc ne„ gotium tutius, quam fieri poſſit, „ geratur, moleſtum vobis non ſit, „ animum iis advertere, quæ ſub„ jicimus.

„ §. 16. Non ignoratis ab Inno„ centio III. Prædeceſſore Noſtro „ *Cap. Conſilium, de obſervatione jeju„ niorum,* inter cauſas legitimas „ ſolvendi abſtinentiam a Carnibus „ jejunii tempore, recenſeri veram, „ & exiſtentem reipſa ægritudinem: „ *Præterea de illis, qui in Quadrage„ ſima, vel in aliis jejuniis ſolemni„ bus infirmantur, & petunt ſibi eſum „ Carnium indulgeri, ſpondemus: quod, „ cum non ſubjaceat legi neceſſitas, „ deſiderium infirmorum, cum urgens „ neceſſitas exigit, ſupportare potes & „ debes, ut majus periculum in eis „ evitetur.* Idem ſtatuerant multo „ ante Innocentium III. Patres octa„ vi Concilii Toletani *Can.* 9. quod „ anno 653. celebratum fuit: *Quiſ„ quis abſque inevitabili neceſſitate, „ atque fragilitatis evidentis languore, „ ſeu etiam ætatis impoſſibilitate, die„ bus Quadrageſimæ eſum Carnium „ præſumpſerit attentare, non ſolum „ erit reus Reſurrectionis Dominicæ, „ verum etiam alienus ab ejuſdem diei „ Sancta Communione... Illi vero, „ quos aut ætas incurvat, aut languor „ extenuat, aut neceſſitas arctat, non „ ante probibita violare præſumant, „ quam a Sacerdote permiſſum acci„ piant.*

„ §. 17. Nemo eſt, qui non in„ telligat hujuſmodi cauſas ſatis eſſe, „ ut aliqui a Jejunii legibus & ab„ ſtinentia immunes exiſtimentur; „ non autem, ut Populus, vel in„ tegra Civitas idem Privilegium ob„ tineat. Quis enim ſibi perſuadere „ poſſit, Cives univerſos alicujus Ur„ bis, vel Diœceſis, eodem tempo„ re graviſſimo morbo teneri, vel in „ eodem diſcrimine verſari omnes, „ ut periculoſam ægritudinem con„ trahant? Niſi forte eos morbos in„ telligamus, qui ab aeris intempe„ rie, vel infectione promanant, de „ quibus paulo poſt verba faciemus. „ Quis credat unquam, Populum uni„ verſum alicujus Diœceſis vel commu„ ni languore penitus extenuatum, vel „ extrema ſenectute confectum?

 „ §. 18.

„ §. 18. Neque vero cauſa ſufficiens habenda eſt, ut aliqua Civitas, vel Populus abſtinentia Quadrageſimali liberetur, ipſique Carnes permittantur, ſi forte piſces, vel ova caro pretio vendantur. Sicut enim Urbes habent egenos Cives, ita etiam opulentos; e quibus etiam alii vitæ ſuſtentationem labore ac ſudore ſibi comparant; alii vero patrimonio ac divitiis ſatis ſuperque abundant. Itaque, ſi pro emendis piſcibus grave pretium ſolvendum ſit, id quidem egenis Civibus, non vero divitibus ſuffragatur. Id aſſerunt etiam nonnulli Theologi haud ſeverioris diſciplinæ, quorum ſententiam recenſuimus Capite nono Libri tertii noſtrarum Inſtitutionum, quas Bononiæ Typis impreſſimus.

„ §. 19. Illud etiam inane commentum prorſus exiſtimari debet, ſolvendas eſſe abſtinentia Quadrageſimæ Civitates, vel Diœceſes, ubi exercitus verſantur, eo quod Milites in iis locis permanentes abſtinentiæ leges minime obſervant. Id potius animos Civium inflammare deberet ad jejunium rite religioſeque ſuſcipiendum, ut nempe Milites tanta virtute temperantiæ permoti, ipſorum exemplum ſequantur. Illud ſolum pro legitima cauſa in medium proferri poteſt, Copias Militum tantam afferre Civitati penuriam herbarum, atque olei, licet Quadrageſimæ Jejunio non obtemperent, ut harum rerum pretia ſummopere augeantur. Tunc autem eadem ſtatuenda ſunt, quæ paulo ante diximus, cum piſces, & ova cariori pretio comparantur.

„ §. 20. Igitur peculiares morbi, quamvis frequentes, in poſterum pro cauſa ſolvendæ abſtinentiæ non adducantur; niſi forte Civibus univerſis iidem morbi communes habeantur ob aliquam aeris corruptionem; neque in poſterum herbarum, olei, piſcium, & ovorum pretia tanti ponderis eſſe cenſeantur, ut omnis Civitas, vel Diœceſis, ab inſtituto Quadrageſimæ Jejunio ac temperantia liberari contendat. Quod ſi veras, ac legitimas a Nobis cauſas ad hanc facultatem obtinendam expetitis, duas potiſſimum percenſebimus, quarum prima ex jure Canonico, altera vero ab ipſa rerum magiſtra experientia deprompta eſt.

„ §. 21. Innocentius III. quem ſuperius nominavimus, *eodem Cap. Conſilium, de obſervatione jejuniorum*, Archiepiſcopo Bracarenſi poſtulanti, qua pœna plectendos judicaret illos, qui tempore Quadrageſimæ a Carnibus non abſtinuerant ob ſummam rerum caritatem, & anguſtiam, itaut plures fame enecarentur, reſpondit his verbis: *Cum autem quæſieris, quæ ſit illis pœnitentia injungenda, qui diebus Quadrageſimalibus, tempore quo tanta famis inedia ingruebat, quod magna pars populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere ſunt coacti, reſpondemus: quod in tali articulo illos non credimus puniendos. Preces tamen Domino pro illis & cum illis fundas, ne ipſis aliquatenus imputetur; quia bonarum mentium eſt, ibi timere culpam, ubi culpa minime reperitur*; Si quis hoc tempore Epiſcopus, adductus exemplo Bracarenſis Antiſtitis, idem conſilium peteret a Sede Apoſtolica, tamquam ineptus, ac

„ ſim-

„ ſimplex haberetur; Sed illo Ec„ cleſiæ feliciſſimo ſæculo maximi „ pendebatur, uti æquum eſt, Qua„ drageſimæ præceptum. Hinc ma„ gna ſeveritate inquirebantur illi, „ qui minime paruiſſent, licet talis „ cauſa intercederet, ut liberi ab „ eodem præcepto viderentur: nec „ ulla ratio habebatur Virorum Prin„ cipum; licet ipſorum incolumitas „ cum Reipublicæ felicitate conjun„ cta putaretur; uti Nos fuſe oſten„ dimus in decima quinta noſtrarum „ Inſtitutionum Libri primi. Sed „ iis omiſſis, & aliis bene multis, „ quæ in hanc rem congeri a No„ bis poſſent, illud primum deliba„ bimus ex reſponſo Innocentii III. „ tunc Quadrageſimæ abſtinentia ſol„ vi poſſe integram Civitatem, vel „ Diœceſim, cum reipſa non ſuppe„ tunt ea, ſine quibus præceptum „ Quadrageſimæ obſervari nequit. „ Itaque ſi revera in aliquo loco ne„ que oleum, neque piſces compa„ rari poſſint, tunc Incolis ejuſdem „ loci permitti fas eſt, ut lacte, & „ ovis utantur: Si hæc autem reve„ ra deficiant, tunc Carnis, ſalu„ bris tamen, edendæ facultas con„ cedetur, interpoſita ſemper jejunii „ ſervandi conditione.

„ §. 21. Inſula Sancti Dominici „ in America Meridionali in tem„ poralibus paret Chariſſimo in Chri„ ſto Filio noſtro Ludovico Gallia„ rum Regi Chriſtianiſſimo, nec ei „ ullus præeſt Epiſcopus. Præfectus „ Patrum Societatis Jeſu anno 1742. „ a Nobis quæſivit, an ex conceſſio„ ne ſibi facta a Sede Apoſtolica „ diſpenſandi ſuper eſu carnium, „ ovorum, & lacticiniorum tempo„ re jejuniorum, & Quadrageſi„ mæ, dici poſſet, ſibi etiam da„ tam fuiſſe facultatem diſpenſandi „ nedum particulares perſonas, ſed „ etiam multitudinem hominum, „ & omnes ſui diſtrictus Incolas, „ quando coram Deo id expedire „ judicaſſet: habitoque reſponſo; „ facultatem ei fuiſſe conceſſam di„ ſpenſationem indulgendi particula„ ribus hominibus, non autem mul„ titudini hominum, & omnibus In„ colis ſui diſtrictus, pro conceſſione „ exoravit. Pro cauſa expoſuit ve„ neficam piſcium qualitatem, exi„ guum piſcatorum numerum, qui „ longe ab Inſula piſcantes, piſces „ deferebant aut fœtentes, aut cor„ ruptos ob nimios calores; pauper„ tatem earum gentium, quæ ole„ um emere non poterant pro cibis „ Quadrageſimalibus neceſſarium; „ deficientiam denique olerum, & „ leguminum, quæ in ea regione fa„ cile corrumpuntur, aut a vermi„ bus conſumuntur. Re ſubinde ma„ ture diſcuſſa coram Nobis in Con„ gregatione Generali Sanctæ Roma„ næ & Univerſalis Inquiſitionis *die* „ 12. *Aprilis anno* 1742. habita ra„ tione regionis nimis remotæ, a „ qua quolibet anno impoſſibilis erat „ ad Sedem Apoſtolicam recurſus; „ indulgentes neceſſitati Fidelium de„ gentium in Inſulis Ditionis Gal„ licæ in America, facultatem con„ ceſſimus Præfectis Miſſionum illa„ rum partium, ut in caſu veræ, „ & ineluctabilis neceſſitatis, & tan„ tum de anno in annum, præfata„ que vera neceſſitate durante, & „ non aliter; nec alio modo, uti „ poſſent & valerent cum fidelibus Po„ pulis ipſorum regimini commiſſis „ diſpenſare ſuper eſu ovorum, & „ lacticiniorum, & etiam carnium „ tempore Quadrageſimali, indicta

„ ſimul

„ ſimul cum hujuſmodi diſpenſatio-
„ ne obſervantia jejunii per unicam
„ comeſtionem, oneratąque prædicto-
„ rum conſcientia, ſi adamuſſim jux-
„ ta præſcriptum conceſſa faculta-
„ te uſi non fuiſſent.

„ §. 23. Sed jam ad experientiam
„ deveniamus. Quindecim ab hinc
„ annis per totam fere Europam
„ morbus invaluit, qui pectoris in-
„ flammationem inferebat, ita ta-
„ men, ut ex una Civitate in ali-
„ am, & ex una Provincia in ali-
„ am hæc funeſta lues promanaret.
„ Id contigit annis 1730. 1733.
„ 1740. Licet autem morbos ejuſ-
„ modi, qui univerſos hominum or-
„ dines, atque ætates corripiebat,
„ lentam ſolum in pectore inflam-
„ mationem excitaret, tamen ſeni-
„ bus matura jam ætate debilitatis
„ extremam afferebat perniciem;
„ nam ex ipſo febres acutiſſimæ, ac
„ mortales ſequebantur. Idem mor-
„ bus in periculum trahebat juniores
„ etiam, qui paululum infirmo pe-
„ ctore laborarent. Poſtremo multo-
„ rum pectora adeo labefactavit, ut
„ graviſſima deinde mala proveni-
„ rent. Alios quoque morbos hujus
„ generis, pectoris inflammationem
„ magno cum periculo afferentes,
„ ægros in diſcrimen vitæ adduxiſ-
„ ſe, Medici Scriptores luculenter
„ teſtantur.

„ §. 24. Itaque ſi Medicinæ Pro-
„ feſſores acciti, monitique graviter,
„ ut nihil a veritate alienum reſpon-
„ deant, unanimi conſenſu fatean-
„ tur (uti nobis ipſis accidit, cum
„ adhuc Bononiæ verſaremur) mor-
„ bum eſſe talis naturæ, qualem ſu-
„ perius commemoravimus, itaut
„ nulla ætas libera, & incolumis
„ eſſe queat; & affirment, illis ipſis,
„ qui inter Cives ſalvi & integri nu-
„ merantur, eamdem perniciem im-
„ minere; id præterea conferre plu-
„ rimum ad ejuſmodi luem depellen-
„ dam, aut evitandam, ſi tum ægro-
„ tantes, tum ſani a piſcibus, &
„ oleo, & quandoque pariter a la-
„ cte, & ovis abſtineant, ſi, in-
„ quam, res ita ſe habeat, tum pro-
„ cul dubio cauſa ſufficiens judican-
„ da eſt, quæ experientiæ innititur,
„ & quæ ſemper probata, & in po-
„ ſterum probanda videtur, ut nem-
„ pe Populus, ſeu Civitas integra a
„ carnibus abſtinendi præcepto non
„ teneatur.

„ §. 25. Neque ulla difficultas re-
„ movere vos debet a conſulendis
„ Medicis, qui præſtantiores habean-
„ tur. Cavendum pariter, ut quid-
„ quid revera ſenſerint, ſcripto te-
„ ſtari non prætermittant: quæ con-
„ ditio ſi deſit in poſterum, nulla
„ unquam facultas Civitati, aut
„ Diœceſi, carnibus aut lacticiniis
„ veſcendi tempore Quadrageſimæ
„ tribuetur: quippe id neceſſarium
„ omnino videtur. Accedit etiam,
„ quod Medici facilitate quadam in-
„ credibili peculiares quidem Cives
„ a Quadrageſimæ præcepto liberos,
„ & immunes decernere ſoleant; (
„ de qua re graviſſime monendi a
„ vobis ſunt, ne ſuas animas indul-
„ gendo nimis aggravent): Cum
„ vero pro univerſis Civibus idem
„ ſtatuendum proponitur, tum ſe dif-
„ ficiles, anxios, ac ſolicitos præſta-
„ re, Nos ipſi experti ſumus. Po-
„ ſtremo ſi velint percurrere ea, quæ
„ in Italia, & extra ipſam præcla-
„ riſſimi Auctores Medici Typis e-
„ vulgarunt, facile deprehendent, ab-
„ ſtinentiam, ciborumque parſimo-
„ niam ab illis magnopere commen-

„ dari;

„ dari; diſcrimen inter inter morbos „ conſtitui, & certis rationibus oſten- „ di, in curandis quibuſdam mor- „ bis nequaquam requiri, ut juſcu- „ lum, & carnes, loco piſcium, „ olei, & herbarum ſubſtituantur; „ in aliis vero juvare plurimum, ſi „ ſublatis carnibus, cum indicitur „ jejunium, oleo, vel lacte ægro- „ tantes utantur: Demum advertent, „ quam diligenter, accurateque ſcri- „ bant de pectoris incommodis, cum „ in omnibus generatim excitantur, „ ne corripiantur eodem morbo, qui „ adhuc incolumes e communi lue „ ſuperſunt.

„ §. 26. Hæc vobis indicanda pu- „ tavimus. Reliquum eſt, ut Vos „ hortemur, ne tam facile ſuſcipia- „ tis negotium petendæ facultatis „ utendi carnibus, & lacticiniis tem- „ pore Quadrageſimæ pro univerſa „ Civitate, vel Diœceſi. Quippe „ abrumpenda tandem eſt conſuetu- „ do, ob quam jam per tot annos in „ quibuſdam locis hæ facultates tri- „ bui conſueverunt. Illud etiam ex- „ perientia a Vobis compertum erit, „ delicatis quoque, ac mollibus ab- „ ſtinentiam Quadrageſimæ nullam „ inferre perniciem; neque plures ob „ hanc cauſam inter ægrotos, vel „ mortuos recenſeri.

„ §. 27. Hanc rationem, & in- „ ſtitutum Nos ipſi ſecuti ſumus Ro- „ mæ, ac Bononiæ (cujus Sedem „ adhuc retinemus) cum nuper „ Quadrageſimæ tempus ageretur. „ Si vos id quoque præſtabitis, ne- „ que facile a Nobis pro univerſa „ Civitate, vel Diœceſi, facultatem „ ſolvendi Quadrageſimæ abſtinen- „ tiam poſtulabitis, vel (ſi neceſſa- „ rium id arbitremini) non aliter, „ quam ſervatis præmiſſis conditio- „ nibus Diſpenſationis inſtantia ad „ Nos deferetur, non ſolum ii fru- „ ctus provenient, quos jam indica- „ vimus; ſed etiam repulſæ pudo- „ rem evitabitis, Noſque pariter ea „ moleſtia vindicabitis, quam ſeri- „ mus, dum votis veſtris minime „ obſecundamus. Poſtremo vos om- „ nes peramanter amplectimur, & „ Apoſtolicam Benedictionem Vobis, „ Populiſque veſtris impertimur.

„ Datum ex Arce Caſtri Gandul- „ phi die 10. Junii 1745. Pontifica- „ tus Noſtri Anno V.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopus, & Epiſcopis.

CLEMENS PAPA XIII.

Venerabiles Fratres Salutem, & Apo- ſtolicam Benedictionem.

„ APPETENTE Sacro Quadrageſi- „ mali tempore, quod plenum „ myſteriis non ſine myſterio ma- „ gnam illam Paſchæ celebritatem „ præcedit, qua una omnia ſolemni- „ tatum dignitas eſt conſecrata, pro- „ videndum, Venerabiles Fratres, „ ut ſacratiſſimum Jejunium ſancte „ religioſeque a Fidelibus obſerve- „ tur, quod Legis & Prophetarum „ teſtimonio commendatum, a Chri- „ ſto Domino conſecratum, ab A- „ poſtolis traditum Eccleſia Ca- „ tholica perpetuo retinuit, ut per „ macerationis carnis, & ani- „ mæ humiliationem ad Dominicæ „ Paſſionis Paſchaliumque Sacramen- „ torum Myſteria paratiores acceda- „ mus, & in ejus Reſurrectione re- „ ſurgamus, in cujus Paſſione, de- „ poſito veteri homine, ſimus com-

„ mor-

„ mortui. Cujus tam ſanctæ tamque ſalubris inſtitutionis retinendæ ſtudio fel. record. Prædeceſſor Noſter Benedictus XIV. etſi binis ad vos Litteris in forma Brevis eximium Fraternitatum Veſtrarum zelum excitavit, quo pluribus labefactata corruptelis Quadrageſimalis jejunii diſciplina ad priſtinam obſervantiam veſtra opera & ſtudio revocaretur; ob eamque rem nonnullas cavillationes, quibus omnis ſacrorum vis jejuniorum infringebatur, de medio ſuſtulit: tamen cum ab infenſiſſimo teterrimoque humani generis hoſte tam multæ & aſſiduæ ſint Gregi Dominico inſidiæ: verendumque propterea ſit, ne ſubinde infirmiorum animis novas veterator ille rationes pravaſque ſuggerat conſuetudines, quibus enervata jejunii ſeveritas, unde revocata dudum fuerat, illuc iterum relabatur; neceſſarium exiſtimavimus vobis has Litteras dare, quantoque in timore ſimus, ne qua vetus remanſerit corruptela, vel nova labes cum Fidelium animarum pernicie Eccleſiaſticæ in hac re diſciplinæ inferatur, Fraternitatibus Veſtris ſignificare. De quo quidem timore noſtro tantum intelligimus minui oportere, quantum ex eo ſollicitudinis ad paſtoralem veſtram vigilantiam acceſſerit: qua ſive quidpiam de veteri corruptela poſt memoratas ſupradicti Predeceſſoris Noſtri Litteras fortaſſe reliquum fuerit, ſive nova infringendis jejunii legibus opinionum commenta, vel a vera jejunii vi & natura abhorrentes conſuetudines humani pravitate ingenii noviſſime ſint invectæ, ea omnia, quantum juvante Domino fieri poteſt, radicitus convellenda curetis. In quibus profecto abuſum illum cenſemus omnino numerandum, quem rumor quidam ad nos pertulit: cum nonnulli, quibus ob juſtas & legitimas cauſas ab abſtinentia carnium diſpenſatum fuerit, licere ſibi putant potiones lacte permiſtas ſumere, contra quam prædicto Prædeceſſori Noſtro viſum fuerit, qui cenſuit, tam diſpenſatos a carnium abſtinentia, quam quovis modo jejunantes, unica excepta comeſtione, in omnibus æquiparandos iis eſſe, quibuſcum nulla eſt diſpenſatio, ac propterea tantummodo ad unicam comeſtionem poſſe carnem, vel quæ ex carne trahunt originem, adhibere.

„ Verum neque commodius, nec majori proficiendi ſpe revocare homines aggrediemini ad ſacroſanctam jejunii legem obſervandam, quam ſi illud populos doceatis: Chriſtiani hominis Pœnitentiam, præter ceſſationem a peccati & male anteactæ vitæ deteſtationem, eorumdemque peccatorum Sacramentalem Confeſſionem, illud etiam poſtulare, ut per jejunia, eleemoſynas, orationes & alia ſpiritualis vitæ opera divinæ juſtitiæ ſatisfaciamus: omnem enim iniquitatem, parva, magnave ſit, aut ab ipſo pœnitente, aut a Deo vindicante puniri oportere: niſi igitur a Deo puniri velimus, id non aliter vitare nos poſſe, quam ſi ipſi nos puniamus. Quæ quidem doctrina ſi conſtanter populorum animis inculcetur, & a Fidelibus denique alte imbibatur, minus profecto verendum erit, ne qui pro-

„ fli-

„ fligatos mores abjecerint, ac per „ Sacramentalem Confeſſionem peccata ſua eluerint, non eadem peccata velint, atterendo carnis concupiſcientiam, per jejunium expiare. Præterea, quibus perſuaſum „ fuerit ſe peccatorum minus dubie „ pœnitere, cum ſe impunitos eſſe „ non ſinant; ii profecto pœnitentiæ amore capti, lætabuntur, Quadrageſimali tempore, cæteriſque „ certis diebus, cum S. Mater Eccleſia edicit Fidelibus jejunandum, „ oblatam ſibi eſſe occaſionem, qua „ dignos pœnitentiæ fructus faciant: „ Cumque nullo non tempore oporteat domitas habere concupiſcentias; ſcriptum eſt enim: poſt concupiſcentias non eas, & a voluntate „ tua avertere; facile animum inducant, Sacratiſſimo totius anni potiſſimum tempore, corporis intemperantiam mitigare jejunio; ut anima „ cognitione ſui recepta intelligat, qua „ compunctione parare ſe debeat ad „ Sanctiſſima Paſſionis, Mortis, & „ Reſurrectionis Jeſu Chriſti recolenda Myſteria. Itaque pœnitentiæ „ ſtimulis tacti, minus ſuavitates „ exquirant in dapibus, minus ſectentur cupediarum delicias, quæ „ quamvis cum abſtinentia a vetitis „ cibis non diſcrepare videantur, „ tamen ea qui menſæ apponat ſuæ, „ illum non immerito dixeris, non „ tam uſitatas abjeciſſe delicias, quam „ cupiditatem ſuam ad inuſitatas illecebras traduxiſſe: minus denique, aut, quibus ſe ſubducant a „ jejunio, quærant effugia; aut argutiis ſtudeant Eccleſiaſticam legem infringere.

„ Veſtrum igitur eſt, Venerabiles Fratres, exemplo æque ac verbo populis præeuntes, tantum in „ eorum animos pœnitentiæ ſtudium „ & amorem injicere, ut alacriter „ jejunium aggreſſi, & illud ad præſcriptas a Catholica Eccleſia leges „ obſervent, & eleemoſynis etiam, „ atque oratione ſanctificent: & id, „ quo maxime ſpectat Eccleſia, denique conſequantur; ut corpore mortificati & Chriſto conſepulti, ad „ novam in Paſchali ſolemnitate novi hominis vitam revocati, magna cum fiducia reviviſcenti Chriſto Domino poſſint occurrere. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum „ vobis omnibus, quibus Apoſtolicam benedictionem benevolentiæ „ in vos & charitatis Noſtræ pignus, amantiſſime impertimur.

„ Dat. Romæ apud S. Mariam „ Majorem die XX. Decembris Anno MDCCLIX. Pontificatus Noſtri Anno II.

CAPUT II.

De Bulla Cruciatæ.

TRACTATUI de obſervantia quadrageſimali proxime ſuccedat Tractatus de Bulla Cruciatæ, quoniam hæc circa initium Quadrageſimæ a populis ſumitur, quibus ipſa conceditur: tum quia uſus ejus communior eſt quadrageſimali tempore, & propterea eo appetente, promulgari quotannis conſuevit. 1

Summus Pontifex fidelibus in quibuſdam Regnis, ſeu locis inferius explicandis, certam elemoſynam præbentibus in ſubſidium belli contra Infideles, multa Privilegia, & Indulta concedit per patentes litteras a ſingulis recipiendas, qui illis frui voluerint; quæ quidem Litteræ Apoſtolicæ *Bulla Cruciatæ* dicuntur; quia utilitatem Militiæ ſanctæ reſpiciunt Eccleſiæ Catho-

tholicæ, cujus milites ſub ſigno Crucis militare, & eodem inſigniri conſueverunt. Plura ſimiliter privilegia largitur euntibus militandum in prædicto bello, aut Milites mittentibus, aut comitantibus Milites in eodem bello Clericis, & Regularibus, ut in ſpiritualibus adjuvent. Hujuſmodi autem Bulla Cruciatæ dividitur in quatuor Bullas. Prima dicitur *Bullam vivorum*, *& communis*. Secunda *Bulla Defunctorum*. Tertia *Bulla Compoſitionis*. Quarta *Bulla Parva*, *& lacticiniorum*.

Sciendum enim primo eſt, in Bulla Cruciatæ concedi Indulgentiam plenariam per modum Suffragii determinato Defuncto, ad cujus intentionem erogetur certa elemoſyna in prædictum ſubſidium Belli ſancti. Hujuſmodi autem conceſſio deſcribitur in particulari quodam folio, quod accipit, qui eleemoſynam tribuit ad hujuſmodi intentionem: quodque *Defunctorum Bulla* vocatur.

Sciendum ſecundo, Summum Pontificem in eadem Bulla Cruciatæ fidelibus erogantibus eleemoſynam in ſubſidium Belli ſancti præbere indultum, ſeu remittere obligationem, reſtituendi nonnulla debita, & compenſandi nonnulla damna aliis in quibuſdam fortunæ rebus illata. Quæ quidem compoſitio, & indultum ponitur in particulari alio quodam folio, quod ſpeciali nomine nuncupatur *Bulla Compoſitionis*.

Sciendum tertio, in Bulla Cruciatæ inter alia privilegia, haberi illud, comedendi ova, & lacticinia diebus vetitis; a quo tamen indulto excluduntur pro Quadrageſima, ſeu pro jejuniis quadrageſimalibus Regulares omnes, non Militares; item Sacerdotes Sæculares, & Prælati: ut melius ſuo loco explicabitur. Quod ſi & ipſi velint prædicto privilegio frui, conceditur, (exceptis Regularibus) ut fruantur præter hebdomadam majorem, dummodo largiantur certam aliam eleemoſynam. Hujuſmodi autem Indultum diſtincto particulari folio deſcriptum tribuitur, quod *Bulla lacticiniorum* vocatur: quia prædictum unice continet Indultum. Vocari etiam ſolet *Bulla parva*, in comparatione Bullæ communis, quæ quidem magna eſt formaliter, & materialiter, cum folio deſcribi ſoleat ampliori, ac plura, & magna contineat Privilegiam.

Bulla itaque *Vivorum*, ſeu *communis*, plura continet privilegia fidelibus, illam accipientibus conceſſa: quænam vero ea ſint? mox explicabimus. Plura de his Bullis diſputaturi pro praxi communiori, diſtinctis agemus articulis, ſtudio claritatis.

ARTICULUS I.

De Bulla Cruciatæ vivorum, ſeu communi.

In duas ſectiones Articum hunc ſubdividimus in prima agemus de Privilegiis hujus Bullæ communis; In ſecunda de Requiſitis ad fruendum iiſdem Privilegiis. Sit primo.

SECTIO I.

De Privilegiis Bullæ communis.

In Bulla Cruciatæ Vivorum, ſeu 2
communi conceduntur Privilegia plura fidelibus contribuentibus certam eleemoſynam in ſubſidium Belli contra Infideles. Mentionem hic facere omit-

omittimus de Privilegiis in eadem Bulla conceſſis euntibus militare in prædicto Bello, aut Milites mittentibus, aut comitantibus Milites in eodem Bello Clericis, ac Regularibus, ut in ſpiritualibus adjuvent; quoniam, hæc ad præſentem praxim noſtrorum temporum modice faciunt. Quæ autem ad præſentem praxim communiorem faciunt Privilegia, reduci poſſunt ad novem, quæ quænam ſint? totidem ſubſectionibus explicabimus, variaque dubia circa eadem occurrentia proponemus, atque ſolvemus. Doctrinarum vero tradendarum rationem paſſim non aſſignabimus, ſed ad Auctores pro ſingulis laudandos, qui de ea re tractant ex profeſſo, remittemus. Nos enim tam ampliſſimi tractatus Bullæ Cruciatæ non niſi compendium tradere propoſuimus, pro ſufficienti ſcientia ad rectum uſum ejuſdem. Præſenti igitur Sectione Privilegia Bullæ Cruciatæ vivorum, ſeu communis explicabimus

SUBSECTIONIBUS IX.

Subſ. I. *De privilegio comedendi ova, & lacticinia.*

Subſ. II. *De privilegio comedendi carnes in caſu dubiæ neceſſitatis.*

Subſ. III. *De privilegio abſolutionis ab omnibus cenſuris, & peccatis reſervatis.*

Subſ. IV. *De privilegio, ſeu conceſſione Indulgentiarum, & participatione bonorum operum.*

Subſ. V. *De privilegio commutationis Votorum.*

Subſ. VI. *De privilegio Miſſam, & alia Divina celebrandi, iiſque aſſiſtendi, etiam tempore Interdicti, in Eccleſiis, Oratoriiſque privatis.*

Subſ. VII. *De privilegio celebrandi Miſſam, eamque audiendi una hora ante Auroram, & poſt Meridiem.*

Subſ. VIII. *De privilegio recipiendi Euchariſtiam, & reliqua Sacramenta in Eccleſiis, Oratoriiſque privatis, etiam tempore Interdicti.*

Subſ. IX. *De privilegio ſepulturæ Eccleſiaſticæ tempore Interdicti.*

SUBSECTIO I.

De privilegio comedendi ova, & lacticinia.

PER Bullam Cruciatæ vivorum, ſeu communem conceditur Privilegium comedendi ova, & lacticinia diebus jejuniorum, etiam Quadrageſimalium, pro libito quoque, & ſine neceſſitate ulla; a quo tamen Indulto in Quadrageſima tantum, ſeu in jejuniis quadrageſimalibus excluduntur Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique Superiores, vel Inferiores Prælati; Regulares item omnes, qui non ſint Ordinis Militaris, denique Sacerdotes ſæculares: niſi prædicti fuerint ſexagenarii, ex ſummario vulgari Bullæ: *eo quod Eccleſiaſtici ſæcularibus abſtinentiores eſſe debeant*. Quæ ratio aſſignatur a Papa in Bulla Latina. 3

4 Prædictam autem limitationem non apponi in Bulla Luſitaniæ, teſtatur

Trullench: quapropter in Luſitania prædictos poſſe per Bullam Cruciatæ communem edere ova, & lacticinia, docet laudatus Auctor de Bulla Cruc. *lib.* 1. §. 4. *d.* 6. *nu.* 5. pro eadem re allegatur etiam Rodriguez a Salmant. *in append. tr.* 6. *de* Bul. Cruc. *c.* 5. *pu.* 2. *n.* 57. qui ſententiæ huic ſubſcribunt, ſi quidem verum ſit, in Bullis adhuc præſentibus pro Luſitania non apponi limitationem prædictam.

5 Qu. I. Utrum, qui tenetur jejunare ex voto, vel ex Jubileo, vel ex pœnitentia ſacramentali, poſſit comedere ova, & lacticinia, ſi habeat Bullam?

℞. Affirmative, niſi aliud intenderit vovens: aut exigat Pontifex: aut impoſuerit confeſſarius expreſſe. Videatur Ludov. a Cruce de *Bulla Cruc. diſp.* 1. *c.* 5. *dub.* 14. Bardi *l. cit. ſect.* 9. Trulleoch de Bull. Cruc. *lib.* 1. §. 4. *dub.* 8. *n.* 4. Diana *edit. coord. to.* 4. *tr.* 3. *reſol.* 167. *&* 168. Tambur. *cit.* §. 2. *n.* 2. *&* 3. Chiavet. *cit. conſul.* 189. *n.* 3. Felix Poteſtas *Exam. Confeſſor. tom.* 1. *par.* 4. *c.* 10. *nu.* 3875. Tho. Sanch. *in Decal. lib.* 4. *c.* 11. *nu.* 49. Caſtropal. *par.* 2. *de Relig. de eſſent, & oblig. voti tr.* 15. *diſp.* 1. *pu.* 12. *n.* 17.

6 Qu. II. Ex Bulla Cruciatæ virorum a privilegio comedendi ova, & lacticinia in jejuniis quadrageſimalibus excluduntur Regulares omnes: quæres: horum nomine quinam veniant?

℞. Veniunt hic omnes, ſive Viri ſive Fœminæ, qui emiſerunt tria vota ſubſtantialia Religionis a Pontifice Summo approbatæ, poſt peractum Novitiatum coram Prælato legitime acceptante, vel coram alio ex ejus commiſſione. Adeoque puto nec gaudere Religioſum ejectum; & eum, qui diſpenſationem obtinuit perpetuo vivendi extra Monaſterium; quamvis Buſembaum *lib.* 4. *c.* 2. *dub.* 2. *de hor. Canon. art.* 1. *Reſp.* 2. *reſol.* 2. dicat: hos manere quidem Religioſos, non tamen Regulares. Porro cum ſtatus religioſus maneat etiam in prædictis: quidquid ſit, an amplius teneantur ad ea, quæ reſpiciunt obſervantiam regularem propriæ Religionis: adhuc vero tenentur ad ea, ad quæ prius propter ſtatus religioſi congruentiam tenebantur. Jam vero exceptio prædicta pro Eccleſiaſticis facta, & pro regularibus eſt ex congruentia quadam propter talem ſtatum eccleſiaſticum, vel religioſum, ut ſupra notavimus num. 3. Ergo &c.

Gaudent vero Novitii: item ſimplices Eremitæ; item Beatæ, ſeu Tertiariæ, vulgo *Bizzocche*, *Andarine*, *Monache di Caſa*; ſimileſque Mulieres, quæ in Beateriis vitam ducunt; item Tertiarii. Vid. Lud. a Cruce *diſp.* 1. *c.* 5. *dub.* 17. *n.* 1. & 2. Bardi *c.* 2. *ſect.* 2. §. Trullench. *lib.* 1. §. 4. *dub.* 5. *n.* 4. *&* 5. Tambur. *c.* 8. §. 4. *n.* 8. Salmanticen. *in append. tr.* 6. *de Bull. Cruc. cap.* 5. *pu.* 2. *num.* 56.

Qu. III. In eadem Bulla communi excipiuntur a dicto privilegio E- 7
piſcopi; quæres: an excludatur primo Epiſcopus ſolum electus, ſed non confirmatus a Pontifice? ſecundo, electus, & confirmatus a Pontifice, ſed non conſecratus; tertio, conſecratus, qui deinde renunciavit; quarto electus, & confirmatus, ſed non conſecratus, qui Epiſcopatum recuſavit, & cujus admiſſa fuit renunciatio?

℞. Præſcindendo a Sacerdotio, & Regularitate: ad primum, & quartum negative; ad tertium affirmative;

ve; ad ſecundum variant Auctores: veriorem autem puto ſententiam affirmativam. Videatur Trull. *lib.* 1. §. 4. *dub.* 5. *n.* 2. Lud. a Cruc. *diſp.* 1. *c.* 5. *dub.* 17. *n.* 3. Tambur. *c.* 4. §. 4. *a n.* 4. Bardi *c.* 2. *ſect.* 2. §. 2. *n.* 17. & 18.

8 Qu. IV. Quinam veniant nomine Superiorum, vel inferiorum Prælatorum, qui a dicto privilegio excludantur?

℞. Venire eos, qui habent aliquam utcumque juriſdictionem ordinariam, & ſpiritualem: ut Abbates, Generales Religionum, Provinciales, Guardiani, Priores, Rectores, Præpoſiti, & ſimiles. Vid. Ludov. a Cruc. *diſp.* 1. *cap.* 5. *dub.* 17. *n.* 3. Bardi *c.* 2. *ſect.* 2. §. 3. *n.* 19. Trullench. *lib.* 1. §. 4. *dub.* 5. *n.* 3. Tambur. *c.* 8. §. 4. *n.* 4.

9 Qu. V. Utrum Prælati prædicti Epiſcopis inferiores adhuc excludantur, ſi Prælaturam renuncient, vel ab ea amoveantur?

℞. Negative: quia Prælati eſſe deſiſtunt. Ita quidem ex vi Prælaturæ: licet aliunde excludantur ex vi Sacerdotii, ſi Sacerdotes ſint, aut etiam ex vi Regularitatis, ſi ſint Regulares.

10 Qu. VI. An Cardinales excludantur a prædicto privilegio.

℞. Negative. Ratio eſt, quia de Cardinalibus non fit mentio in Bulla. Neque poteſt dici, eos comprehendi ſub generali nomine Prælatorum: in odioſis enim Prælatorum nomine non comprehenduntur. Cardinales. Vid. Trullench. *lib.* 1. §. 4. *dub.* 4. *n.* 3. Ludov. a Cruc. *diſp.* 1. *c.* 5. *dub.* 17. *n.* 3. Bardi *c.* 2. *ſect.* 2. §. 3. *n.* 21. Tambur. *c.* 8. §. 4. *nu.* 7. Fel. in exam. Conf. *to.* 2. *par.* 4. *c.* 10. *n.* 3873. Salmantic. *in append. tract.* 6. *de Bulla Cruc. c.* 5. *pun.* 2. *num.* 52.

Interrog. Quid, Si Cardinalis ſit Sacerdos, aut Regularis, aut aliquam habeat veram Prælaturam? 11

℞. Tunc excludi, docent Auctores laudati, aliique; at Mendo, nec quidem tunc excludi, contendit: de Bul. Cruc. *diſp.* 18. *c.* 2. *n.* 7. & favet Azor. *Inſt. Moral. par.* 1. *l.* 5. *c.* 11. *qu.* 5. Et quoad Cardinales Regulares, dummodo Presbyteri non ſint, aut Patriarchæ &c. conſentiunt Andreæ Mendo Salmanticen. *cap.* 5. *pun.* 3. *n.* 73. Mendi opinionem exiſtimat probabilem etiam practice, Diana *edit. coord. to.* 4. *tr.* 3. *R.* 164. *n.* 6. licet fateatur, oppoſitam eſſe communem: addo, & in praxi omnino conſulendam.

Qu. VII. An Clerici Sæculares in minoribus; Subdiaconi item, ac Diaconi a prædicto privilegio excludantur? 12

℞. Negative. Quia in Bulla, quoad excludendos Sæculares ordinatos, aperte de ſolis Præsbyteris, ſeu Sacerdotibus ſermo eſt. Vid. Trullench. *lib.* 1. §. 4. *dub.* 4. *n.* 2. & *dub.* 5. *n.* 6. Tambur. *nu.* 13. Salmanticen. *l. cit. num.* 57.

Qu. VIII. Si Clericus aſcendat ad Sacerdotium in illo anno Bullæ a ſe ſumptæ, utrum poſſit deinceps uti privilegio veſcendi lacticiniis. 13

℞. Negative, & eſt evidens.

Qu. IX. Cum expreſſe concedatur in Bulla, poſſe hoc privilegio frui Regulares Ordinum Militarium; an nomine Regularium Militarium veniant omnes Regulares Ordinum Militarium, ſive viri, ſive fœminæ? an vero tantum equites ordinum prædictorum? 14

℞. Non ſolum Equites, ſed etiam om-

omnes alios Regulares Ordinum Militarium ſub hoc Indulto veſcendi ovis, & lacticiniis, comprehendi, docent Salmanticen. *in append. tr. 6. de Bulla Cruc. c. 5. pu. 2. n. 47.* Et vero, ubi lex non excipit, neque nos excipere debemus, maxime in odioſis.

15 Interrog. 1. An Sacerdotes Regulares Religionum Militarium poſſint, quatenus Militares ſunt, frui privilegio hujuſmodi?

℟. Alii negant, alii affirmant: fortaſſe probabilius: Eſt enim privilegium ſimpliciter conceſſum ordini abſque limitatione: unde redit ratio facta num. ſup. Vid. Salm. *in app. tr. 6. Bull. Cruc. c. 5. pu. 2. n. 50.*

16 Interrog. 2. An Sacerdos Ordinis Militaris factus Epiſcopus e. g. poſſit eo frui privilegio?

℟. Negat in hoc caſu P. Mendo apud Tambur. c. 8. §. 4. n. 12. cui ipſe conſentit, ex eo nimirum quod prævaleat dignitas Epiſcopalis: idem docent Salmanticen. *l. cit. n.* 54. qui num. ſeq. monent: Priores omnes Militares qui juriſdictione ſpirituali, & quaſi Epiſcopali in ſuis Territoriis gaudent, & alios omnes, qui Prælati ſunt cum juriſdictione eccleſiaſtica quoad forum externum: non poſſe prædictum Indultum participare ex vi Bullæ communis, ſed indigere ſpeciali lacticiniorum Bulla.

17 Qu. X. An is, cui ex Bulla communi eſt interdictus uſus privilegii circa ova, & lacticinia; ſi aliunde habeat privilegium hoc, poſſit illo uti? Ratio dubitandi eſt, quia in Bulla Cruciatæ ſuſpenduntur omnia privilegia, eidem Bullæ aliquod præjudicium afferentia, ut ſuo loco explicabitur, cujuſmodi utique eſſet prædictum privilegium.

℟. Affirmative; dummodo Bullam ſumat. Ratio eſt, quia hic non debet eſſe deterioris conditionis, accipiendo Bullam, quam erat antea; ſicuti nec Bulla debet lædi ex alio anteriori privilegio. Utrumque autem vitatur, revalidando privilegium per Bullæ acceptionem. Vid. Ludov. a Cruce *diſp. 1. c. 5. dub. 18. n. 10.* Trullench. *lib. 1. §. 4. dub. 6. n. 2.*

Hinc colliges cum eodem Ludovico a Cruce *n. 11.* & Trullench. n. 4. quibus adde Bardi *ſect.* 5. Salmantic. *loc. cit. nu. 61.* Quod ſi quis habeat privilegium comedendi lacticinia tempore Quadrageſimæ cum ſuis commenſalibus: poſſit commenſalis Presbyter, aut Regularis lacticiniis veſci, etiamſi commenſalis non habeat Bullam, dummodo eam habeat ipſe Privilegiatus. An autem eodem privilegio frui poſſent commenſales, ſi privilegiatus prædictus apud alios pranderet; ita ut, & ipſe eſſet commenſalis, ſed non invitator? legas Trul. loc. cit.

Qu. XI. Utrum is, qui ex vi ſolius Bullæ communis non poteſt per ſe gaudere privilegio lacticiniorum, poſſit tamen ex vi ejuſdem Bullæ illa comedere, ſi ſimul interveniat conſilium Medici, & confeſſarii in caſu neceſſitatis dubiæ? 18

℟. Pro ſolutione quæſtionis hujus Vid. dicenda ſubſ. ſequ. qu. 6.

Qu. XII. Utrum Sacerdotes, & Regulares &c. qui ex Bulla excluduntur a privilegio comedendi ova, & lacticinia in jejuniis quadrageſimalibus, poſſint illa comedere in Dominicis ejuſdem Quadrageſimæ? 19

℟. Si habeant Bullam communem prædictam, alii affirmant, alii negant: utraque ſententia eſt probabilis. Vid. Ludov. a Cruce *diſp. 1. c.*

5. *dub.*

5. *dub.* 18. Trullench. *lib.* 1. §. 4. *dub.* 7. Mendo in Statera *opin: bening. diſſert.* 14. *qu.* 4. *a n.* 34. Bardi *ſect.* 7. Diana *Reſol.* 169. Tambur. *a n.* 14. Chiavet. *Conſul.* 61. *n.* 17. & *Conſul.* 161. *n.* 27. Rodrigu. §. 6. *n.* 8. Salmantic. *l. cit. n.* 62. favet quod verba Bullæ pro his ſola excipiant Jejunia quadrageſimalia.

20 Qu. XIII. Ex ſummario vulgaris Bullæ communis Regularibus, Secularibus Præsbyteris, aliiſque in Bulla latina excluſis a privilegio lacticiniorum in jejuniis Quadrageſimæ, permittitur poſſe dicto privilegio uti, ſi fuerint ſexagenarii: quæres: an id valeant ad libitum, ita ut etiamſi nulla ratione indigeant veſci lacticiniis, poſſint tamen, ſi fuerint ſexagenarii, & habeant Bullam communem?

℞. Affirmative. Vid. Ludov. a Cruce *diſp.* 1. *c.* 5. *dub.* 17. *num.* 4. Trullench. *lib.* 1. §. 4. & *dub.* 6. *n.* 1. Tambur. *nu.* 19. Bardi *c.* 2. *ſect.* 2. §. 4. *n.* 31.

21 Interr. hic. Utrum prædicti, ut præfata utantur permiſſione, opus ſit, quod expleverint annum ſexageſimum: & non ſufficiat, quod inceperint?

℞. Ut expleverint, opus eſſe contendit Bardi *ſect.* 3. ut incœperint, ſatis eſſe, exiſtimat Tambur. cit. num. 19. Tamburini quidem hanc, aliorumque ſententiam puto probabilem; hi enim in communi loquendi modo propriiſſime dicuntur & ſunt ſexagenarii.

22 Qu. XIV. Utrum Regulares nondum ſexagenarii poſſint in Quadrageſima veſci ovis, & lacticiniis cum facultate Superioris, ſi habeant Bullam?

℞. Negative quantum eſt ex Bulla: quia ſimpliciter excluduntur ab hoc privilegio. Hoc tamen non impedit, quominus aliunde cum illis ad prædicta diſpenſare poſſit Superior, accedente juſta cauſa diſpenſandi. Vid. Bardi in Bull. Cruc. *par.* 1. *tr.* 2. *c.* 5. *ſect.* 2. §. 4. *n.* 129. Pro poteſtate vero Superioris Regularis diſpenſandi cum ſuis ſubditis in obſervantia quadrageſimali. Vid. dicta *c.* 1. *art.* 2. *qu.* 8.

Qu. XV. An Sacerdotes, aliique excluſi a privilegio lacticiniorum, eo uti poſſint in jejuniis extra Quadrageſimam, ubi ſit conſuetudo iis abſtinendi in prædictis quoque jejuniis. 23

℞. Affirmative; quia Bulla manifeſte ſola jejunia quadrageſimalia excludit; hinc prædicti cum Bulla communi poſſunt in locis, ubi ea promulgatur, comedere ova, & lacticinia in omnibus ſextis feriis, Sabbatis, Vigiliis, & Quatuor Temporibus per annum extra Quadrageſimam, etiamſi in iiſdem prædictis locis, ubi promulgatur Bulla fuerit conſuetudo abſtinendi a non habentibus Bullam. Vid. Bardi *ſect.* 2. *n.* 11. Tambur. §. 4. *num.* 2.

SUBSECTIO II.

De privilegio comedendi carnes in caſu dubiæ neceſſitatis.

PER Bullam Cruciatæ communem conceditur privilegium comedendi carnes diebus jejuniorum, etiam quadrageſimalium, de conſilio tamen utriuſque Medici, & ſervata in cæteris jejunii eccleſiaſtici forma: qua quidem ſervata, dicto jejunio ſatisfeciſſe, cenſentur. 24

Qu. I. Quinam ſint hi duo Medici, quorum conſilio accedente, car- 25

carnes poſſunt comedi virtute Bullæ?

℞. Medicus corporis, & alter Animæ.

26 Interrog. 1. An opus ſit conſulere Medicum Doctoratus laurea inſignitum in arte medendi?

℞. Ita quidem conſultius eſſet, dummodo hujuſmodi Doctor de facto ſit peritus in arte medendi; cæterum ſufficit conſilium alterius cujuſcumque periti in dicta arte, & licentiati, ſeu approbati ad exercendam artem medicinæ. Vid. Tambur. *de Bull. Cruc. c.* 8. §. 1. *nu.* 4. Bardi *de Bull. Cruc. par.* 2. *tr.* 3. *c.* 1. *ſect.* 2. *n.* 34. *&* 35. *&. n.* 66. *&* 67. Salmantic. *in append. tr.* 6. Bullæ Cruc. *c.* 5. *pu.* 1. *n.* 10. Qui etiam dicunt: non eſſe improbabile, quod docet Mendo, hoc eſt: quod ſi in aliquibus locis nullus Medicus reperiretur, atque, ſi aliquis ibi degens, carnes virtute Bullæ comedere vellet, nec in alium locum ubi Medicus ſit, commode pergere valeret; tunc poſſet is ab alio viro in arte, aut ſimilibus neceſſitatibus perito, vel ab ipſo Confeſſario, ſi quid de ſimili ægritudine, aut neceſſitate calleat, conſilium circa carnium eſum accipere, & eo poſito, eas virtute Bullæ comedere.

27 Interrog. 2. Quinam dicatur hic Medicus Animæ, ſeu Medicus ſpiritualis?

℞. Vel proprius Confeſſarius, ille ſcilicet, cui quis confiteri ſoleat, aut poſſit, ſi velit; vel alius Sacerdos approbatus ad audiendas confeſſiones aliorum, etſi non ejus, qui conſilium in hac re petit: juxta varietatem opinionum: ex quibus pro praxi ſuadenda eſt illa, quæ exigit Confeſſarium proprium. Certum autem ſit, non opus eſſe, conſilium peti in actu confeſſionis, ſed poſſe extra confeſſionem. Vide Lud. a Cruce *de Bull. Cruc. diſp.* 1. *c.* 5. *dub.* 9. *n.* 1. *fine*, *&* 2. Salmanticen. *cit. pu.* 1. *n.* 11. Tambur. *nu.* 3. Trullench. *de Bull. Cruc. lib.* 1. §. 4. *dub.* 1. *n.* 8. Bardi *cit. ſect.* 2. qui etiam putat, ſufficere quemlibet ſimplicem Sacerdotem; quod tamen omnino rejiciunt Salmanticen. l. cit.

Qu. II. Quodnam ſit conſilium hoc, quod exigi debet a Medico corporali, & ſpirituali? 28

℞. Conſilium conſiſtit in hoc, quod Medicus corporalis ex regulis artis ſuæ prudenter judicet, eum, qui Bullam Cruciatæ communem accepit, habere neceſſitatem comedendi carnes; Medicus item ſpiritualis, ſpectatis circumſtantiis, prudenter judicet, eumdem poſſe comedere carnes; etiamſi ii duo Medici non certo id judicent, ſed dubitent, aut cauſa non videatur omnino ſufficiens ad diſpenſandum, ſi infirmo petenti non præſto eſſet favor Bullæ. Enimvero dicendum eſt cum Bardi, *par.* 2. *tr.* 3. *c.* 1. *ſect.* 1. *num.* 12. *Privilegium Cruciatæ, quoad carnes comedendas eſſe valde utile, & plus concedere, quam datur per jus commune, aut per conſuetudinem univerſaliter receptam. Declaratur, & probatur concluſio. Ajo, igitur, efficaciam bujus privilegii ſitam eſſe in hoc, ut in dubio non requiratur diſpenſatio facienda ab Epiſcopo, aut Parocho, ſed ſufficiat conſilium Medici, & Confeſſarii, quod tamen ſine Bulla non eſſet ſatis, ſed eſſet recurrendum ad Prælatum Superiorem, qui diſpenſaret. Ita tenet Palatius &c. ... & expreſſe deſumitur ex ipſomet contextu Bullæ, ubi ad prædictum effectum non requiritur diſpenſatio*

tio

tio Epiſcopi, aut alterius Prælati, ſed Confeſſarii, & hoc non eſt judicandum, eſſe parvi momenti, cum ſit magnum levamen, fideles non cogi adire Epiſcopum, aut Prælatum, cum quilibet Confeſſarius ſufficiat adhibito Medici corporalis conſilio. Ulterius, ut nonnulli volunt, ad comedendas carnes virtute hujus privilegii, minorem requiri cauſam, quam requireretur ſine Bullà: ſic aſſerit Lopez loco cit. & hoc mihi non diſplicet. Dices: ſi Medicus corporalis, & Confeſſarius judicent aliquem ratione alicujus infirmitatis indigere eſu carnium, poterit iſte talis abſque Bulla ſequi judicium, & conſilium prudentis Medici, & Confeſſarii; ergo privilegium Bullæ nihil videtur concedere. Reſpondeo; conſilium Medici, & Confeſſarii, ſi procedit ex notorietate morbi, certum eſt, poſſe morbo illo laborantem ſequi tale conſilium, & ſine Bulla; quia tunc prudenter operabitur comedendo carnes: & idem dicerem, ſi probabiliter (ſed vide dicta c. 1. art. 2. qu. 14. nu. 32.) & non evidenter Medicus, & Confeſſarius judicent circa neceſſitatem comedendi carnes. At interdum res eſt adeo dubia, ut ex vi ipſius rei non poſſint prudenter conſulere comeſtionem carnium; vel quia gravitas morbi non eſt manifeſta; vel quia morbus ipſe non eſt adeo gravis; & tunc locum habet Bulla, & poſſunt Medicus, & Confeſſarius abſque ſcrupulo conſulere, ut vi Bullæ aliquis carnes comedat. Hæc P. Bardi. Similia habet n. 16. fine.

29 Qu. III. An ſufficiat alterius Medici conſilium, hoc eſt, ſolius Medici corporalis, vel ſolius Medici ſpiritualis?

℞. Recte negant Trull. lib. 1. §. 4. dub. 1. n. 9. Bardi *ſect. 1. num. 11.* Salmanticen. *in append. tr. 6. de Bull. Cruc. c. 5. pu. 1. n. 9.* Quæ ſententia eſt vera, licet ſentiamus cum illis, qui docent, conſilium Medici ſpiritualis non exigi, ut diſpenſet, ſed ut ſimpliciter ferat judicium de eo, quod is, qui habet Bullam, poſſit comedere carnes: in hac etiam ſententia adhuc omnino requiritur conſilium Medici ſpiritualis. Vide eumdem Bardi *ſect. 2. n. 33. & n. 49. & 50.* Si tamen in uno, eodemque Medico ſpirituali concurrerent ſimul requiſita Medici corporalis, qui videlicet eſſet ſimul Medicus corporalis, non eſt locus dubitandi, in eo quidem caſu ſufficere conſilium unius Medici ſpiritualis?

Qu. IV. Utrum præter conſilium Medici ſpiritualis requiratur ejuſdem approbatio, & licentia, ad comedendas carnes? 30

℞. Hoc pendere ex illa quæſtione: utrum videlicet conſilium Medici ſpiritualis, ſeu Confeſſarii requiratur, ut per ipſum diſpenſetur in eſu carnium exiſtente dubia neceſſitate? In qua vero quæſtione non conveniunt Auctores. Videatur Bardi *ſect. 2. num. 37. &* 48. Lud. a Cruce *diſſ. 1. c. 5. dub. 9. a num. 3.* Trull. *n. 9.* Salmanticen. *cit. pu. 1. num. 12.* Mihi autem probabilior eſt eorum ſententia, qui docent: hic nullam intervenire, niſi ab ipſomet Pontifice diſpenſationem, qui poſito conſilio, ſeu judicio Medici corporalis, & ſpiritualis de eo, quod judicent, habentem Bullam indigere carnium comeſtione: tunc Pontifex per ſeipſum diſpenſat, ſeu facultatem dat, edendi carnes in caſu neceſſitatis dubiæ explicatæ.

Ex hac autem ſententia ſequitur, habentem Bullam communem, & exiſtimantem ſe indigere eſu carnium, re-

requiſito conſilio utriuſque Medici, eiſque expoſita ſuæ neceſſitatis cauſa, ſi ipſi judicent etiam ſub dubio, quod cauſa ſit rationabilis ad excuſandum ab obligatione præcepti; poſſe carnes comedere abſque ulla ulteriori approbatione, & expreſſa facultate Confeſſarii: & multo magis non opus erit hujuſmodi poſitiva approbatione, & expreſſa licentia, ſi hæc injuſte, vel ex quodam ſcrupulo denegetur; quod concedit ipſe Lud. a Cruce, qui ſtat pro ſententia admittente diſpenſationem ex parte ipſius Confeſſarii in caſu dubiæ neceſſitatis.

31 Qu. V. Utrum prædictum privilegium valeat non ſolum pro diebus, in quibus perfecte jejunatur, ſed etiam in quibus imperfecte: videlicet, in quibus ſola ab Eccleſia a carnibus præcipitur abſtinentia: nimirum pro feriis ſextis, & Sabbatis per annum?

℟. Affirmative. Vide Bardi *c.* 1. *ſect.* 5. Tambur. *c.* 8. §. 1. *n.* 9. Salmanticen. *ſupra cit. pu.* 1. *n.* 13.

32 Qu. VI. An hujuſmodi privilegio frui poſſint Regulares, item Sacerdotes Sæculares, aliique excluſi a privilegio veſcendi lacticiniis per ſolam Bullam communem, de quibus egimus ſubſ. præced.?

℟. Negat Bardi *ſect.* 3. *n.* 70. affirmat Tambur. *n.* 5. & *ſequentib.* ac Trullench. *dub.* 2. *n.* 1. qui affirmativam hanc ſententiam ſuſtinet tamquam probabiliorem. Inde idem Trullench nu. 8. colligit, eoſdem poſſe ex ſimili dubia neceſſitate comedere etiam ova, & lacticinia ex conſilio utriuſque Medici, ex vi ſolius Bullæ communis, quamvis ab ea excludantur ab illorum uſu ſine neceſſitate, ſecundam dicta ſubſect. præced. ſententiam Bardi judicant veriorem Salmanticen. cit. *pu.* 1. *n.* 14.

Qu. VII. Utrum excuſetur a jejunio is, qui ex conſilio utriuſque Medici, virtute Bullæ comedit carnes in diebus jejuniorum Eccleſiæ? 33

℟. Non excuſari, ſed etiam ei prohiberi ſecundam plenam refectionem: nec poſſet in collatione ſerotina adhibere carnes. Conſtat ex dictis nu. 24. videri etiam poſſunt dicta cap. 1. n. 79. & Salmantic. cit. pu. 1. a n. 19. Solum noto hic; comedentem carnes in prædicto caſu, & ſervantem unicam refectionem habere jejunii meritum, ſive proprie tale, ſive ſaltem improprie. Vide Lud. a Cruce *dub.* 9. *fine*, & *dub.* 10. *num.* 6. & 7. & *dub.* 11. *n.* 3. Tambur. *n.* 2. Trull. *dub.* 1. *n.* 10.

Qu. VIII. Utrum Bulla Cruciatæ eximat a prohibitione permiſcendi carnes, & piſces? de qua prohibitione egimus c. 1. art. 8. qu. 14. a num. 95. 34

℟. Negative. Ita Salmanticen. in append. *tr.* 6. *de* Bull. Cruc. *cap.* 1. *pu. n.* 15.

SUBSECTIO III.

De privilegio abſolutionis a cenſuris, & peccatis reſervatis.

Ut omnes, & ſinguli, qui accipiunt Bullam Cruciatæ vivorum, purius preces ſuo loco explicandas, ad Deum fundere, & efficacius divinum auxilium valeant implorare, conceditur ipſis, quod poſſint eligere quemcumque Presbyterum ſæcularem, aut Regularem ex approbatis ab Ordinario, & ab eo quorumcumque peccatorum, & cenſurarum, etiam Sedi Apoſtolicæ, & in Bulla Cœnæ Do- 35

Domini reſervatorum, & reſervatarum, Hæreſi excepta: (nec non abſolutione complicis in materia ſexti præcepti ;) plenariam Indulgentiam, & remiſſionem ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo; aliorum vero Sedi Apoſtolicæ non reſervatorum, aut non reſervatarum toties, quoties confitebuntur, abſolutionem, & remiſſionem, mediante ſalutari pœnitentia ſecundum culparum indigentiam obtinere, dummodo, ubi neceſſaria erit, per ipſos, vel, dato impedimento, per hæredes, aut alios ſatisfactio fiat.

Hujuſmodi privilegium duplex eſt: primo enim concedit abſolutionis beneficium ab omnibus cenſuris etiam reſervatis obtinendæ a quolibet Sacerdote approbato ab Epiſcopo. Secundo ſimiliter concedit, abſolvi poſſe ab omnibus peccatis cuicumque reſervatis. Cum vero multæ huic privilegio adnectantur limitationes, rem totam, claritatis gratia diſtinctis paragraphis explicabimus.

§. I.

De privilegio abſolutionis ab omnibus cenſuris reſervatis obtinendæ a quolibet Sacerdote approbato ab Ordinario.

Ex privilegio itaque Bullæ Cruciatæ communis ſeu vivorum poteſt quis primo a quolibet Sacerdote approbato ab Ordinario abſolvi a quibuſcumque cenſuris cuicumque, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini, & quidem a cenſuris Sedi Apoſtolicæ minime reſervatis abſolvi poteſt toties quoties indiguerit, qui ſemel accepit Bullam intra annum, quo ipſa durat.

Qu. I. Quænam approbatio requiratur in Sacerdote eligendo ad abſolvendum a reſervatis; & a quonam Ordinario debeat approbari. 36

℞. Magnæ notæ Auctores diſputantes de præſenti privilegio Bullæ, quod nos diximus, eſſe duplex; ipſi putarunt eſſe triplex. Enimvero ultra privilegium abſolutionis a cenſuris, & præter privilegium abſolutionis a peccatis reſervatis, putarunt per Bullam Cruciatæ concedi privilegium eligendi quemlibet Sacerdotem ab Ordinario judicatum aptum ad confeſſiones audiendas, quamvis nec juriſdictionem ab eo receperit, nec facultatem confeſſiones ullas excipiendi: hunc quidem, volebant, licuiſſe eligi ex privilegio Bullæ, quamvis ſine Bulla non potuiſſet. Licuiſſe autem cum Bulla, eo quod habita explicata approbatione Ordinarii, eo ipſo Pontifex ipſe conferebat Sacerdoti juriſdictionem, & facultatem audiendi confeſſionem habentis Bullam.

Ordinarium vero, cujus approbatio ex Bulla requiritur, alii volebant eſſe Ordinarium, ſeu Epiſcopum pœnitentis tantum; alii ſolius Sacerdotis; alii ſatis fuiſſe dicebant, quemlibet Epiſcopum; aliique ſimilia.

Verum in his mirabiliter decepti ſunt; cum Pontifex quoad electionem Confeſſarii nil privilegii concedat in Bulla, ſed velit, & intendat ſe conformare Tridentino, quod requirit approbationem actualem ab Ordinario loci, ubi fit confeſſio; & nomine approbationis intelligit juriſdictionem, ſeu facultatem actualem collatam ab eodem ordinario loci, excipiendi confeſſiones. Quæ quidem

facultas, ſi detur limitata, ut dari ſolet Sacerdotibus Sæcularibus, qui non ſint provectioris ætatis, puta ſi detur pro ſolis viris, pro his ſolis valet, & non pro mulieribus: item pro mulieribus data, non intelligitur pro Monialibus; pro uno tantum oppido, non valet extra illud; ſi datur pro uno anno, non valet ultra illum: & ſic de aliis ſimilibus limitationibus, quæ juriſdictioni, ſeu facultati ab ordinario conceſſæ apponantur; quæ certa ſunt, & omnibus nota ex Tractatu de Sacramento pœnitentiæ, & a quibus non diſpenſat Bulla, cum nil privilegii concedat quoad electionem Confeſſarii, ſed privilegium ejus ſolum verſatur circa abſolutionem a reſervatis.

Hoc autem jam conſtat ex declaratione Innocentii XII. ut alias prætercam. Porro laudatus Pontifex in ſua Conſtitutione incipiente: *Cum ſicut non ſine gravi* 19. April. 1700. declaravit: *Bullam Cruciatæ ſanctæ nihil novi juris induxiſſe, nullumque privilegium continere, quoad approbationem Confeſſariorum contra formam ejuſdem Concilii Tridentini, & prædictorum Conſtitutionum Apoſtolicarum: adeo ut Confeſſarii tam Sæculares, quam Regulares, quicumque illi ſint, in vim dictæ Bullæ Cruciatæ a Pœnitentibus ad audiendas eorum ſacramentales confeſſiones electi, nullatenus confeſſiones hujuſmodi audire valeant ſine approbatione Ordinarii, & Epiſcopi Diœceſani loci, in quo ipſi pœnitentes degunt, & Confeſſarios eligant, vel ad excipiendas confeſſiones requirant; nec ad hoc ſuffragari approbationem ſemel, vel pluries ab aliis Ordinariis aliorum locorum, vel Diœceſum obtentam, etiamſi pœnitentes illorum Ordinariorum, qui Confeſſarios electos approbaſſent, ſubditi forent: confeſſiones autem aliter, & contra earumdem præſentium, aliarumque Apoſtolicarum Conſtitutionum formam deinceps faciendas, & excipiendas reſpective, præter quam in caſu neceſſitatis in mortis articulo, nullas fore, irritas, & invalidas, & Confeſſarios ipſo jure ſuſpenſos eſſe, & etiam rigide puniendos ab ipſis Ordinariis locorum. Porro quamcumque contrariam opinionem tamquam falſam, temerariam, ſcandaloſam, & in praxi pernicioſam, prætenſo quovis contrario uſu, contrariaque conſuetudine, etiam antiquiſſima minime obſtantibus, motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus harum ſerie damnamus, & reprobamus, contrariumque uſum, ac contrariam conſuetudinem hujuſmodi penitus, & omnino abrogamus, & abolemus.* Hæc ſummus Pontifex. Quam Conſtitutionem confirmavit Benedictus XIV. ſua Conſtitutione incip. *Apoſtolica Indulta*. Dicendum eſt itaque, approbationem in præſenti requiſitam conſiſtere in hoc, quod Sacerdos habeat aliunde facultatem actualem ab Epiſcopo audiendi confeſſionem Pœnitentis; quamvis non habeat facultatem abſolvendi a reſervatis; quæ in hoc caſu confertur illi a Bulla Cruciatæ in favorem pœnitentis a quo eligitur, quive Bulla prædicta munitur. Videri poſſunt Felix Poteſtas *in Exam. Confeſſar. to.* 1. *par.* 4. *c.* 10. *qu.* 2. & Salmantic. *in append. tr.* 6. *de Bull. Cruciat. c.* 6. *pu.* 1.

Qu. II. Utrum Regulares accipientes Bullam, poſſint frui hoc privilegio abſolutionis a reſervatis? 37

℞. Negative, niſi obtineant facultatem a ſuis Prælatis, qui juxta propriæ Religionis ſtatuta illam concedere

dere poſſint. Vide ſupra laudatam Conſtit. Bened. XIV. Bardi in *Bull. par.* 1. *tract.* 2. *c.* 5. *ſect.* 2. §. 5. & 9. Ludov. a Cruc. *diſp.* 1. *dub.* 10. 11. & 12. Mendo in Statera opin. benign. *diſſert.* 14. *qu.* 6. Dian. *edit. coord. to.* 4. *tr.* 3. *R.* 28. §. 1. & 7. *Fel. l. cit. n.* 3859. Suar. *de Relig. to.* 4. *tr.* 8. *lib.* 2. *c.* 16. *a n.* 3. La Croix *lib.* 6. *par.* 2. *qu.* 210. §. 1. *n.* 1464. An autem opus ſit facultate expreſſa? Vide laudatum Bardi *cit. ſect.* 2. §. 6. *a n.* 153. Lud. a Cruc. *l. cit. dub.* 13. & Trull. *de Bull. Cruc. lib.* 1. §. 7. *c.* 1. *dub.* 9. *n.* 28. Suarez *lo. cit. n.* 9. Quinam Superiores poſſint hujuſmodi facultatem dare? Vide Bardi *l. cit.* §. 6. *a n.* 150. *ad* 152. & *a n.* 160. Lud. a Cruc. *cit. dub.* 13. *n.* 3. & Trull. *dub.* 10. *n.* 2.

An Regularis habita a ſuo Superiore facultate eligendi ſibi Confeſſarium, ut ab eo virtute Bullæ abſolvatur a reſervatis, poſſit eligere Sacerdotem Sæcularem non approbatum ab Ordinario loci? Vide Truſſ. dub. 10.

An etiam Novitii Regulares excludantur a præſenti privilegio? Vide Bardi *cit. ſect.* 2. §. 10. & 11. Lud. a Cruce *dub.* 14. Trull. *dub.* 9. *n.* 2. Dian. *R.* 33. Henriqu. *in Sum. lib.* 7. *c.* 22. *n.* 7. Suar. *de Relig. to.* 4. *tr.* 8. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 10.

An Religioſi Ordinis Militaris poſſint abſolvi virtute Bullæ a reſervatis? Vide §. ſequ. qu. 1. interrog. 2. n. 60.

38 Qu. III. An virtute Bullæ poſſit abſolvi excomunicatus ex percuſſione Clerici?

℞. Affirmative: poſtquam ſatisfecerit parti læſæ. Tambur. de Bull. Cruc. c. 11. §. 6. n. 1. quænam hic dicatur pars læſa, explicabitur §. 6. qu. 1. n. 82.

Qu. IV. An per Bullam Cruciatæ poſſit quis abſolvi ab excomunicatione incurſa per duellum? 39

℞. Affirmant Sanchez, Hurtadus de Mendoza, quibus adhæret Diana R. 67. eamdem ſententiam affirmativam ſe teneri innuunt Salmantic. *in append. tr.* 6. *Bull. Cruc. c.* 6. *pu.* 3. *n.* 178. Nulla enimvero habemus exceptionem hujuſmodi caſus; quantumvis Benedictus XIV. Conſtit. incip. *Deteſtabile*, proſcripſerit quinque propoſitiones de Duello.

Qu. V. An per Bullam Cruciatæ abſolvi poſſit Pœnitens ab excommunicatione, in quam incidit ob denunciationem omiſſam culpabiliter tempore præfixo, faciendam Tribunali Sanctæ Inquiſitionis adverſus hæreticam pravitatem? 40

℞. Negative, ſi adhuc poſſit denuntiare; nec urgeat neceſſitas abſolutionis. Vid. Bardi *de Bull. par.* 2. *tr.* 6. *c.* 2. *ſect.* 6. Tamb. *c.* 11. §. 4. *n.* 3. Trullench. *l.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 8. *a n.* 7. Dicitur: *ſi nunc poſſit facere denunciationem, nec urgeat neceſſitas*: quia ſi nunc non poſſit, & urgeat neceſſitas abſolutionis: licere illum abſolvere, docet Felix Poteſtas a nobis allegandus in Dom. 1. Quadrageſ. ſect. 4. de edict. fidei, ſubſ. 2. §. 8. qu. 4. n. 99. vide ibi dicenda. An vero, qui incidit in excommunicationem ob denunciationem omiſſam, poſſit abſolvi poſtquam denunciaverit? Doctores affirmantes adducemus l. cit. qu. 3. n. 98. ubi etiam habes: an facta denunciatione, poſſit excommunicatus abſolvi a quolibet Confeſſario etiam ſine Bulla?

Qu. VI. An ex privilegio Bullæ abſolvi poſſit ceſſatio ſeu ſuſpenſio a Divinis: item Interdictum ſive generale, ſive ſpeciale locale; aut 41

per-

perſonale generale. Item Irregularitates illæ, quæ non ſunt cenſuræ, aut illæ, quæ ſunt inductæ ob indecentiam, qua quis laborans repellitur ab adminiſtrando Altari qualis eſt irregularitas ex Bigamia?

℞. Negative. Vid. Tambur. *c.* 11. §. 6. *n.* 5. Ludov. a Cruce *diſp.* 1. *c.* 4. *dub.* 11. Bardi *to.* 6. *c.* 7. *ſect.* 3. Salmanticen. *in append. to. 6. de Bull. Cruc.* *c.* 6. *pu.* 3. *n.* 183. & 184.

42 Qu. VII. An ex privilegio Bullæ poſſit abſolvi Irregularitas, quæ incurritur in pœnam alicujus delicti; e. g. ob malam adminiſtrationem Sacramentorum cum violatione Cenſuræ contractæ; ob Apoſtaſiam a fide; ob Clerici percuſſionem?

℞. Negative. Vid. Tambur. *c.* 11. §. 6. *n.* 7. Trull. *lib.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 17. Bardi *par.* 2. *tr.* 6. *c.* 7. *ſect.* 4. Salmantic. *cit. n* 184.

43 Qu. VIII. An per Bullam Cruciatæ abſolvi poſſit ſuſpenſio contracta per indebitam Sacrorum Ordinum ſuſceptionem?

℞. Affirmative. Vid. Bardi *c.* 7. *ſect.* 1. & Salmantic. *c.* 6. *pu.* 3. *a n.* 179.

44 Interrog. An per Bullam auferri valeat ſuſpenſio, quæ ſit pura pœna?

℞. Negative. Vid. Bardi *l. cit. a n.* 10. Salmantic. *l. cit. n.* 185. Nota hic; ſuſpenſionem aliquando eſſe puram pœnam, ſi nempe ad certum tempus feratur propter delictum præteritum, & hoc tempore evoluto ceſſare abſque abſolutione: aliquando eſſe cenſuram, ſi feratur ut medicina propter contumaciam præſentem corrigendam, & tum indigere abſolutione. Ita cum Dicaſtill. La-Croix *lib.* 7. *qu.* 46. §. 7. *n.* 402.

45 Qu. IX. An per Bullam abſolvi poſſit nominatim Excommunicatus, aut ſuſpenſus, vel interdictus?

℞. Poſſe quidem valide, at non ſemper licite. Vid. Trull. *lib.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 10. Lud. a Cruce *diſp.* 1. *c.* 4. *dub.* 1. Bardi *tr.* 6. *c.* 3. *ſect.* 1. Dian. *R.* 62. Tamb. *c.* 11. §. 6. *n.* 1. & 4. Salmantic. *c.* 6. *pu.* 3. *n.* 178. *fine*.

Qu. X. An hæc abſolutio a cenſuris reſervatis valeat pro foro externo, & judiciali?

℞. Negative. Quapropter Confeſſarius moneat pœnitentem, ut in foro eſterno ſe gerat tamquam ſi non eſſet abſolutus coram aliis, qui cenſuram eum incurriſſe ſciant: nec ei proderit, ſi iis teſtetur, ſe fuiſſe abſolutum per Bullam; adhuc enim peccabit, ſi coram iiſdem publice, & indifferenter ſe geſſerit, quia ſic videbitur contemnere Eccleſiam, quæ illum cenſura innodatum in foro externo habet. Nihilominus ſi caute, & coram paucis, qui ſint conſcii abſolutionis obtentæ ut abſolutum ſe habeat; non peccabit, quia ſic prædictus contemptus non interveniet. Nota tamen; abſolutum in foro conſcientiæ a cenſura reſervata, aliquibus quidem cognita, ſed nondum deducta ad forum externum, poſſe abſolutionis beneficio frui coram iis, qui ſciant eum fuiſſe abſolutum: quia etiam tunc nullus eſt contemptus Eccleſiæ: & multo magis ſi cenſura ſit omnino occulta. Vid. Lud. a Cruc. *diſp.* 1. *c.* 4. *dub.* 3. Trull. *lib.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 9. Bardi *par.* 2. *tr.* 6. *c.* 5. *ſect.* 1. & 2. Dian. *R.* 62. & *duabus ſeq.* Tambur. *c.* 11. §. 8. Salmantic. *l. cit. a n.* 187. La-Croix *lib.* 7. *qu.* 18. §. 7. *n.* 162. Quomodo autem abſolutio data in foro interno poſſit etiam prodeſſe apud Judicem clementem, ſeu nolentem judicare ex rigore 46

gore juris? Videri poteſt Tambur. *l. cit. & eodem lib.* 7. *qu.* 11. §. 6. *nu.* 80. Quandonam peccatum dicatur publicum, notorium deductum ad forum contentioſum? explicat idem La Croix *lib.* 6. *par.* 2. *qu.* 237. *a n.* 1656. *& l.* 7. *n.* 12.

47 Qu. XI. An caſu jam deducto ad forum externum, ſeu judiciale, poſſit cenſura reſervata innodatus abſolvi in foro interno conſcientiæ?

℞. Poſſe quidem valide; ſed plerique docent, illicite abſolvi lite pendente propter præjudicium aliquod Judicis Eccleſiaſtici. Ego tamen nullum in hoc video Judicis præjudicium; cum conſtet in tali caſu Abſolutionem valere pro ſolo foro interno ſecundum dicta qu. præced. Vid. Trull. dub. 10. Tambur. §. 6. n. 2. & 3.

48 Qu. XII. Si quis duabus cenſuris innodatus petat a Confeſſario abſolutionem unius, cujus tantummodo meminit, & non alteriu oblitæ: an evadat abſolutus ab utraque?

℞. Affirmative, dummodo Confeſſarius ſaltem virtualiter intenderit abſolvere ab omnibus reſervatis. Vid. Bard. *cap.* 1. *ſect.* 11. Trull. *dub.* 18. *n.* 15. Salmantic. *l. cit. nu.* 193. *&* 194. & vide etiam dicenda qu. 19.

49 Qu. XIII. An poſſit abſolvi is, qui cenſuram. incurrere non eſt veritus ex confidentia Bullæ?

℞. Affirmative. Vid. Bardi *cap.* 1. Bardi *c.* 1. *ſect.* 8. Trull. *lib.* 1. §. 1. *dub.* 9. *n.* 5. *&* §. 7. *c.* 2. *dub.* 2. *n.* 4. Lud. a Cruc. *diſp.* 1. *dub.* 5. Tambur. §. 9. *n.* 1.

50 Qu. XIV. An abſolutio a cenſuris per vim, aut metum gravem, & injuſte incuſſum ſit valida?

℞. Negative, & incutiens incurrit alteram cenſuram excommunicationis. Vid. Bardi c. 3. ſect. 6. n. 36. Trull. §. 7. c. 2. dub. 18. n. 16. Salmantic. l. cit. n. 192.

Qu. XV. An abſolutio a cenſuris per dolum, & fraudem obtenta ſit valida? 51

℞. Negative, ſi dolus verſetur circa cauſam ſubſtantialiter requiſitam, puta ſi ad validitatem abſolutionis requiratur, ut prius ſatisfacta fuerit pars læſa, & pœnitens dicat, ſe ſatisfeciſſe: ſed mentiatur. Vide Bardi *cit. ſect.* 6. *n.* 37. Salmantic. *cit. num.* 192.

Qu. XVI. Utrum ad validam abſolutionem a cenſuris ex privilegio Bullæ Cruciatæ conferendam, neceſſarium ſit, audire pœnitentem in confeſſione ſacramentali, ut in ea a cenſuris prædictis abſolvatur? 52

℞. Negative reſpondent Bardi *c.* 1. *ſect:* 9. Trull. *l.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 13. *& dub.* 15. *n.* 4. *& dub.* 18. *nu.* 12. Tambur. §. 9. *num.* 3. *&* 4. Lud. a Cruc. *diſp.* 1. *c.* 4. *dub.* 5. Diana *R.* 65. Salmantic. *in append. tr.* 6. *de Bull. Cruc. c.* 6. *pu.* 3. *n.* 177. Ego tamen tantorum virorum pace oppoſitum ſentio: contextus enim Privilegii ſemper loquitur de *Confeſſario* eligendo; & *toties quoties confitebuntur* ſumentes Bullam: quæ formulæ videntur mihi neceſſariam exigere confeſſionem.

Qu. XVII. An poſſit abſens abſolvi a cenſuris reſervatis ex privilegio Bullæ? 53

℞. Valide quidem abſolvi ſentiunt Bardi *cap.* 3. *ſect.* 3. Trull. *dub.* 18. *&* alii, poſito quod per ipſos in qu. præc. non neceſſario hujuſmodi abſolutio conferatur in Sacramento pœnitentiæ. Nihilominus non eſſe licitum abſque proportionata, & rationabili cauſa: tum propter reverentiam ipſius cenſuræ, tum

tum

propter ſcandala, quæ poſſunt occurrere. Cauſam autem, quæ cohoneſtaret talem abſolutionem, eſſe, dicunt, ſi excomunicatus aliquod grave damnum pateretur, niſi abſolutionem haberet, & non poſſit adire Conſeſſarium, neque Confeſſarius illum: tunc per litteras non ſolum valide, ſed etiam licite abſolvi. Quo in caſu tunc cenſetur abſolutus, inquit Trull. n. 13. quando recipit litteras, aut notificatur ei abſolutio per nuntium, niſi aliter de mente abſolventis conſtiterit; nam ſi intendat, ut nunc pro tunc ſit abſolutus, ſtatim ac eum abſolvit abſentem, manet abſolutus; interim tamen, dum abſens abſolutionem ignorat., tenetur ſe gerere pro excomunicato. Sed ego ut neceſſariam Confeſſionem, ſic & præſentiam Confeſſarii pronuntio.

55 Qu. XIX. An Confeſſarius abſolvens virtute Bullæ a caſibus, & cenſuris reſervatis, ea debeat uti abſolutionis formula, quæ proponitur in Summario Bullæ?

℞. Non eſſe hujuſmodi formulam de ſubſtantia abſolutionis, ſed ſatis eſſe formulam abſolutionis ordinariam cum intentione abſolvendi juxta tenorem, & facultatem Bullæ. Quod certum eſt. Vid. Tambur. §. 9. *n.* 2. Trull. *dub.* 18. *n.* 1. Bardi *c.* 3. *ſect.* 5. *n.* 29. Salmantic. *cit. pun.* 3. *n.* 205.

Nota hic valde expedire, ut Confeſſarius intendat pœnitentem abſolvere ab omni vinculo excomunicationis, minoris, & majoris, & Interdicti, ac ſuſpenſionis, ſi ſit Clericus; in quantum poteſt, ſi forte incurrerit; habeatque Confeſſarius abſolvens intentionem conformem univerſali intentioni Eccleſiæ. Vid. Bardi *c.* 3. *ſect.* 6. *n.* 39. & Trull. *l. cit. dub.* 18. *n.* 15. Qui etiam *dub.* 19. *n.* 14. dicit, eſſe optimum conſilium, ut Confeſſarii admoneant pœnitentes, quamvis non habeant reſervata, ut petant abſolutionem ad cautelam ab omnibus reſervatis, ſi forte aliqua, quæ ignorant commiſerint; nam ſic abſoluti, ſi poſtea alicujus peccati reſervati recordentur, jam non manet reſervatum, & poteſt a quolibet approbato habente communem juriſdictionem abſolvi; ita Trull. Vid. dicenda ſect. 2. ſubſ. 6. qu. 4. interrog. 11. n. 382. Excipe tamen reſervationem ab excommunicatione, cujus abſolutio prærequirat ſatisfactionem partis. Vide dicenda l. cit. interrog. 12. n. 383.

Qu. XX. Utrum, qui abſolvitur ex privilegio Bullæ, ut valeat abſolutio, habere debeat intentionem fundendi deinde preces pro victoria, ec. 56
Ratio dubitandi eſt, quia in Bulla dicitur: ideo concedi hujuſmodi privilegium; ſic enim habet ſummarium Bullæ latinæ: *ut omnes, & ſinguli prædicti purius preces ad Deum fundere, & efficacius divinum auxilium implorare poſſint: conceditur &c.* eadem habet Bulla latina originalis.

℞. Negative, quia hæc pars Bullæ eſt ſimpliciter motiva; pars autem motiva non inducit præceptum. Vid. Trull. *c.* 1. *dub.* 12. *n.* 1.

§. II.

De privilegio abſolutionis ab omnibus peccatis reſervatis obtinendæ a quolibet Sacerdote approbato ab Ordinario.

In Bulla Cruciatæ præter privilegium abſolutionis ab omnibus cenſuris reſervatis, obtinendæ per quemlibet 57

libet Sacerdotem approbatum ab Ordinario, conceditur privilegium ſimilis abſolutionis obtinendæ a quibuſcumque peccatis cuicumque etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & in Bulla Cœnæ Domini; & quidem de cenſuris, & peccatis Sedi Apoſtolicæ minime reſervatis abſolutio obtineri poteſt toties, quoties indiguerit is, qui Bullam ſemel accepit intra annum, quo ipſa durat. De caſibus autem pontificiis dicetur §. 5. Quid hic veniat, nomine Sacerdotis approbati, & a quonam Ordinario debeat approbari? examinavimus §. præc. qu. 1. Hic autem

58 Qu. I. Utrum Regulares accipientes Bullam poſſint frui hoc privilegio abſolutionis a peccatis reſervatis?

℞. Negative: niſi obtineant facultatem a ſuis Prælatis, qui juxta propriæ Religionis ſtatuta illam concedere poſſint. Vide Bened. XIV. Conſtit. incip. *Apoſtolica Indulta*. Bardi *in Bull. Cruc. par.* 1. *tr.* 2. *c.* 5. *ſect.* 2. §. 1. 2. 5. & 9. Suarez *de Relig. to.* 4. *tr.* 8. *l.* 2. *c.* 16. *a nu.* 3. La-Croix *lib.* 6. *par.* 2. *qu.* 210. §. 1. *n.* 1464. An autem opus ſit facultate expreſſa? Vide laudatum Bardi *cit. ſect.* 2. §. 6. *a n.* 153. Suar. *l. cit. nu.* 9. Quinam vero Superiores poſſint hujuſmodi facultatem dare? Vid. Bardi *cit.* §. 6. *a n.* 150. *ad* 152. & *a n.* 160. An Regularis habita a ſuo Superiore facultate eligendi ſibi Confeſſarium, ut ab eo virtute Bullæ abſolvatur a reſervatis; poſſit eligere Sacerdotem Sæcularem non approbatum ab Ordinario loci? Vid. Trull. de Bull. l. c. §. 7. c. 1. dub. 10. An etiam Novitii Regulares excludantur a præſenti privilegio? Vid. Bardi *cit. ſect.* 2. § 10. & 11. Trull. *dub.* 9. *n.* 2. Suarez *l. cit. n.* 10.

Interrog. 1. An Regulares poſſint virtute Bullæ eligere ſibi Confeſſarium, quem voluerint, ut ab eo abſolvantur a peccatis mortalibus ſaltem non reſervatis? 59

℞. Negative. Vid. Bardi *a n.* 91. Suar. *de Relig. tom.* 4. *tr.* 8. *lib.* 2. *c.* 16. *a nu.* 3. La Croix *lib.* 6. *par.* 2. *qu.* 210. §. 1. *n.* 164. fine.

Interrog. 2. An Religioſi Ordinis Militaris excludantur ab hoc privilegio? 60

℞. Negat Bardi *cit. ſect.* 2. §. 3. *n.* 76. ex eo quod conſuetudine quadam introductum ſit, ut ſcilicet Religioſi Militares utantur Bulla in ordine ad omnia Indulta, id ſciente, & non contradicente Magno Magiſtro: atque adeo videantur habere tacitam licentiam circa talem uſum: eſſe vero talem conſuetudinem: relatum ſibi fuiſſe, teſtatur a Viris fide dignis. Favet Trull. quem citat idem Bardi. De Religioſis autem S. Joannis Hieroſolymitani certum eſt, eos frui hoc privilegio ex Bulla Cruc. eiſdem conceſſa a Benedicto XIV. incip. *Quoniam* 86. §. 8. tom. 1. Bullarii ſui.

Qu. II. An per Bullam poſſint abſolvi caſus reſervati Inquiſitoribus contra hæreticam pravitatem? 61

℞. Si non contineant hæreſim formalem externam ſimul, & internam: affirmat cum aliis Bardi, qui videri poteſt *tr.* 6. *c.* 2. *ſect.* 5. Idem affirmat Tambur. *c.* 1. §. 4. *n.* 2. An autem abſolvi poſſint toties, quoties? Vide dicenda §. 5. qu. 2.

Qu. III. An per Bullam poſſit abſolvi a caſibus reſervatis Epiſcopis: & abſolvi toties, quoties? 62

℞. Ad utrumque affirmative; eſt communis, eſt certa, & conſtat ex Bulla. Vid. Trull. 2. dub. 2. n. 4.

§. III.

De Hæreſis exceptione.

63 In hoc, & ſequentibus §§. agemus de exceptionibus, ſeu limitationibus, quas continere notavimus præſens privilegium Bullæ quoad abſolutionem ab omnibus cenſuris, & peccatis. Prima autem exceptio, ſeu limitatio, de qua agimus hic, eſt quoad hæreſim. Itaque a cenſura, & crimine hæreſis non poteſt umquam abſolvi ex privilegio Bullæ Cruciatæ. Et quamvis in Bulla Latina concedatur facultas ſemel in vita, & in articulo mortis abſolvendi a reſervatis etiam in Cœna Domini: & ibi hæreſis non excipiatur, ut habetur in Bulla latina a Gregorio XIII. conceſſa: nihilo tamen minus ex eodem Gregorio XIII. conſtit. 37. incip. *Officii noſtri partes*, 22. Septemb. 1576. tom. 2. Bullar: Cherub. pag. 305. edit. Rom. An. 1638. & Typograph. R. Cam. Apoſtol. excipitur crimen hæreſis; & in Bullis, quæ nunc in Regnis Hyſpaniarum, & ab anno 1584. promulgantur, excipitur expreſſe crimen hæreſis; ut obſervat Bardi *par. 2. tr. 6. c. 2. ſect. 3. n. 26.* & Trull. *lib. 1.* §. 3. *c. 2. dub. 7. n. 7.* quæ quidem exceptio inſerta fuit a Commiſſario Cruciatæ de licentia ipſius Gregorii XIII. conceſſa in Conſtitut. prædicta: ubi etiam ſtatuit Pontifex ut traſumpto per Commiſſarium facto eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis eſt Originalibus adhibenda.

Notandum vero in primis eſt: Hæreſim, quæ hic ſolum excipitur, eſſe externam, conjunctam actui interno; ita ut nec ſolus actus internus contra fidem, nullo ſigno manifeſtatus externo, ſit reſervatus; nec ſolus actus externus cum nullo actu conjunctus interno; unde qui interne adhærens alicui errori contra fidem nullo verbo, aut ſigno externo, apto, & ſufficienti manifeſtet exterius errorem ſuum: licet ſit vere hæreticus: ejus tamen hæreſis crimen hoc non eſt reſervatum, nec cenſuram contra hæreſim fulminatam incurrit. Et rurſus qui exterius tantum affirmat, vel negat aliquid contra fidem Catholicam, interne autem non ita credat, ſentiat vero cum Eccleſia Catholica: licet in foro externo, & judiciali Eccleſiæ judicetur, & puniatur tamquam hæreticus, nihilominus talis non eſt niſi materialiter, nec excommunicationem reſervatam incurrit, nec ejus crimen eſt reſervatum. Quæ nota ſunt, & a Doctoribus communiter docentur, & praxis quotidiana confirmat.

Dixi: nec excommunicationem *reſervatam* incurrit; quia ſi hæreticus materialis tantum, & externus ſit idololatra, incurrit excommunicationem, quam tulit Joannes XXII. Bull. 13. incip. *Super illius ſpecula to. 1.* Bullar. Cherub. edit. Rom. an. 1638. ex Typograph. Rev. Cam. Apoſtol. in qua quidem Conſtitutione Pontifex excommunicat ipſo facto immolantes dæmonibus, aut reſponſa, & auxilia ab eis poſtulantes: ſive tenentes libros de hujuſmodi rebus. Cujus Conſtitutionis, ſeu excommunicationis meminit etiam Trull. *lib. 1.* §. 7. *c. 2. dub. 7. n. 4.* eamque teſtatur haberi in Directorio Inquiſitorum par. 2. lib. 43. quam tamen, obſervat, non eſſe reſervatam: atque adeo poſſe a quolibet approbato in foro interiori abſolvi abſque privilegio ullo, aut recurſu ad Superiorem.

64 Qu. I. An virtute Bullæ poſſit abſolvi hæreſis interna ſimul & externa quidem, ſed occulta?

℟. Negative. Vid. Trull. cit. dub. 7. Bardi c. 2. ſect. 1.

65 Qu. II. An ſicuti delictum hæreſis excluditur a privilegio Cruciatæ, ita etiam excludantur omnia alia crimina, quæ continentur in primo Canone Bullæ Cœnæ Domini, quatenus ſunt ipſi hæreſi affinia, puta Fautores, Receptatores Hæreticorum, legentes libros hæreticos, retinentes &c. ita ut per Bullam Cruciatæ non poſſint abſolvi.

℟. Non excludi a privilegio, ſed jure poſſe abſolvi, dummodo in prædictis criminibus non involvatur error in intellectu contra fidem; ita Bardi *ſect.* 4. Ludov. a Cruce *diſp.* 1. *c.* 3. *dub.* 8. & Tamb. *c.* 11. §. 4. *c.* 2. videri etiam poteſt Diana *edit. coord. tom.* 4. *tr.* 3. *R.* 41. §. 2. & *R.* 42. §. 2.

§. IV.

De exceptione abſolutionis complicis in materia ſexti præcepti Decalogi.

66 Quamvis hactenus ex Bulla Cruciatæ exceptum tantummodo fuerit a privilegio abſolutionis ex vi ejuſdem Bullæ crimen hæreſis: quemadmodum eſt explicatum; nihilominus animadvertendum eſt, ab eodem privilegio nunc etiam excludi abſolutionem complicis in materia ſexti præcepti Decalogi; ſub pœna excommunicationis majoris ipſo facto incurrendæ. Id autem ex novo jure, Decreto, & Conſtitutione Benedicti XIV.. Ex qua item Conſtitutione quidam inclinant ad dicendum: excludi inſuper a privilegio Bullæ abſolutionem excommunicationis prædictæ incurſæ ob abſolutionem præfati complicis. Inſuper excludi, aliqui putant, crimen falſæ Denunciationis de Confeſſario ut ſolicitante in materia prædicti ſexti præcepti. Porro laudatus Pontifex Benedictus XIV. an. 1741. die 1. Junii, ſpeciali quadam Conſtitutione, quæ incipit: *Sacramentum Pœnitentiæ* inter alia decrevit, ut ſequitur: *Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cujuſcumque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuslibet Indulti confeſſionem dicti Complicis hujuſmodi, quiſquam valeat excipere, eique ſacramentalem abſolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, & in hoc caſu nullus Confeſſarius, utpote qui in hujuſmodi peccati, & pœnitentis genere juriſdictione, ut præfertur, careat, & abſolvendi facultate a nobis privatus exiſtat, habendus ſit pro Confeſſario legitimo, & approbato. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, præſertim quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ &c.* Item in eadem Conſtitutione ante præfata verba hæc leguntur: *Et quoniam improbi quidam Homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna cauſa commoti, vel aliorum impiis ſuaſionibus, aut promiſſis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati tremendo Dei judicio poſt habito, & Eccleſiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud Eccleſiaſticos Judices falſo ſolicitationis inſimulant. Ut igitur tam nefaria audacia, & tam deteſtabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcumque, perſona quæ execrabili hujuſmodi flagitio ſe inquinaverit, vel per ſe ipſum innocentes Confeſſarios impie calumniando, vel ſcele-*

ſte procurando , ut id ab aliis fiat , a quocumque Sacerdote , quovis privilegio , auctoritate , & dignitate munito , præterquam a Nobis , noſtriſque Succeſſoribus , niſi in fine vitæ , & excepto mortis articulo ſpe abſolutionis obtinendæ , quam Nobis , & Succeroribus prædictis reſervamus , perpetuo careat . Hæc Pontifex in Conſtitutione laudata.

67 Per Bullam Cruciatæ nequaquam poſſe abſolvi ab excommunicatione Sacerdotem, qui incidit in eam, ob abſolutionem Complicis ; ad dicendum inclinant Salmanticen. loc. cit. n. 301. fine.

68 Crimen falſæ denunciationis , de Confeſſario tamquam ſolicitante in materia ſexti præcepti , non eſt omnino certum , excluſum eſſe a privilegio Bullæ . Rationes pro ſententia affirmante , & pro negante videri poſſunt apud Salmanticen. loco ſupra cit. §. 1. a n. 214. qui dicunt , utramque eſſe æque probabilem.

69 Nota vero 1. Quod in caſu falſæ denunciationis ſemper neceſſaria eſſet prævia ſatisfactio partis læſæ per revocationem videlicet juridicam falſæ denunciationis ; ut rite monent Salmantic. n. 228. Nota 2. quod licet ſit reſervatum crimen falſæ denunciationis de Confeſſario tamquam ſolicitante in materia ſexti præcepti , non ſolum factæ per ſe ipſum , ſed etiam per alios , *ſceleſte procurando , ut id ab aliis fiat . . . . impiis ſuaſionibus , aut promiſſis , aut blanditiis , aut minis , aut alio quovis modo :* ut Pontifex loquitur ; nihilominus animadvertendum eſt : 1. Ad hoc , ut quis hujuſmodi criminis reſervationem incurriſſe judicetur , oportere , quod efficaciter moverit alium ad prædictam falſam denunciationem ; quapropter ſi perſuaſione &c. non fuerint efficaces , quia vel denunciatio non eſt ſequuta , vel ad illam faciendam aliunde erat alter determinatus , nec ex alterius opera motus eſt ut ſaltem citius denuntiaret ; minime incurrit reſervationem . Animadvertendum eſt: 2. nec incurrere prædictam reſervationem eum , qui efficaciter revocavit perſuaſionem , tempore nimirum , & modis habilibus , antequam fieret denunciatio . Vid. Salmantic. n. 231. & 232. : Nota 3. Crimini falſæ denunciationis prædictæ nullam annexam eſſe cenſuram : ut obſervant Salmantic. n. 209.

§. V.

De alia limitatione appoſita privil. abſol. a Caſib. Pontificiis ; quæ eſt : Semel in vita , & ſemel in Morte.

SUMMUS Pontifex accipientibus Bullam Cruciatæ concedit privilegium , ut poſſint ab omnibus , & quibuſcumque cenſuris , & peccatis Sedi Apoſtolicæ reſervatis abſolvi per quemlibet Sacerdotem approbatum ab Ordinario , cum hac alia limitatione : *ſemel in vita , ac ſemel in mortis articulo* , ſive vero , ſive præſumpto intra annum , quo durat Bulla ; per unam Bullam , & iterum ſemel per alteram Bullam , non autem tertio per tertiam , uti dicemus hic qu. 5. & videri poſſunt dicenda ſect. 2. fine in Appendice. 70

Qu. I. An hujuſmodi limitatio afficiat caſus Pontificios tantum publicos , non item occultos? 71

℞. Auctores in hac quæſtione omnino non convenire inter ſe: eorum eſt ſententia triplex . Prima ſententia vult , caſus Pontificios occultos extra Bullam Cœnæ poſſe abſolvi

vi toties, quoties ex privilegio Cruciatæ, non item occultos in Bulla Cœnæ contentos. Rationem prioris aſſignat, quia caſus Pontificii extra Bullam Cœnæ occulti poſſunt abſolvi ab Epiſcopis ex Jure Tridentini, atque adeo jam cenſentur caſus ſimpliciter Epiſcopales; Atqui caſus Epiſcopales poſſunt ex privilegio Cruciatæ a quolibet approbato abſolvi toties quoties, ergo. Rationem poſterioris dat, quia putat caſus etiam occultos contentos in Bulla Cœnæ non poſſe abſolvi ab Epiſcopis, eo quod per Bullam Cœnæ tollatur ab ipſis hujuſmodi poteſtas.

Secunda ſententia docet: ex privilegio Cruciatæ abſolvi poſſe toties, quoties omnes omnino caſus Pontificios occultos, etiam contentos in Bulla Cœnæ, hæreſi excepta etiam occulta, eo quod negat per Bullam Cœnæ adimi Epiſcopis facultatem abſolvendi a caſibus in ipſa contenſis, dum occulti ſint: excipit autem hæreſim etiam occultam propter ſpeciales rationes, quæ videri poſſunt apud Auctores citandos.

Tertia denique ſententia omnino oppoſita putat ex privilegio Cruciatæ non poſſe abſolvi *toties quoties* caſus Pontificios occultos etiam extra Bullam Cœnæ contentos; contendit enim hujuſmodi caſus, licet poſſint abſolvi ab Epiſcopis, non amittere tamen reſervationem Pontificiam. Atqui caſus Pontifici reſervati non poſſunt abſolvi toties, quoties; ergo ec. Vid. Trull. *l.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 6. Bardi *par.* 2. *tr.* 6. c 1, *ſect.* 10. Ludov. a Cruce *diſput.* 1. *c.* 3. *dub.* 13. Felix *Exam. Confeſſar. to.* 1. *par.* 4. *c.* 10. *n.* 3841. Mendo *de Bull. Cruc. diſp.* 23. *c.* 5. & *in append diſpu.* 2. *c.* 26. & *in Statera opin. benig. diſſ.* 14. *qu.* 8. qui fortiter pugnat pro ſecunda ſententia, pro qua etiam ſtant Salmant. *in append. to.* 6. *de Bull. Cruc. c.* 6. *pu.* 3. *n.* 174. Diana *edit. coord. to.* 4. *tr.* 3. *R.* 38. 39. & 40. qui dicit, has omnes ſententias eſſe probabiles, ſed vide etiam La Croix *lib.* 6. *par.* 2. *qu.* 231. §. 9. *n.* 1617.

Nota hic, illud crimen in re præſenti vocari occultum, quod non ſciatur a pluribus, quam duobus, vel tribus, nec deductum ſit ad Forum Judiciale; Vide Bardi *l. cit.* La-Croix *lib.* 6; *par.* 2. *qu.* 237. *a n.* 1656. & *lib.* 7. *n.* 12.

Qu. II. An caſus reſervati Inquiſitoribus fidei poſſint abſolvi toties, quoties, per Bullam Cruciatæ? 72

℞. Si ſint caſus contenti in primo Canone Bullæ Cœnæ, etiamſi non contineant errorem internum contra fidem, non poſſunt abſolvi toties, quoties, ſed ſemel in vita, & ſemel in morte, quia ſunt caſus Pontificii; Alii autem caſus ſolis Inquiſitoribus reſervati poſſunt abſolvi toties quoties. Vid. Bardi *c.* 2. *ſect.* 5. Tambur. *c.* 11. §. 4. *n.* 2. Salmantic. *l. cit. n.* 176.

Qu. III. An per unicam abſolutionem poſſit quis virtute Bullæ abſolvi in vita, intra Annum, quo durat Bulla, a pluribus, diverſiſque cenſuris, & peccatis Pontificiis? 73

℞. Affirmative, quia ſic verificatur abſolvi *ſemel* in vita a reſervatis Pontifici, quod Bulla concedit. Vid. Trull. *dub.* 18. *n.* 7. Tambur. §. 2. *n.* 3.

Qu. IV. Dum in Bulla conceditur abſolutio ab omnibus reſervatis Sedi Apoſtolicæ ſemel in vita, & ſemel in morte: an concedatur abſolutio a ſingulis in diverſis abſolutionibus obtinenda; ita ut, qui hodie ex privilegio Bullæ abſolvitur a 74

cen-

cenſura, & peccato aliquo Pontifici reſervato, ſi cras committat aliud ſpecie diverſum peccatum Pontifici reſervatum, poſſit ex vi ejuſdem unius Bullæ abſolvi ab altero; & ſic ſi deinde committat tertium, quartum &c. aliud adhuc ſpecie diverſum?

℞. Negative: ſemel enim conceditur Abſolutio, ſeu pro unica confeſſione. Qui autem pro una Confeſſione concedit, non intelligitur concedere pro alia; quamvis in ea ſubjiciantur diverſa peccata. Vid. Bardi *c.* 1. *ſect.* 1. Trull. *dub.* 3. *n.* 2. Tambur. §. 3. *n.* 2. Fel. *l. cit. n.* 3487. Salmantic. *in append. tr.* 6. *de Bull. Cruc. c.* 6. *pu.* 3. 1. 178.

75 Qu. V. Qui ſemel uſus eſt privilegio Bullæ quoad caſus Pontifici reſervatos, ſi intra eumdem annum committat iterum ſimile reſervatum, an poſſit accipere ſecundam Bullam, & ex vi illius abſolvi ab hoc alio reſervato; & ſimiliter tertiam, ſi tertio in reſervatum hujuſmodi incidat; & deinde quartam &c.

℞. Poſſe quidem ſecundam, & ex vi illius iterum abſolvi, minime vero tertiam &c. Conſtat ex Bulla latina. Poſſe autem ſumi ſecundam Bullam, & ex vi illius iterum abſolvi a reſervatis Papæ ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis; indulſit Gregorius XIII. ann. 1573. teſte Trull. *dub.* 3. *n.* 1. & 2. vide dicenda ſect. 2. fine in appendice nu. 387.

76 Qu. VI. Utrum quando quis virtute Bullæ a reſervatis fuit abſolutus, ſed confeſſionem fecit invalidam, ceſſet reſervatio?

℞. Bardi par. 2. tr. 6. c. 1. ſect. 13. examinat: utrum per confeſſionem, & abſolutionem invalidam, aut informem tollatur reſervatio? & quoad confeſſionem invalidam adducit aliquos Auctores negantes abſolute, alios autem abſolute affirmantes; alios denique diſtinctione quadam utentes, nimirum docentes: per confeſſionem irritam auferri reſervationem a cenſuris, & peccatis, quæ ob connexionem cum cenſura, & dependenter ab illa ſint reſervata, (cujuſmodi ſunt caſus reſervati Papæ; Vid. La-Croix lib. 6. part. 2. qu. 181. §. 6.) at non tolli reſervationem a peccatis, quæ ratione ſui immediate, & non ratione cenſuræ ſint reſervata, (cujuſmodi ſunt caſus, quos ſibi reſervant Epiſcopi, & Prælati Regulares; vid. La-Cr. l. cit.) Quam tertiam ſententiam ipſe Bardi ſequitur, utpote ſibi probabiliorem; & quoad hanc rem videri etiam poſſunt Salmant. l. cit. nu. 195. & 196. qui adhærent ſecundæ ſententiæ abſolute affirmanti. Videri etiam poteſt Diana *edit. coord. to.* 4. *tr.* 3. *R.* 50. & 51. Quoad vero confeſſionem validam, ſed informem: ex ſuppoſitione quod talis confeſſio dari poſſit: concedit abſolute ipſe Bardi nu. 156. per Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe auferri virtute Bullæ reſervationem omnem; hancque eſſe, teſtatur, opinionem communem eorum Doctorum, qui Sacramentum hujuſmodi dari poſſe concedunt.

Qu. VII. Quodnam ſpeciale afferat emolumentum Bulla Cruciatæ, concedens abſolutionem in articulo mortis a reſervatis Papæ? in articulo enim mortis ceſſat aliunde reſervatio. 77

℞. Duo præſertim afferre emolumenta. Primum, quod abſolutio hoc poteſt conferri ab inferiori Sacerdote, præſente etiam Superiore, puta Pontifice, vel ejus delegato: quod cer-

certe eſt favor reſpectu illorum, qui ſuſtinent in articulo etiam mortis non poſſe inferiorem Sacerdotem abſolvere a reſervatis, præſente, & facile Superiore, vel ejus delegato valente ab illis abſolvere moribundum.

Alterum emolumentum eſt, quod in dicto articulo ex privilegio Bullæ abſolutus ab excommunicatione reſervata, ſi convaluerit, non tenebitur ſe preſentare Superiori, quemadmodum teneretur, ſi non ex privilegio Bullæ ſed præciſe ex vi neceſſitatis extremæ fuiſſet abſolutus. Vid. Tambur. §. 3. Trull. *dub.* 5. *a num.* 12. Lud. a Cruc. *diſp.* 1. *c.* 3. *dub.* 14. Bardi *c.* 6. *ſect.* 1. Salmant. *n.* 198.

Dixi: duo *præſertim* afferre emolumenta: quidam enim enumerant plura, ut videre eſt apud Auctores laudatos.

78 Qu. VIII. An poſſit ex privilegio Bullæ a reſervatis abſolvi in morali periculo mortis?

℞. Affirmative: dummodo ſermo ſit de periculo proximo mortis. Vide omnino Bardi *c.* 6. *ſect.* 2. Trull. *dub.* 4. Lud. a Cr. *dub.* 16. & 18.

79 Qu. IX. Utrum, qui evaſit periculum mortis prædictum, ſi deinde intra eumdem annum, quo durat Bulla, incidat in novum periculum mortis poſſit abſolvi iterum a reſervatis Pontifici ex vi unius, & ejuſdem Bullæ?

℞. Negative: quia privilegium conceditur *ſemel* in articulo mortis, non autem toties quoties, quis inciderit in dictum articulum, ſeu proximum periculum mortis. Vid. Lud. a Cr. dub. 17. fine.

80 Ex hactenus dictis colliges, Confeſſarium, ubi pœnitens extra articulum, & periculum proximum mortis ſe accuſet de aliquo crimine Pontifici reſervato, a quo ei non liceat abſolvere illum niſi per Bullam, debere illum (nimirum ſi ſit in loco, vel ex loco privilegiato in quo promulgatur Bulla, ut explicabitur ſect. 2. ſubſ. 1.) interrogare: num hoc anno Bullam ſumpſerit? ſi affirmet; interroget 2. utrum hoc ipſo anno, quo durat Bulla, fuerit aliquando extra articulum mortis ab aliquo ſimili, vel diverſo crimine Pontifici reſervato abſolutus virtute Bullæ? ſi neget: illum abſolvat, poſitis cæteris requiſitis. Si autem affirmet; interroget 3. utrum alteram ſumpſerit Bullam, qua non fuerit uſus ad hunc effectum extra articulum mortis? ſi teſtetur, quod ſumpſerit, & uſus minime fuerit; abſolvat illum virtute hujus ſecundæ Bullæ; ſi autem fateatur, ſe non ſumpſiſſe; hortetur, ut ſumat, ſi velit abſolvi; ſecus recurrat ad aliquem privilegiatum habentem aliunde facultatem abſolvendi ab illis caſibus Pontificiis. Similiter ad privilegiatum remittet, ſi ſecundam acceperit Bullam, ea que iterum ad hunc effectum fuerit uſus extra articulum mortis. Eadem reſpective, & quoad tempus patitur, ſervetur cautio in mortis articulo.

§. VI.

De limitatione appoſita privil. abſol. a reſervatis, quæ eſt, Dummodo ſatisfiat parti, ſi qua læſa fuerit.

BULLAM Cruciatæ ſumentes abſolvi poſſunt ab omni excommunicatione, dummodo, ubi neceſſaria erit, ſeu ubi crimen, ob quod lata fuit excommunicatio, ſit damni illativum contra tertiam perſonam; per 81

ipſos,

ipſos, vel dato impedimento, per hæredes, aut alios ſatisfactio fiat partis læſæ.

82 Qu. I. Quænam hic intelligatur pars læſa?

℞. Eadem perſona, quæ fuit immediate offenſa. Vid. Bardi *par.* 2. *tr.* 6. *c.* 2. *ſect.* 8. *n.* 80. Dian. *edit. coord. to.* 9. *tr.* 3. *R.* 56. §. 3. Salmantic. *in append. tr.* 6. de Bul. Cruc. *c.* 6. *pu.* 3. *n.* 201. Qui tamen percuſſit Monachum, an ſufficiat ſatisfeciſſe ſolum Monacho percuſſo, vel etiam requiratur, ut ſatisfaciat ejus Abbati, vel Monaſterio? Vid. La-Croix *l.* 6. *p.* 2. *qu.* 208. §. 10. *n.* 1456.

83 Qu. II. Quænam ſatisfactio fieri debeat parti læſæ?

℞. Quædam recompenſatio aut in honore læſo, aut in fama, aut in bonis externis, reſpective pro qualitate offenſæ. Bardi *cit. ſect.* 8. *n.* 73.

84 Qu. III. Utrum licita ſit abſolutio, non ſatisfacta prius parte?

℞. Negative; ſiquidem ſatisfactio fieri poſſit ante abſolutionem. Eſt communis, & certa. Vid. Bardi *ſect.* 7. *n.* 64. Tamb. *tr. de Bul. Cruc. c.* 11. §. 7. *n.* 7. Salmantic. *n.* 199.

85 Qu. IV. Utrum valida ſit abſolutio, non ſatisfacta prius parte, ſi fieri poſſit?

℞. Non conveniunt Auctores in hac quæſtione: ſententia negativa pro praxi eſt ſuadenda; verſamur enim in materia, Juriſdictionis neceſſariæ ad valorem Sacramenti. Vid. Bardi *cit. ſect.* 7. Lud. a Cruc. *diſp.* 1. *c.* 4. *dub.* 2. Trull. *l.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 12. Dian. *R.* 55. & *duabus ſequ.* Tambur. *cit.* §. 7. *a n.* 9. Salmantic. *in append. tr.* 6. *de Bull. Cruc. c.* 6. *pu.* 3. *n.* 192. & 202.

86 Qu. V. An licite, & valide abſolvatur, antequam fiat ſatisfactio partis, ſi re bene examinata, non ſatis conſtet, utrum in crimine intervenerit læſio partis?

℞. Affirmative, quia poſſeſſio ſtat pro pœnitente in hoc dubio. Debet tamen ſerio promittere, & ut quidam volunt, etiam cum juramento, ſe ſatisfacturum, quotieſcumque conſtiterit, revera partem læſiſſe. Vid. Dian. *R.* 59. §. 2. *Trull. dub.* 18. *n.* 3. *Tambur.* §. 7. *n.* 5. *Salm. cit. n.* 202. Si vero res deducta ſit ad forum judiciale: *Vid. dicta* §. 1. *qu.* 11.

Qu. VI. An poſſit abſolvi parte non ſatisfacta, ſi hæc immerito non ſit contenta ſatisfactione oblata? 87

℞. Affirmative. Vid. Ludov. a Cruc. *cap.* 4. *dub.* 4. *Trull. dub.* 10. *n.* 8. Tambur. §. 7. *n.* 4. Si vero res deducta ſit ad forum contentioſum: Vide dicta §. 1. qu. 11.

Qu. VII. An poſſit abſolvi qui non poteſt ſatisfacere? 88

℞. Affirmative Vid. Dian. *R.* 58. & 59. Bardi *Sect.* 7. *n.* 69. Tambur. §. 7. num. 5.

Nota hic 1. impotentiam, quæ excuſat a reali ſatisfactione, non oportere eſſe ſimpliciter impotentiam, ſed ſufficere, ut penſatis omnibus circumſtantiis, prudenti judicio pœnitens excuſandus ſit a reſtitutione; ſeu reparatione damni, vel ex toto, vel ex parte: eo modo, quo Autores ratiocinantur in materia reſtitutionis, in qua ad excuſandum debitorem, non requirunt impotentiam ſimpliciter, ſed contenti ſunt de impotentia illa, per quam prudenter ſit differenda reſtitutio; ita Bardi.

Nota 2. quod ſi, qui nunc eſt impotens ſatisfacere, probabiliter credatur aliquando futurus potens; debet, ſi abſolvatur pro foro externo, an-

antequam abſolvatur, præmittere cautionem de ſatisfaciendo, ideſt debet dare Pignus; & ſi hoc non poteſt, debet dare fideijuſſionem, & ſi hanc non valet, debet cum juramento promittere ſe ſatisfacturum. Vid. Bard. ſect. 8. Salmantic. n. 199. Ab eo item, qui pro foro tantum interno abſolvitur, plerique eadem requirunt, alii vero ſimplicem promiſſionem; quorum ſententiam dicit eſſe probabilem Tambur. l. cit. excepto delicto dandi cauſam interdicto, quando in periculo mortis conceditur delinquenti Sacramentum pœnitentiæ.

Si vero impotentia non ſolum eſt præſens, ſed moraliter certo prævidetur ſemper eſſe futura: nihil requirendum a pœnitente; nam res fruſtranea requireretur: ut bene obſervat Tambur.

Nota 3. etiam eum, qui in articulo mortis beneficium abſolutionis accepturus eſt virtute Bullæ, ſi commode poteſt, realem ſatisfactionem præbere teneri, & aliter abſolvi non poſſe; ſi vero aliquod adſit impedimentum, ratione cujus realiter ſatisfacere non valeat, cautio ab illo neque exigenda, neque præſtanda eſt, ſed ſatis erit, ſi hæredibus, aut aliis onus ſatisfaciendi in Teſtamento relinquat; id enim ita præſcribitur in Bulla, dum in ea dicitur, quod *dato impedimento, per hæredes, aut alios ſatisfactio fiat*.

89 Qu. VIII. Abſolutus ex privilegio Bullæ non ſatisfacta parte, ſed ſola juris data cautione prædicta, ſi deinde, cum potuerit, non ſatisfaciat, utrum reincidat in excommunicationem?

℞. Affirmant nonnulli. Sed dicendum eſt: in nullam reincidere, licet graviter peccet. Vid. Ludov. a Cruc. *diſp.* 1. *c.* 4. *dub.* 8. Tambur. §. 7. 6. Dian. *R.* 59. §. 3. Salmantic. num. 201.

Qu. IX. An ex privilegio Bullæ abſolutus a Confeſſario ſatisfacta parte, abſolutus ſit pro foro etiam externo? 90

℞. Negative. Vide Salmantic. in append. *tr.* 6. de Bulla Cruc. c. 6. pu. 3. a n. 187. & dicta §. 1. qu. 10.

SUBSECTIO IV.

De privilegio, ſeu conceſſione Indulgentiarum, & participatione bonorum operum.

SUMMUS Pontifex fidelibus erogantibus certam eleemoſynam in ſubſidium Belli contra Infideles, hoc eſt, Bullam Cruciatæ vivorum, ſeu communem ſumentibus miſericorditer relaxat in Domino quindecim annos, & totidem Quadragenas de injunctis eis, & quomodolibet debitis pœnitentiis, & amplius omnium precum, eleemoſynarum, peregrinationum, etiam Hieroſolymitanæ, cæterorumque bonorum operum, quæ fiunt in univerſali militanti Eccleſia, & in ſingulis ejus membris, vult eſſe participes toties, quoties intra annum publicationis Bullæ ultra prædictam erogationem, diebus jejunio alias non ſuppoſitis, jejunium aſſumpſerint voluntarium, vel ſi jejunare legitime impediti fuerint, aliud opus pium arbitrio proprii Confeſſarii, vel Parochi fuerint exequuti, ad implorandum Divinum auxilium pro Chriſtianorum Principum unione, & victoria contra Infideles. 91

Et ſi ultra voluntaria jejunia, vel pia opera prædicta, preces prædictas, etiam devote recitaverint in lo-

loco, ubi eos morari contigerit, intra annum publicationis Bullæ, ſingulis diebus Stationum almæ Urbis, & extra illius muros, quinque Eccleſias, ſive Altaria, ſeu ſi ibi tot Eccleſiæ, ſeu Altaria non fuerint; quinquies unum, vel unam, Altare, ſeu Eccleſiam, preceſque ad Deum ſimiliter pro unione, & victoria prædictis devote fuderint, omnes, & ſingulas indulgentias tam pro ſe, quam per modum ſuffragii pro perſonis, quæ in Chriſti charitate deceſſerint, pro quibus viſitaverint, conſequuntur, quas conſequi poſſent, ſi iiſdem diebus ſingulas Eccleſias dictæ Urbis, & extra illius muros hujuſmodi, pro eiſdem Stationibus, & Indulgentiis conſequendis deputatas perſonaliter viſitarent.

Denique concedit eiſdem, ut per quemlibet approbatum ab Ordinario Sacerdotem non modo a cenſuris omniumque culparum reatu abſolutionem, (ut ſubſec. præc. eſt explicatum), ſed & pœnarum omnium Indulgentiam plenariam ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo intra annum publicationis Bullæ valeant obtinere. Quod ſi dicto anno durante contingat, vel ob repentinam mortem, vel Confeſſorum abſentiam ſine Confeſſione decedere; modo contriti deceſſerint, & prius ſtatuto tempore confeſſi fuerint, & neque hujus conceſſionis fiducia negligentiores fuerint, plenariam nihilominus, ut ſupra, remiſſionem conſequantur.

Ne vero tantæ expeditionis effectus impediatur, tribuit Pontifex Generali Commiſſario Bullæ generalem facultatem ſuſpendendi omnes Indulgentias ſimiles, vel diſſimiles iis, quæ in Bulla Cruciatæ conceduntur in locis, ubi illa publicatur: exceptis tamen conceſſis Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad eorum Fratres tantum. Sed ſuſpenſas indulgentias præfatum Commiſſarium revalidare poſſe, concedit reſpectu ejus, qui habet Bullam Cruciatæ.

Ex his habes, in Bulla Cruciatæ concedi Indulgentiæ genera tria. Primo conceditur Indulgentia annorum quindecim, & totidem quadragenarum dierum, nec non participatio bonorum operum, quæ fiunt in Eccleſia, & in ſigulis fidelibus. Secundo conceduntur indulgentiæ Romanarum Stationum. Tertio indulgentia plenaria ſemel in vita, & ſemel in morte intra annum, quo durat Bulla.

Ad lucrandam vero indulgentiam primi generis, & participationem bonorum operum, exigitur jejunium in diebus alias jejunio non ſuppoſitis, hoc eſt jejunium voluntarium, vel ſi hoc ſervari nequeat, præſtetur aliquod opus pium arbitrio Confeſſarii, vel Parochi: exigitur item oratio pro unione Chriſtianorum Principum ad præliandum prælia Domini contra Infideles, & pro victoria contra eoſdem Infideles. Hæc indulgentia, & participatio obtineri poteſt toties quoties repetantur jejunium, & oratio prædicta.

Ad lucrandam Indulgentiam ſecundi generis, videlicet Stationum, requiritur viſitatio quinque Eccleſiarum, ſive Altarium; quod ſi in loco tot Eccleſiæ, ſeu Altaria non fuerint, exigitur quinquies repetita viſitatio unius Altaris, ſeu Eccleſiæ. Exigitur inſuper oratio pro unione & victoria prædictis.

Ad lucrandam Indulgentiam tertii generis, ſcilicet plenariam ſemel in vita, & in morte, nullum ſpeciale opus

opus exigitur præter erogationem eleemoſynæ in ſubſidium Belli contra infideles, ſeu præter acceptionem Bullæ Cruciatæ communis: niſi forte confeſſio ſacramentalis, etiam in articulo mortis ab eo, qui in dicto articulo confiteri poſſit: ſecus ſi in eo confiteri non valeat, quia nullus adſit Sacerdos, vel repentina morte decedat: ut conſtabit ex dicendis §. 3. qu. 1. Porro ſuper his quam plura dubia moveri poſſunt, quæ a nobis hic ſolvenda ſunt diſtinctis §§. vitandæ confuſionis gratia.

§. I.

De Indulg. 15. annorum & 15. quadragen. & participat. bonorum operum.

92 Qu. I. An hæc Indulgentia, & participatio valeat obtineri per jejunium debitum ex pœnitentia impoſita a Confeſſario?

℟. Negative reſpondent huic quæſito Bardi in *Bull. Cruc. par.* 2. *tr.* 4. *cap.* 3. *ſect.* 1. *n.* 3. Tambur. *in Bull. cap.* 9. §. 3. *n.* 2. & alii, ea ratione ducti, quod tale Jejunium non ſit voluntarium, & ex propria devotione aſſumptum; & ob eandem rationem negant etiam prædicti Auctores de Jejunio ex præcepto Eccleſiæ. Atqui ego ſtatim ab iis ſciſcitarer: quid ergo putant de Jejunio quadrageſimali? num dicent, neque in hoc dari locum hujuſmodi Indulgentiæ conſequendæ? at rem arduam dicent, ſi pro eo tempore uſum privilegii negabunt, pro quo maxime inductum eſt. Rurſus percontabor; quid de Jejunio Quatuor temporum, & Vigiliis Sanctorum? num neque in his locum eſſe dicent præfatæ Indulgentiæ? at mihi parum ſuadibile videtur voluiſſe Pontificem hanc gratiæ largitatem illis diebus inhibitam, quibus conſentaneam magis exiſtimare oporteret.

Itaque mea ſententia eſt: Pontificem voluiſſe, ut in die qua quis lucrari velit præfatam Indulgentiam, jejunium faciat; & quia ejuſdem Indulgentiæ participationem non ſolum in Quadrageſima, ſed toties quoties ad libitum fidelium concedere volebat; idcirco ſtatuit, quod ſi illam in diebus jejunio alias non ſuppoſitis conſequi vellent, tum in his voluntarium ipſi ſibi indicerent jejunium. Quod non eſt dicere: in diebus alias jejunio ſuppoſitis non eſſe locum indulgentiæ: Sed eſt dicere: Volenti conſequi hanc Indulgentiam jejunandum eſt; adeoque ſi in die velit, quo aliunde non eſt jejunandum, jejunare ipſe debet ex propria voluntate. Ex his habes facto quæſito meam reſponſionem affirmativam.

Sive ergo Jejunium urgeat ex Pœnitentia impoſita a Confeſſario, ſive ex præcepto Eccleſiæ, ſive ex Voto particulari, confert ad conſecutionem hujuſce Indulgentiæ; id unice curandum, ut ſi dies, in quo lucrari illam velis, non ſit jejunio aliunde ſuppoſitus, voluntarie jejunes: id enim clare & enucleate præſcribit Sum. Pontifex; ut qui lucrari velint hanc Indulgentiam *diebus jejunio alias non ſuppoſitis* jejunium aſſumant voluntarium. Quæ verba, neſcio qua ratione Tamburinus detorſerit ad intelligendum, quod ex mente Pontificis clare pateat, non eſſe locum huic Indulgentiæ *diebus Jejunio ſuppoſitis*; niſi forte pro iis, qui vel ratione ætatis; vel ex alia legitima 93

cauſa tali præcepto non tenentur, & tamen jejunare velint.

94 In quo tamen majoris abſurditatis arguendus eſt: nam ſi ab ipſo quæras; utrum qui tenetur præcepto Jejunii Eccleſiaſtici lucrari poſſit hanc Indulgentiam diebus tali præcepto ſuppoſitis? negat aperte: ſi quæras; utrum eamdem Indulgentiam lucretur, qui jejunat ex Voto? non audet negare: quia hic cenſeretur jejunare voluntarie. Atqui nonne hoc abſurdiſſimum eſt cogitare; Pontifici Maximo Catholicæ Eccleſiæ Capiti, theſauroſque Eccleſiæ in conceſſione Indulgentiæ largienti, ſolum Jejunium ex Eccleſiæ præcepto faciendum viluiſſe in tantum, ut dies dumtaxat illi ſuppoſitos ab hujus beneficii conſecutione excluſerit; valide interim & utiliter jejunantibus ad ipſam conſequendam, quotquot voluntarie faciunt? Dicere (ut dicit Tamburinus) id factum fuiſſe a Pontifice ad commendationem Jejunii, ſeu ad alliciendam maxime Juventutem ad ſuſcipienda voluntaria Jejunia; eſt fingere rem ab omni propoſito alienam; Bullæ enim Cruciatæ intentum eſt non ad Jejunium allicere (pro quo potius multas inducit diſpenſationes, & lenimetra) ſed ad Bellum contra Infideles. Adde quod eadem Bulla maxime pro Quadrageſima ſumitur, & idcirco Quadrageſima adventante promulgatur; non ergo videtur mens Pontificis eſſe, ut privilegium ſeu favor Indulgentiæ pro eo tempore non valeat, pro quo potiſſimum facit.

95 Qu. II. Utrum commutatio jejunii in eo, qui juxta leges Theologiæ Moralis excuſantes a jejunio, legitime judicetur, jejunare non poſſe; poſſit fieri auctoritate propria.

℞. Negative, ſed omnino arbitrio Parochi proprii, aut Confeſſarii proprii. Trull. *l.* 1. §. 5. *dub.* 1. *n.* 6. Tambur. *n.* 4. Bardi *c.* 3. *ſect.* 1. *fine*.

Qu. III. An Parochus ſeu Confeſſarius, cujus arbitrio remittitur commutatio hujus jejunii, poſſit commutare in aliud quodcumque opus etiam minimum, & nullam habens cum jejunio proportionem? 96

℞. Negative. Profecto arbitrium in jure ſemper debet eſſe rationabile; ideo commutatio debebit fieri prudenter juxta aliquam proportionem ad jejunium, ſpectata qualitate Perſonæ; ita Tambur. num. 4. Salmant. *in append. tr.* 6. *de Bull. Cruc. c.* 3. *pu.* 5. *n.* 158. Exempla autem legitimæ commutationis tria proponuntur a Trull. cit. *n.* 6. fine; videlicet, eleemoſyna, flagellatio proprii corporis, & viſitatio Hoſpitalium.

Qu. IV. An poſſit commutari in orationem? 97

℞. Affirmat Rodrigu. & Lud. a Cruce *diſp.* 1. *c.* 8. *dub.* 11. *n.* 4. Et quidem commutari poſſe, dicit, in orationem, quæ hic injungitur; hæc autem eſt pro unione, & victoria. Intellige bis orando ob prædictum finem. At negat Trull. *cit. n.* 6. & Galleg. apud Tambur. num. 5. quia Pontifex præter orationem exigit aliud opus diſtinctum; quod licet concedat, eſſe ſaltem tutius, Tambur. dicit tamen, ſe non videre; unde ita opera duo diſtincta exigat Pontifex, ut non poſſit jejunium per replicatam orationem compenſari.

Ego vero omnino adhæreo ſententiæ negativæ, ſi ſermo ſit de oratione expreſſe, & formaliter pro unione & victoria. Si autem ſermo ſit de alia longiori oratione vocali, vel

vel maxime de oratione mentali circa aliquod myſterium, ſeu articulum fidei, ſive virtutem aliquam, & quid ſimile ad animæ profectum meditari conſuetum, non dubito quin commutari optime poſſit jejunium in hujuſmodi aliud opus pium, tum quia eſt diverſum ab oratione prædicta pro unione &c. tum quia habet multam proportionem cum jejunio: de frequenti enim meditatione dicitur Eccleſiaſtes 12. *frequens meditatio carnis afflictio eſt*.

98 Qu. V. Utrum oratio, quæ fieri debet pro unione, & victoria, debeat eſſe omnino vocalis, vel poſſit eſſe mentalis?

℞. Quod poſſit eſſe mentalis. Vid. Trull. *cit. dub.* 1. *nu.* 5. Bardi *c.* 3. *ſect.* 2. *n.* 8. Lud. a Cruc. *cit. n.* 4. Dian. *edit. coord. tr.* 3. *R.* 148. §. 2. Mendo *diſp.* 19. *c.* 2. Tambur. *n.* 7. Plaz. *de Purgator. par.* 2. *art.* 5. §. 9. *n.* 25. Tutius autem erit, ſi fiat vocalis. Vid. La Croix *lib.* 6. *par.* 2. *qu.* 202. §. 1. *n.* 1421.

99 Qu. VI. Utrum vi harum Indulgentiarum relaxentur pœnæ pro aliquo debito a Judice Eccleſiaſtico impoſitæ? Ratio dubitandi eſſe poterit, quia a Pontifice hic univerſaliter conceditur remiſſio de pœnitentiis *quomodolibet* debitis.

℞. Negative. Hic itaque ſolum ſermo eſt de pœnitentiis, per quas Deo pro peccatis commiſſis eſt ſatisfaciendum, non item de pœnis, quæ ſpectant forum externum, & non ſunt per modum cenſuræ, ſed dumtaxat per modum ſolius pœnæ in punitionem commiſſi criminis; hinc neque ſatisfit pro pœnitentiis injunctis a ſacra Pœnitentiaria, & ſimilibus. Vide Bardi *c.* 1. *ſect.* 4. Tambur. *c.* 9. §. 1. *n.* 4.

Qu. VII. De participatione bonorum operum, quæ hic conceditur præter Indulgentiam: an Pontifex per hoc privilegium concedat aliquod ultra jus commune *Communionis Sanctorum*; & quodnam illud ſit? 100

℞. Nimium in hac quæſtione decidenda laborant Auctores; ſed nihil certi tradunt, invenies quidem a Lud. a Cruc. *diſp.* 1. *c.* 8. *dub.* 15. *n.* 14. Trull. *l.* 1. §. 5. *dub.* 2. *n.* 7. Bardi *c.* 2. *ſect.* 1. *nu.* 7. Salmantic. *in app. tr.* 6. de Bull. Cruc. *c.* 3. *qu.* 5. *a num.* 162. explicationem quamdam hujus privilegii fieri, qua licet alia melior non occurrat, ut Tambur. fatetur c. 9. §. 2. fine, idem tamen affirmat, illam gratis videre confictam: unde concludit, dari quidem ejuſmodi communicationem per Bullam, quandoquidem ſic expreſſe conceditur a Pontifice: ſed quod ipſe potius diceret: quænam ſit ignorari, donec Deus dignetur per aliquem, qui ipſi placuerit, declarare.

§. II.

De Indulg. Stationum.

Qu. I. Quid in præſenti veniat nomine Stationum? 101

℞. Stationes ſunt devotæ viſitationes nonnullarum Eccleſiarum urbis Romæ certis determinatiſque diebus faciendæ, quas qui fecerint, Indulgentiam conſequuntur. Deinde Summus Pontifex ſingulari quodam beneficio ſumentibus Bullam Cruciatæ, ſicut & nonnullis aliis privilegiatis; de quibus inferius dicendum, concedit, ut etiam extra Urbem iiſdem Indulgentiis fruantur, ac ſi perſonaliter viſitarent ipſas Urbis Eccleſias, in quibus Stationes habentur in diebus

bus

bus deſignatis, ſi certa quædam opera injuncta præſtiterint, puta quinque Eccleſias, ſeu Altaria viſitaverint, certaſque preces ad Deum devote fuderint; quæ duo quidem exiguntur a volentibus lucrari indulgentias Stationum ex privilegio Cruciatæ, ut cônſtat ex dictis ſubſectionis hujus initio n. 91.

Hujuſmodi autem Viſitationem Templi *Stationem* Noſtri dixere Majores, ſumendo hanc vocem in ea ſignificatione, qua uſurpavit Tullius *ad Atticum lib. 6. epiſt. ult. fine*; videlicet pro temporaria habitatione, vel etiam a ſtando: eo quod in hujuſmodi viſitationibus chriſtianus populus ſtare conſueverit, de militari exemplo accepto nomine, ut tradit Tertullianus in *lib. de orat. fine* dicens: *Si ſtatio de militari exemplo nomen accipit (nam & militia Dei ſumus) utique &c.*. Lege caput 13. & 14. lib. 1. Regum, ubi ſæpe militaris Stationis mentio fit. Sciendum igitur eſt, Veteres Romanos Pontifices ſtatis quibuſdam diebus ad diverſas Urbis Romæ Eccleſias accedere ſolitos, ubi ſermone vel concione ad Populum adſtantem habita, & oratione ad Deum facta (quæ fere ſtando fiebat, ſeu erecto corpore; habebantur enim hujuſmodi ſacri Conventus, fere Dominico die, & potiſſimum inter Paſcha, & Pentecoſten, quibus temporibus omnes, exceptis publicis pœnitentibus, ſtabant ad orandum; de quo ritu egimus tr. 1. ubi de Dom. art. 7. & iterum agemus hoc tr. 2. lib. 5. par. 1. c. 3.) Oratione, inquam, ad Deum facta, Divina myſteria poſtea cum Clero, & populo Romano celebrantes participabant. Et hujuſmodi quidem Stationes, ſeu Sacri Conventus Populi Chriſtiani plerumque in Veſperam uſque producebantur; ut Tertullianus ſcribit in lib. *de Jejunio* adverſus Pſychicos, initio.

Scripſit de his Stationibus, earumque varietate, & aliis eo pertinentibus Onophrius Panvinius, ad quem recurret, qui particularem de iiſdem notitiam deſideraverit; videri etiam poteſt Jo. Beleth *de div. offic. c. 6.* Durand. *in Ratio. div. offic. lib. 7. c. 1. a n. 20.*

Qu. II. Utrum hujuſmodi Indulgentiæ Stationum poſſint obtineri quotidie? 102

℞. Affirmat Bardi *c. 4. ſect. 1. n. 5.* Salmantic. in *app. Tr. 6. de Bul. Cruc. c. 3. pu. 3. n. 112.* Tamb. *c.* 10. paulo poſt initium n. 2. qui citat etiam Galleg. & Caſtrop.

Negat autem Trullench *lib. 1. §. 6. dub. 1. n. 7.* Et noviſſime Plazza de *Purgator. par. 2. art. 5. §. 10. n. 3. &* 57. Quibus ego ſubſcribo. Dico itaque: non ſingulis anni diebus Indulgentias Stationum Urbis lucrari eos, quibus communicatæ ſunt etiam per Bullam Cruciatæ, ſed certis ſolum determinatiſque diebus in Miſſali Romano deſcriptis, & ipſa Cruciatæ Bulla notatis. Conſtat ex declaratione Sacræ Congreg. Indulg. confirmata ab Innocentio XI. 7. Martii 1678. quæ videri poteſt apud Gobat *to. 2. tr. 4. c.* 37. fine, & apud La-Croix *lib. 6. par. 2. qu. 189. a n.* 1367. & apud Salmantic. *l. cit. n.* 113. In hujuſmodi declaratione, & decreto, quod eſt de Indulgentiis apocryphis, ſic in ultimo paragrapho legitur: *Indulgentias Stationum Urbis, quæ a Romanis Pontificibus ſingulari quodam beneficio vel communicatæ ſunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, ordinibus, aut perſonis, diebus tantum Sta-*

Stationum in Miſſali Romano deſcriptis ſuffragari poſſe declarat.

Item ſententiæ negativæ, uti Trull. obſervat, favent verba Bullæ latinæ in fine illius, ubi in facultate, quam concedit Commiſſario vertendi Bullam Latinam in vulgarem linguam, ſubditur: *Additis etiam nominatim pro ſingulorum notitia diebus Stationum totius anni, intra, & extra muros hujus almæ Urbis:* Jam vero ſi ſingulis diebus eſſent Stationum indulgentiæ, non erat, cur Pontifex hanc aſſignationem dierum commiteret Commiſſario? & non erat, cur diceret: viſitantes *ſingulis diebus Stationum almæ Urbis* &c.? ſed ſatis fuerat dixiſſe: viſitantes *ſingulis diebus totius anni*. Inſinuat ergo aperte Pontifex non omnibus, ſed certis ſolum quibuſdam anni diebus fieri Stationes, & concedi indulgentias Stationum, de quibus agimus.

103 Sed dices 1. Allegatum Decretum Innocentii XI. ſolum loquitur de conceſſione indulgentiarum Stationum, quando abſolute, & ſine aliquo addito, aut majori explicatione conceduntur; non vero quando præter indulgentias Stationum, prout in Miſſali Romano deſcribuntur, aliæ etiam in conceſſione ſuperaddantur, ut contingit in Bulla, in qua Commiſſarius poſt indulgentias Stationum ante Miſſarum Introitum appoſitarum, alias omnes, quæ totius anni decurſu Romæ habentur, aſſerit obtineri; ut teſtatur Bardi l. cit. ubi hæc habet. .... Licet in præcedentibus Bullis non fuerint aſſignatæ Stationes pro ſingulis diebus totius anni; nihilominus nunc in Bullis præſentibus quotidie acquiri poſſunt Indulgentiæ Stationum, ut admonetur in fine Bullæ italicæ; nam aſſignatis quibuſdam diebus, ſic dicitur: *Tutti gli altri giorni dell' anno ſi guadagnano l' Indulgenze, che in Roma, per eſſervi in quella Stazione ogni dì*. Hæc Bardi. Ergo &c.

℟. Hoc, quod apud Bardi legitur, & objicitur, jam iſtud in Bullis præſentibus non amplius legitur, nec apparet. Quod ſi in ſui temporis Bullis legebatur, proculdubio id factum fuit, quia illius ævi Commiſſarius Generalis Bullæ adhærere poſſe putavit eorum opinioni, qui exiſtimaverant Indulgentias Romanas accipientibus Bullam Cruciatæ communicatas acquiri poſſe quotidie. Quæ tamen opinio non placuerat præcedentibus Commiſſariis, unde, ut ſignificat Trull. & ipſe Bardi fatetur, in præcedentibus Bullis illud non legebatur, ſed ſolum deſignabantur, ut nunc fit in Bullis præſentibus, & numerabantur certi quidam, determinatique dies, in quibus tantummodo Stationum Indulgentia lucrifieri poſſet. Atque adeo decidit totum fundamentum, cui objectum innitur argumentum.

Dices 2. Ex una parte Stationes non ſolum dicuntur quando ſolemnis Proceſſio fit ab una Eccleſia ad aliam, verum etiam dum intra eamdem Eccleſiam ab uno Altari in aliud ordinatur Proceſſio. Hoc autem ſenſu omnibus anni diebus Romæ Stationes, ſive intra, ſive extra muros reperiuntur, & in omnibus Indulgentia conceditur aliqua. Ex alia parte vero Pontifex per Bullam concedit omnes, & ſingulas Indulgentias Stationum Romæ, tam intra, quam extra muros, quin hoc ad has, vel illas in particulari reſtringat. Ergo omnes tam in Summario deſcriptas Stationum Indulgentias, quam in il- 104

lo

lo concedit omiſſas. Ergo Indulgentiæ Stationum per Bullam poſſunt acquiri quotidie.

℟. Nego utramque partem antecedentis, & conſequentias inde deductas. Ex Tiullench Indulgentiæ Stationum non ſunt quæ conceduntur, quando Stationes intra eamdem Eccleſiam fiunt ad Altare alicujus Sancti in ejus obſervantiam; nam hæ non ſunt proprie Stationes, de quibus loquitur Bulla, ſed quæ fiunt ad aliquam Eccleſiam. Inſinuant illa verba: *In ſingulis diebus Stationum almæ Urbis:* & infra: *omnes, & ſingulas Indulgentias Stationum intra, & extra muros Urbis prædictæ*. Quaſi dicat: concedi Indulgentias ratione Stationum, quæ fiunt ad Eccleſias intra & extra muros Urbis. Ita Tiull. & hoc quoad primam partem. Alteram vero & ipſam falſam eſſe patet ex allegato Decreto, ſeu declaratione Innocentii XI., ubi Pontifex affirm., Indulgentias Stationum Urbis conſequi poſſe *diebus tantum Stationum in Miſſali Romano deſcriptis*.

105 Qu. III. Quinam ſint igitur dies, quibus acquiri poſſint Indulgentiæ Stationum?

℟. Hujuſmodi dies ſignantur in Miſſali Romano ante officium Miſſæ illius diei, quo Statio occurrit una cum Eccleſia, apud quam Romæ habetur Statio: deſcribuntur quoque in ipſa Cruciatæ Bulla, ut in præcedenti dictum eſt, & nos etiam ſuis locis notavimus, & notabimus. Sunt autem omnes Dominicæ Adventus, quæ ſunt quatuor. Deinde Vigilia Nativitatis Domini, ejuſdemque dies Natalis cum tribus ſequentibus feſtis diebus S. Stephani, S. Joannis, & Innocentium. Item dies Circumciſionis Domini, Epiphania, & Dominicæ Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ, cum omnibus Dominicis, cæteriſque diebus ſingulis Quadrageſimæ. Deinde Paſcha Reſurrectionis, cum tota ejuſdem Octava, uſque ad Dom. in alb. incl. Deinde dies Litaniarum Majorum, & Minorum, Aſcenſionis Dominicæ feſtum, Pentecoſtes Vigilia, ipſumque Pentecoſtes feſtum cum tota ſequenti octava, hoc eſt uſque ad Sabbatum ante Dominicam Trinitatis. Tandem dies Jejunii Quatuor Temporum.

Qu. IV. An in diebus Stationum concedatur Indulgentia plenaria? 106

℟. Valde controverſum eſſe apud Auctores, utrum in diebus Stationum concedatur indulgentia plenaria ex privilegio Bullæ Cruciatæ? Plerique volunt, omnes indulgentias Stationum eſſe partiales, & numquam in diebus Stationum concedi Indulgentiam plenariam. Alii vero contra ſentiunt: in diebus Stationum concedi Indulgentiam plenariam, & non ſolum in aliquibus, ſed in omnibus etiam & ſingulis Stationum diebus. Alii denique opinantur indulgentias Stationum aliquas eſſe plenarias: eas nimirum, quæ deſignantur in Bulla, diebus Stationum in Miſſali Romano notatis; alias vero eſſe particulares in reliquis anni diebus; ſupponit enim iſta ſententia, indulgentias Stationum obtineri poſſe quotidie, atque adeo aliis quoque diebus, ultra illos dies Stationum in Miſſali Romano ſignatos; quod tamen falſum eſſe, probavimus qu. 2.

Commiſſarius Generalis Bullæ Cruciatæ adhærere videtur ſecundæ ſententiæ, dum in Summario Bullæ vulgaris in omnibus, & ſingulis Stationum diebus Indulgentiam plenariam

riam deſignat, eamque ſumentes Bullam, lucrari poſſe, teſtatur. Videatur pro hac quæſtione Lud. a Cruc. *diſp.* 1. *c.* 8. *dub.* 2. Trull. *l.* 1. §. 6. *dub.* 1. *n.* 5. Bardi *tr.* 4. *c.* 4. *ſect.* 3. Diana *edit. coord. to.* 4. *tr.* 3. *R.* 153. Tambur. *c.* 10. *paulo poſt init. n.* 2. Plazza *de Purgat. l. cit. a n.* 58. Salmantic. *c.* 3. *pu.* 3. *a n.* 115.

107 Qu. V. An Indulgentia Stationum acquiri poſſit toties, quoties in die Stationum repetantur opera injuncta?

℞. Affirmant quidam, quorum opinioni, tamquam veriori adhæret Trull. *dub.* 3. *n.* 2. & ut probabiliori Diana *R.* 152. §. 1. & *R.* 153. §. 3. Negant vero Lud. a Cruc. *c.* 8. *dub.* 13. *n.* 10. Tambur. *c.* 10. §. 3. *n.* 2. & 3. atque alii, quorum ſententiam tamquam probabiliorem tuetur Bard. *c.* 4. *ſect.* 4. a *n.* 67. & ut omnino certam Salmantic. *c.* 3. *pu.* 3. *n.* 119. dum affirmativam, dicunt, eſſe improbabilem.

Ego dico: quod ſi Indulgentia Stationis ſit plenaria, negari utique debet, eam lucrifieri poſſe toties, quoties repetatur opus injuctum, poſita declaratione Sacr. Congregationis Indulgentiarum de indulgentiis apocryphis, quam allegavi quæſtione 2. n. 102. in qua declaratione in ultimo ejus paragrapho generaliter declarat S. Congregatio, ſeu Summus Pontifex Innocentius XI. qui decretum illud approbavit, confirmavitque: *Semel autem dumtaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Eccleſiam viſitantibus conceſſam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri*. Quam etiam declarationem S. C. allegant Salmant. l. cit. Unde ſi admittatur illorum ſententia, qui, ut qu. præced. dictum eſt, volunt, non ſolum inter Indulgentias Stationum eſſe aliquas plenarias, ſed omnes eſſe plenarias, eo ipſo univerſaliter decidendum eſt; Indulgentias Stationum ſemel dumtaxat lucrifieri per Bullam in diebus, quibus habentur.

Non negatur tamen poſſe opera pia injuncta repeti ad tutiorem ſe reddendum de acquiſita ſemel indulgentia, ſi forte ob aliquem defectum eam quis lucratus minime fuerit primo, aut ſecundo &c. ſive hoc ſibi conſtet, ſive dubitet; ut bene cum Rodriquez notat Trull. dub. 3. n. 1.

Si autem quis acceperit duas Bullas communes, poſſe quidem ſecundo Indulgentias conſequi Stationum uno, eodemque die, dicemus ſect. 2. fine in app. n. 388. fine.

Qu. VI. An ſemel præſtando hæc opera injuncta, puta ſemel viſitando Eccleſiam, & ſemel orando, poſſint Indulgentiæ Stationum acquiri tum pro ſe, tum pro Animabus Purgatorij? Porro hæc Indulgentia eſt applicabilis Animabus prædictis, ut expreſſe habet Bulla Latina. 108

℞. Negative; ita Trull. *dub.* 4. *n.* 1. Salmantic. *c.* 3. *pu.* 3. *n.* 118. videri etiam poteſt Plazza de *Purgat. par.* 2. *art.* 5. §. 10. *n.* 76. Vult quidem Trull. ibid. poſſe Indulgentias Stationum applicari ſibi, & Defunctis, ſi repetantur opera injuncta; idem dicunt Villalobos allegatus a Diana R. 153. §. 3. & Salmant. l. cit. Verum cum qu. præc. docuerimus negandum eſſe, Indulgentias Stationum acquiri poſſe toties, quoties repetantur opera injuncta: ſaltem poſito, quod ſint plenariæ; ut quidem ponit, & ſentit Trullench, Villalobos, & videtur etiam Diana: ideo dicendum eſt, nec ſi repetatur viſitatio Eccleſiæ, & oratio, poſſe obtineri Indulgentias Stationum ſibi, & animabus Purgato-

gatorii; ſed ſemel, vel pro ſe, vel pro Animamus prædictis.

Putant etiam Trull. Rodriq. & alii, quos ſequuntur Salmant. l. cit., quod quando in Summario Bullæ dicitur: *eo Stationis die animam liberari a pœnis Purgatorii;* tunc eadem viſitatione Altarium, & eadem oratione, lucretur ſibi vivens Indulgentiam, & liberetur anima a Purgatorio; moventur ex eo, quia ſentiunt, id videri, verba ipſa Bullæ inſinuare uſumque fidelium confirmare. Sed contradicit Bardi *c.* 4. *Sect.* 3. *n.* 28. ubi docet; hanc opinionem non eſſe admittendam; quia duplex iſte fructus ejuſdem Stationis abſque fundamento ponitur, & nullus eſt textus, inquit, in quo appareat talis conceſſio.

109 Qu. VII. Quid faciendum, ut Indulgentiæ Stationum proſint Defunctis?

℞. Debet viſitatio Eccleſiarum, ſeu Altarium, & oratio præſcripta fieri hac intentione, ut Indulgentiæ pro ſint Defunctis, quibus quis velit. Vide Bardi *c.* 4. *Sect.* 3. *n.* 26. Tambur. *c.* 10. §. 4. *& c.* 12. §. 2. *n.* 16. Trull. *dub.* 4. *n.* 2. Salmant. *c.* 3. *pu.* 3. *n.* 118. Vid. etiam dicenda art. 2. qu. 9. n. 402.

110 Qu. VIII. An determinato aliquo tempore, ſeu certa hora diei facienda ſit viſitatio Eccleſiarum?

℞. Negative, ſed fieri poteſt qualibet hora diei, vel Eccleſiaſtici, ideſt a primis Veſperis uſque ad occaſum diei ſequentis, ut vult Tambur. *c.* 10. §. 3. *n.* 3. Trull. *dub.* 4. *fine*. Sic e. g. ſi dies Stationis occurrat in Dominica, viſitatio fieri poteſt, juxta laudatos Auctores, qualibet hora a primis Veſperis Dominicæ, quæ ſunt in Sabbato præcedenti, uſque ad occaſum ſequentis diei Dominicæ. Vel qualibet hora diei civilis, ut docent Salmantic. *cap.* 3. *qu.* 3. *nu.* 123. ubi affirmant, diem præfixum ad faciendas viſitationes pro lucrandis indulgentiis Stationum, eſſe a media nocte, ad mediam noctem. Videri poſſunt dicta tr. l. 3. par. 1. c. 5. n. 6. videri etiam poteſt pro ſimili quæſtione Ep. encycl. Bened. XIV. ad Confeſſ. & Pœnitent. in Urbe pro Anno Sancto incip. *Inter præteritos* §. 12. *&* 13. quæ eſt 73. inter ejus Conſtit. ſelect. par. 2.

Qu. IX. An, ubi ſint quinque Eccleſiæ, ſufficiat viſitare quinque Altaria? 111

℞. Affirmative. Lud. a Cruc. *diſp.* 1. *c.* 8. *dub.* 13. *n.* 1. Trull. *lib.* 1. §. 6. *dub.* 2. *n.* 3. *&* 4. fine. Bardi *c.* 4. *Sect.* 4. *n.* 36. Diana *art.* 149. §. 3. Tambur. *c.* 10. §. 1. *n.* 3. Salmantic. *c.* 3. *pu.* 3. *n.* 123. & alii, qui id probant ex ipſa Bulla, quæ relinquit arbitrio privilegiati, viſitare *Quinque Eccleſias, ſive quinque Altaria*. & ſimiliter in Bulla vulgari dicitur: *cinque Chieſe, o cinque Altari*. & rurſus confirmatur ex communi praxi fidelium, etiam doctiorum; & hoc certum eſſe, dicit Tambur. l. cit.

Qu. X. An, qui vult viſitare quinque Altaria, poſſet duo, vel tria viſitare unius Eccleſiæ, reliqua vero alterius, quamvis facile poſſit viſitare quinque unius, & ejuſdem Eccleſiæ? 112

℞. Affirmative, quia Bulla non præſcribit, ut viſitatio quinque Altarium fiat in una eademque Eccleſia, ſed ſimpliciter exigit viſitare quinque Altaria. Bardi l. cit. n. 38. Salmant. l. cit.

Qu. XI. An exiſtentibus quinque Altaribus, ſufficiat viſitare unicum quinquies? 113

℞.

℟. Negative. Bardi c. 4. Sect. 4. n. 41. Tambur. c. 10. §. 1. n. 9.

114 Qu. XII. An, ubi ſit unica Eccleſia, in qua ſint ſolum duo, vel tria Altaria, viſitanda ſint omnia: & per repetitam viſitationem Altarium ſuplendæ, quæ deſunt viſitationes usque ad numerum quinarium?

℟. Videri, eſſe magis ſecundum mentem Pontificis, ſi affirmetur, ait Trull. *lib.* 1. §. 6. *dub.* 2. *n.* 3. cujus quidem ſententiam judicarent probabiliorem Salmant. *c.* 3. *pu.* 3. *n.* 127. qui etiam pro ea allegant Mendo; ſed contradicunt Bardi *c.* 4. *n.* 46. Diana R. 149. §. 3. Ludov. a Cruce *dub.* 13. *n.* 3. qui laudant etiam pro hac negativa ſententia Nunum: eo quod in Bulla abſolute dicatur: in defectu quinque Altarium viſitari poſſe quinquies unum Altare. In horum itaque Doctorum ſententia ſufficiet in poſito caſu, viſitare quinquies unicum Altare, quod libuerit. Verum in praxi ſuadenda eſt ſententia prior.

115 Qu. XIII. Cum in defectu quinque Altarium poſſit unicum quinquies viſitari: utrum hujuſmodi defectus debeat eſſe in uno, eodemque Oppido: an vero ſufficiat eſſe in ea Eccleſia, quæ ut viſitanda ſeligitur?

℟. Defectum quinque Altarium debere eſſe in uno, eodemque Oppido; ita Bardi *l. cit. n.* 46. & *n.* 74. Tambur. *n.* 10. & licet aliqui oppoſitum teneant apud Salmant. *c.* 3. *pu.* 3. *n.* 125. & 126. nihilominus iidem Salmantic. fatentur, hanc ſententiam eſſe tutiorem, & in praxi omnino conſulendam. Et ſic ſi in loco ſint quinque tantum Eccleſiæ habentes ſingulæ unicum Altare, viſitandæ ſunt quinque Eccleſiæ. Si autem ſint duæ tantum Eccleſiæ e. g. habentes tot Altaria, ut ſimul non perveniant ad numerum quinarium, ut ſi una habeat duo, & totidem altera: aut ſi una habeat tria Altaria, altera vero unicum: tunc ſufficiet unius, & ejuſdem Eccleſiæ viſitare quinquies unicum Altare, ſecundum ſententiam illorum Doctorum, quos præced. qu. ſecundo loco allegavimus. Aut in ſententia tutiori ibidem ſignificata, viſitanda ſunt omnia Altaria hujuſmodi duarum Eccleſiarum, quinta viſitatio vero ſupplenda eſt per repetitam viſitationem unius Altaris, in una ex iiſdem Eccleſiis.

Qu. XIV. An ſaltem Moniales clauſtrales, quæ in propria Eccleſia non habeant quinque Altaria; aliique ſimiliter legitime impediti viſitare quinque Eccleſias, vel quinque Altaria, ſatisfaciant viſitando quinquies unicum Altare? 116

℟. Affirmative, quia horum reſpectu perinde eſt, ac ſi in tota Civitate vel oppido non exiſtat niſi unica illa Eccleſia, cujus Altare viſitare unice poſſunt; ita Ludov. cit. *n.* 3. Trull. *n.* 4. fine. Bardi *n.* 44. Tambur. *n.* 11. Salmant. *cit. n.* 126. fine. Quod ſi fuerint plura, quam non quinque Altaria, fieri poteſt, quemadmodum diximus qu. 12. Cæterum pro Regularibus, quorum nomine veniunt etiam Moniales, ſpeciale quoddam privilegium ad lucrandas Indulgentias Stationum referemus hic poſt ultimam quæſtionem n. 129.

Qu. XV. An ſatisfiat, viſitando Altare Oratorii privati, ac domeſtici? 117

℟. Affirmative, ſi Altare ſit dicatum ad divinum cultum, & Sacrificium peragendum, unde ſi quis viſitet quatuor Eccleſias, & pro quinta viſitatione viſitet hujuſmodi Altare, ſatisfaciet; vel ſi ſit in loco,

 ubi

ubi non inveniatur, niſi hoc unicum Altare, vel ſit legitime impeditus ſecundum dicta qu. præc. viſitare quinque Altaria præter hoc unicum, ſatisfaciet, illud quinquies viſitando; ita Trull. *dub.* 2. *n.* 2. Bardi *n.* 32. & 39. Tambur. *n.* 2. & 8. Salmant. *c.* 3. *pu.* 3. *n.* 122.

118 Qu. XVI. Si in Eccleſiam non ſit facile ingredi præ multitudine populi illam implentis, an valeat pro viſitatione Eccleſiæ, ſi quis oret extra illam, illi multitudini junctus?

℞. Affirmative. Lud. a Cruc. *diſp.* 1. *c.* 8. *dub.* 13. *n.* 5. Trull. *dub.* 2. *nu.* 3. Dian. *R.* 151. §. 3. Tambur. *c.* 10. §. 1. *nu.* 16. Salmantic. *c.* 3. *pu.* 3. *n.* 129. Plaz. de Purg. *par.* 2. *art.* 5. §. 9. *n.* 23. & alii multi.

119 Qu. XVII. An in prædicto caſu prædictæ multitudini junctus quis, & foris ſtans poſſit valide viſitare quinque Altaria unius, & ejuſdem Eccleſiæ?

℞. Affirmative, ſi quidem Altaria ſint in proſpectu ejus; ſecus negative; unde ſi duo tantum v. gr. Altaria habeat in proſpectu, viſitatio non valebit niſi pro duobus Altaribus. Vid. Trull. l. cit. Salmant. loc. cit. Bardi c. 4. ſect. 9. nu. 53. Tambur. num. 16. & 17. Dian. R. 151. §. 3.

120 Qu. XVIII. Si Eccleſia ſit clauſa, an poſſit quis viſitare Altaria ſtans foris?

℞. Negative. Tambur. n. 15.

121 Qu. XIX. Si Eccleſia ſit clauſa, & quis oret ante illus oſtium, an ſatisfaciat ſaltem uni viſitationi Eccleſiæ?

℞. Videtur quod ſic; ita Tambur. n. 15. Plaz. n. 22. cum aliis.

122 Qu. XX. An ſatisfaciat viſitationi Altaris, qui illud non videt ob aliquod impedimentum minime accidentale, puta, quia intermediet paries?

℞. Negative, quia non dicitur moraliter præſens altari. Tambur. num. 18. Satisfaciet autem, ſi quis orat in loco, ubi ſublatis impedimentis accidentalibus poſſet illud videre, puta ſi illud non videat, quia ipſe eſt genuflexus, & ante illum ſint multi ſtantes. Vid. Plaz. n. 29.

Qu. XXI. An ſatisfaciat viſitationi Altaris, qui notabiliter diſtans ab illo, oret in ipſa Eccleſia? 123

℞. Negative, ſi ita diſtet, ut in morali exiſtimatione nequeat dici præſens Altari; ita Bardi n. 53. fine, Tambur. nu. 18. ſatisfaciet autem, ſi Eccleſia ſit plena populo orante, quia tunc omnes faciunt unum moraliter. Tambur. l. cit.

Qu. XXII. An qui viſitat quinque Altaria in una & eadem Eccleſia, debeat ſe movere de loco ad locum, ſeu de uno Altari ſe conferendo ad aliud: aut ſaltem ſe illi convertere? 124

℞. Nonnulli putant abſolute ſufficere, ſe tantum corde movere; hoc eſt ſola mente diſtinguere unam viſitationem ab alia nullo facto motu corporis. Alii ſolum id admittunt in caſu neceſſitatis, ex qua non valeat quis ſe aliquo modo movere, ut facile ſolet accidere orantibus in Eccleſia plena populo. Alii vero requirunt aliquem motum corporis, & certum ejus ſitum verſus illud Altatare, quod viſitatur, convertendo ſe ex eodem loco, in quo fixus orat quis ad quodlibet Altare, pro qualibet viſitatione. Quæ quidem ſententia eſt probabilior, & in praxi ſuadenda. Illud certum eſt, non opus eſſe exire ab Eccleſia, & in il-

illam denuo ingredi ad diſtinctionem quincuplicis viſitationis Altarium; nec ex uno Altari proxime accedere ad aliud. Vid. Lud. a Cruc. *dub.* 13. *n.* 4. Trull. *dub.* 2. *n.* 4. Bardi *c.* 4. *ſect.* 4. *n.* 48. & 49. Tambur. *c.* 10. §. 1. *n.* 13. *&* 14. Diana *R.* 149. *&* 50. Plaz. *l. cit. nu.* 24. *&* 25. Salmant. *c.* 3. *pu.* 3. *n.* 128. La Croix *l.* 6. *par.* 2. *qu.* 204. §. 3. *n.* 1433.

125 Qu. XXIII. Qui viſitat quinquies unicum Altare, quomodo diſtinguere debet viſitationes?

℞. Vel corde, & per ſimplicem repetitionem orationis: ut aliqui volunt; vel per aliquem motum corporis, puta erigendo ſe, & iterum genufleCtendo ad quamlibet repetitam viſitationem, vel ſaltem aliqua corporis inclinatione, vel ſolius capitis inflexione. Quod eſt probabilius. Vide Auctores qu. præc. laudatos locis ibi cit.

126 Qu. XXIV. Præter viſitationem Eccleſiarum, ſeu Altarium imponitur oratio: quid orandum?

℞. Orandum pro Chriſtianorum Principum unione contra Infideles, & pro victoria contra eoſdem Infideles; conſtat ex Bulla; vid. dicta initio hujus ſubſ. 4. n. 91. Rudibus autem hominibus ſatis erit, ſi intendant orare ſecundum Pontificis mentem. Vid. Trullench. *dub.* 2. *n.* 5. Tambur. §. 2. *nu.* 3. Salmant. *c.* 3. *pu.* 3. *n.* 121. Bardi *c.* 4. *ſect.* 4. *n.* 61. Plaz. §. 9. *n.* 27. & dicta 2. Aug. n. 9. Obſervo hic, nonnullos Auctores, ut mox qu. 26. dicetur, ſuadere, ut recitetur per aliquas vices oratio Dominica, & ſalutatio Angelica; vel ſignificare recitandas eſſe, ſeu fundendas, neſcio quas preces; & primum quidem merum conſilium eſſe debet; nam Pontifex id non exigit a privilegiatis hujus Bullæ. Secundum vero ſi eſt quid diſtinctum ab oratione pro unione, & victoria, gratis exigitur: nam Pontifex ſimpliciter requirit hanc determinatam orationem, & nullam aliam præter illam. Unde oratio, quæ fundenda eſt vel expreſſe, vel virtualiter debet eſſe pro unione, & victoria prædictis, & hæc ſola ſufficiet.

Qu. XXV. An hæc oratio debeat eſſe omnino vocalis, vel poſſit eſſe mentalis? 127

℞. Eſſe poſſe mentalem, uti pro eadem oratione fundenda ad effectum lucrandi indulgentiam 15. annorum &c. decidimus §. 1. qu. 6. cum Auctoribus ibi laudatis; & vide iterum Trull. §. 6. *dub.* 2. *n.* 6. *&* 7. Bardi n. 62. Tambur. §. 2. n. 3. Licet Salmantic. loc. cit. cum Lugo dicant, tutius eſſe, ſi fiat, ſeu miſceatur vocalis; & videri etiam poteſt La-Croix lib. 6. p. 2. qu. 202. §. 1. n. 1421.

Qu. XXVI. Quanto tempore debeat orari in qualibet viſitatione Eccleſiæ, ſive Altaris? 128

℞. Non determinatur, ſed proprio arbitrio, ſeu devotioni relinquitur. Auctores paſſim ſignificant orandum ſpatio unius ſaltem, aut duplicis orationis Dominicæ, & ſalutationis Angelicæ in qualibet viſitatione Eccleſiæ, ſeu Altaris, & ſuadent etiam recitare hujuſmodi orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam, ut qu. 24. ſignificavimus. Quod quidem confirmat fidelium praxis. Vid. Trull. §. 6. *dub.* 2. *n.* 6. Tamb. §. 2. *n.* 4. Salmantic. *cap.* 3. *pu.* 3. *n.* 121. fine, qui etiam cum aliis ſuadent, recitare quinquies orationem Dominicam, & toties ſalu-

lutationem Angelicam ſimul cum *Gloria Patri* in qualibet viſitatione Eccleſiæ, vel Altaris. Quas tamen orationes vocales non eſſe neceſſario recitandas ad lucrandas has indulgentias, notavimus cit. quæſt. 24. Viſitandæ autem ſunt Eccleſiæ, ſeu Altaria *devote*, ut dicitur in Bulla; unde cavendum eſt, ne viſitationes, & orationes fiant cum immodeſtia, vel confabulando, vel ad finem aliquem non bonum vid. Tambur. *loc. cit. n.* 1. & Bardi c. 4. ſect. 4. a n. 55. Salmantic. *c.* 3. *pu.* 3. *n.* 121.

129 Denique antequam progrediamur ad alia, nota hic: præter privilegiatos ex Bulla Cruciatæ eſſe alios, qui lucrari poſſunt Indulgentia Stationum Urbis, etiam non viſitantes Urbis Eccleſias. Hujuſmodi autem conceſſionis, & privilegii nonnulla proferemus exempla.

Et primo omnes Regulares viſitantes propriam Eccleſiam in diebus Stationum, & inibi devote orantes pro concordia &c. & pro ſalute Romani Pontificis: omnes indulgentias Stationum Urbis conſequentur, ex conceſſione Pauli V. Conſt. 21. *Romanus Pontifex* 23. Maji 1606. Tom. 3. Bullar. Cherub. Hic etiam notari poteſt, quod & notavimus tr. 1. lib. 1. c. 4. nu. 18. hoc eſt, Religioſos infirmos, aut ſenio confectos, qui Eccleſias viſitare, Euchariſtiam ſumere eo die, quo ſumenda eſſet pro aſſequendam indulgentia, aut alia exequi non poſſunt; omnes & ſingulas indulgentias conceſſas, & concedendas: aliqua tamen opera arbitrio Confeſſarii diebus ſtatutis exequendo, conſequi valere, conceſſit Paulus V. pro Congregatione Fulienſium, ut in eorum privilegiis impreſſis Antuerpiæ 1630. in Bulla *Splendor.* an. 1609. adeoque poſt Indulgentiarum revocationem factam ab eodem Pontifice an. 1606. ut notat Lucius Ferraris V. *Indulg.* art. 4. n. 10. edit. 3. Bonon.

Secundo, qui diebus Stationum Urbis doctrinam chriſtianam in Eccleſiis, aut Oratoriis de Ordinariorum licentia docuerint, ac etiam illi, qui ad eamdem diſcendam acceſſerint, eaſdem indulgentias conſequuntur, quas conſequerentur, & conſequi poſſent, ſi Eccleſias Stationum ejuſdem Urbis perſonaliter viſitarent; eaſdem etiam indulgentias Viſitatores Scholarum Doctrinæ hujuſmodi, qui ex commiſſo ſibi officio, viſitabunt illas, quas illo die viſitare poterunt, conſequentur, ſi peccata ſua confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint. Conceſſit Gregorius XV. Conſt. *Pietatis* 27. Septembr. 1622.

Tertio, Viſitantibus in diebus Stationum aliquam Eccleſiam Patrum Carmelitarum, & inibi recitantibus quinquies orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam, Stationum indulgentias conceſſit Clem. X. Conſtit. 131. §. 9. pag. 220. To. 7. Plaz. l. cit. n. 60.

Quarto, Viſitantes in diebus Stationum aliquam Eccleſiam Patrum Minimorum S. Franciſci a Paula, & ibi orantes quinquies orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam, Stationum Indulgentias conſequentur, ex conceſſione Julii II. Conſtit. *Dudum* 10. §. 41. Plaz. l. cit.

Quinto in diebus Stationum Romanarum morantes alibi, ſeu extra Urbem, ſi tamen ſecum habuerint aliquam coronam Domini noſtri Jeſu Chriſti benedictam a Camaldulenſibus Religioſis, & confeſſi, ſacra-

que

que communione refecti viſitaverint unam, quam voluerint Eccleſiam; aut legitime impediti recitaverint prædictam coronam cum ſeptem Pſalmis Pœnitentialibus, Litaniis, & precibus, conſequentur annos indulgentiæ ducentos: quos etiam lucrabuntur illi, qui Romæ licet exiſtant, ſimiliter tamen impediti, prædicta præſtiterint. Conceſſit Clemens X. Conſt. 160. §. 8. to. 7. Plaz. l. cit. n. 62.

§. III.

De Indulg. plen. ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo.

130 Qu. I. An hæc Indulgentia applicanda ſit a Sacerdote in ipſa confeſſione Sacramentali?

℞. Non conveniunt Auctores in hujuſmodi quæſtione: ab eorum diverſis opinionibus explicandis, abſtineo, quoniam ſententia affirmativa ſicut eſt tutior, ita & facilis eſt pro praxi. Ex qua quidem ſequitur 1. hanc indulgentiam non concedi ſine ullo prorſus onere, ſed ad eam conſequendam impoſitum eſſe onus confeſſionis: etiam pro conſequenda indulgentia plenaria in articulo mortis ab eo, qui confiteri poteſt. Quod ultimum additur, quia ab eo, qui confiteri non poteſt in dicto articulo, eo quod nullus adſit Sacerdos, vel repentina morte decedat, non exigitur confeſſio, ſed ei conceditur alia ſimilis indulgentia plenaria, & applicabitur immediate ab ipſo Summo Pontifice, ut infra dicetur.

Sequitur 2. Hanc indulgentiam non poſſe ab alio applicari, quam a Sacerdote Confeſſario proprio, ſeu ab eo, qui poſſit audire confeſſionem ejus, cui applicanda eſt indulgentia plenaria hæc. Et nota hic: Indulgentiam hanc obtineri non poſſe, niſi applicetur per Confeſſarium approbatum ab Ordinario, ut patet ex Bulla; recole dicta nu. 91. quamvis hoc quidem negent, putantes, quod ſi daretur caſus, quo nullus Confeſſarius vellet pœnitenti indulgentiam hanc applicare, tunc poſſet illam ſibi per ſe ipſum pœnitens applicare. Sed hoc ſine ulla valida ratione dicunt, & repugnant menti Pontificis expreſſæ in Bulla verbis conceſſionis hujus. Unde dicendum eſt: hanc Indulgentiam obtineri non poſſe, niſi applicetur per Sacerdotem Confeſſarium approbatum ab Ordinario, & quidem qui ſit proprius Confeſſarius, poſito quod a Sacerdote in ipſa confeſſione ſacramentali applicanda ſit.

Quidam autem dicunt: in articulo mortis, in defectu Sacerdotis poſſe applicari per ſimplicem Clericum, ſi adſit, aut etiam per quemlibet laicum. Quod etſi aliqui ut non improbabilem admittant, mihi vero omnino non placet; quia non eſt ulla neceſſitas, hoc admittendi; enim vero in defectu Sacerdotis in articulo mortis manifeſta eſt conceſſio Pontificis applicantis per ſeipſum in eo caſu, aliam ſimilem Indulgentiam plenariam. Pro quæſtione propoſita, & hactenus dictis Vid. Trull. *lib.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 19. *n.* 3. 4. 6. & 12. Lud. a Cruc. *diſp.* 1. *c.* 8. *dub.* 14. Bardi *par.* 2. *tract.* 4. *c.* 5. *ſect.* 4. *a n.* 1. *ad* 13. & *item n.* 17. Tamb. *c.* 12. §. 1. Dian. *edit. coord. tom.* 4. *tr.* 3. *R.* 157. §. 2. & 3. *R.* 158. §. 1. & 2. Salmant. *c.* 3. *pu.* 4. *n.* 134. & *a n.* 142.

Qu. II. An opus ſit, quod Pœnitens expreſſe petat, ſibi applicari hanc Indulgentiam? 131

℞. Ne-

℞. Negative; ſed ſufficit in pœnitente virtualis intentio percipiendi, & in Confeſſario virtualis intentio applicandi, intendens abſolvere non ſolum a culpis, ſed etiam a pœnis, quantum poteſt, quocumque titulo: verum conſultius eſt, & tutius ut expreſſe petatur, & ſimiliter applicetur. Trull. *n.* 5. & 14. Dian. *R.* 156. Salmant. *in append. tract. 6. de Bull. Cruc. c.* 3. *pu.* 4. *n.* 150. Vide dicenda qu. 9.

132 Qu. III. Utrum Indulgentiæ hujus privilegio careat conſtitutus in articulo mortis, qui confiteri nequeat præſente Confeſſario, puta quia eſt ſenſibus deſtitutus? Dubium oritur ex eo, quia Indulgentia plenaria applicanda per Confeſſarium, applicanda eſt in Sacramento pœnitentiæ, ſecundum dicta qu. 1. At prædictus moribundus confiteri nequit; ergo non poteſt conſequi hanc indulgentiam plenariam applicandam a Confeſſario. Alia vero ſimilis indulgentia plenaria non requirens applicationem ullius, conceditur in articulo mortis in abſentia Confeſſoris. At in caſu poſito adeſt Confeſſor; ergo nec illam lucrabitur.

℞. Et dico 1. quod in ſententia illorum, qui docent hujuſmodi poſſe ſub conditione abſolvi, poterit ei applicari a Confeſſario indulgentia plenaria applicanda per ipſum in Sacramento Pœnitentiæ.

Dico 2. Si ſentiamus cum illis Doctoribus, qui negant prædictum moribundum poſſe abſolvi, ſi non petiit confiteri: nihilominus probabile eſt, eum vel lucrari poſſe Indulgentiam plenariam applicandam per Confeſſarium; vel lucrari aliam indulgentiam plenariam, quæ nullius eget applicatione. Enimvero cum etiam probabile ſit, indulgentiam plenariam applicandam per Confeſſarium applicari poſſe extra Sacramentum pœnitentiæ, poterit in dicto caſu Confeſſor applicare illam moribundo. Alii vero ſentiunt in dicto caſu moribundum habere ſe, tamquam ſi Confeſſor deeſſet ſibi: atque adeo frui Indulgentia plenaria, quæ conceditur a Pontifice in abſentia Confeſſarii in articulo mortis.

Ex his duabus ſententiis tutior eſt prior, nam poteſt prodeſſe moribundo, et nulli poteſt obeſſe: & caſu quo non ſit vera coram Deo, locum habebit ſecunda, ſi hæc ſit vera: cum nullius indigeat applicatione. Si autem non practicetur prior ſententia, exponitur moribundus periculo carendi tanto bono indulgentiæ plenariæ; in caſu quo ſecunda non ſit vera coram Deo. Vid. Tambur. §. 2. *n.* 7. Dian. *R.* 155. & 156.

Qu. IV. Utrum hæc indulgentia applicari poſſit abſenti? 133

℞. Hoc pendere ex illa quæſtione primo loco propoſita: an ſcilicet hæc Indulgentia omnino ſit conferenda in ipſa confeſſione ſacramentali? & ibi quidem diximus, tutiorem eſſe ſententiam affirmativam; ex qua ſequitur, Indulgentiam hanc abſenti applicari minime poſſe. Verum quia negativa ſententia reputatur probabilis, & in caſu neceſſitatis, ſi practicetur, poteſt hujuſmodi privilegiato prodeſſe, & nulli nocere; ideo poteſt in caſu neceſſitatis hæc Indulgentia a Confeſſario applicari abſenti extra Sacramentum Pœnitentiæ, quod præſenti adminiſtrari omnino debet, ut ſatis notum eſt. Vid. *Trull. n.* 7. Diana *R.* 158. §. 3. Bardi *n.* 14. Tamb. *n.* 4.

Qu. V. Quinam ſit articulus mor- 134
tis,

tis, in quo applicanda ſit a Confeſſario hæc indulgentia?

℞. Non ſolum verus, ſed etiam moraliter præſumptus. Optimum eſt, illam applicare poſt ſumptam extremam unctionem. Vid. Trull. *n.* 8. & 15. Bardi *n.* 18. Dian. *R.* 156. *fine*, Salmant. *in append. tract. 6. de Bull. Cruc. cap.* 3. *punct.* 4. *num.* 137. & *num.* 138.

135 Qu. VI. An hæc indulgentia poſſit applicari in proximo morali periculo mortis?

℞. Negat Diana *R.* 157. §. 1. *fine*. Affirmant vero Trull. *num.* 11. Tambur. § 2. *n.* 2. Bardi *n.* 21. Salmant. *in append. tr. 6. de Bull. Cruc. c.* 3. *pu.* 4. *n.* 136. Tutius, & melius videtur ſententiam negativam amplecti, quia cum deinde fueris in mortis articulo conſtitutus, vel aderit Confeſſarius, vel non: ſi aderit: tutius, & utilius tunc applicabitur tibi Indulgentia per eum; ſi autem nullus aderit Sacerdos, tunc ſimilem Indulgentiam plenariam applicabit tibi ipſemet Pontifex.

136 Qu. VII. An qui ex articulo mortis evaſit, atque convaluit, ſi eodem anno publicationis Bullæ incidat denuo in articulum mortis, poſſit denuo eamdem indulgentiam conſequi?

℞. Negative per eamdem, & unicam Bullam; poſſet vero per ſecundam Bullam ſecundam Indulgentiam conſequi: minime vero tertiam ſumendo tertiam. Bardi n. 23. Tambur. §. 2. *n.* 5. Salmantic. *l. cit. n.* 138. Vide tamen infra Qu. XII. & dicenda *ſect.* 2. *fine* in append. num. 387. & 388.

137 Qu. VIII. An hæc indulg. poſſit cum conditione applicari ſic: *ſi morieris ex infirmitate hac?*

℞. Affirmant Diana *R.* 157. §. 1. & pauci alii; ſed negant Trull. *nu.* 8. Bardi *n.* 25. Tamb. §. 2. *num.* 6. cum aliis: quia in Bulla non apparet hujuſmodi conceſſio a Pontifice fieri, ſed plane ſignificatur applicanda abſolute. Utramque ſententiam eſſe æque probabilem judicant Salmant. *cit. pu.* 4. *n.* 147.

Qu. IX. An utendum aliqua formula in applicanda indulgentia plenaria hac pœnitenti? 238

℞. Ponitur quidem in ſummario vulgari Bullæ formula quædam, ſed non eſt neceſſarium uti illa: cum etiam applicari poſſit per ipſa abſolutionis ſacramentalis verba, intendendo abſolvere pœnitentem ab omnibus peccatis, & pœnis, quantum poteſt, quocumque titulo, ut qu. 2. dictum eſt. Conſultius tamen erit, uti prædicta Bullæ formula, aut ſimili, dicendo e. g. *Applico tibi Indulgentiam plenariam, quam ex privilegio Bullæ tibi concedit Summus Pontifex: in nomine Patris &c.* Vid. Tambur. §. 1. *n.* 1. Dian. *R.* 156. & *R.* 157. §. 2. Trull. *n.* 13. & 14.

Si autem pœnitens Confeſſarium roget, ut ei applicet hanc Indulgentiam Bullæ: & Confeſſarius uno verbo, vel ſigno dicat: ſe illam applicare ei, hoc etiam ſufficiet. Salmant. *cit. pu.* 4. *n.* 149. *fine*.

Qu. X. Et deinceps de alia ſimili indulgentia plenaria, quæ nullius indiget applicatione, præterquam ipſius ſummi Pontificis, qui illam applicat in articulo mortis, repentina morte, aut in Confeſſoris abſentia decedentibus cum contritione: quæres; utrum hujuſmodi moribundus ſi non habeat conſcientiam peccati mortalis, nondum rite confeſſi, & abſoluti, nihilominus teneatur, elicere actum contritio- 139

tionis perfectæ, ſi velit lucrari hanc indulgentiam plenariam?

℞. Quantum eſt ex hoc capite, non videtur teneri, quia contritio hic a Pontifice non exigitur ut forma, & abſolute; ſed ſolum, ut homo per contritionem diſponatur ad juſtificationem, & deletionem mortalium; ita Bardi *c.* 4. *ſect.* 4. *num.* 29. Trull. *dub.* 20. *n.* 2. Tambur. §. 2. *n.* 3. *&* 4. Salmant. *cit. pu.* 4. *n.* 152. Quapropter hic contritio perfecta non exigitur a Pontifice, ut conditio omnino ponenda ad effectum lucrandi indulgentiam, ſed ſolum eſt monitio, quam facit exiſtenti in peccato lethali, ut memor ſit, elicere actum perfectæ contritionis: ut in gratia ſanctificante conſtitutus poſſit hanc indulgentiam lucrari, quia ſine gratia ſanctificante non poteſt quis indulgentiæ privilegio frui, ſaltem pro ſe ipſo. Confer dicenda n. 303. & 401.

140 Qu. XI. Pontifex hujus indulgentiæ denegat beneficium iis, qui hujus conceſſionis fiducia negligentiores fuerint: quæres: de qua negligentia loquatur?

℞. Tambur. *dub.* 20. *n.* 2. *fine* intelligit negligentiam adhibitam in confitendo tempore ab Eccleſia ſtatuto: ſeu quod ex negligentia omiſerint confeſſionem annuam ex fiducia hujus privilegii; ita ut qui ex fiducia hujus indulgentiæ neglexit confeſſionem annuam, cum conſcius ſibi eſſet de mortali patrato crimine: ſi incidat in articulum mortis, & non poſſit confiteri, licet contritus decedat in abſentia Confeſſoris, adhuc non lucrabitur hanc indulgentiam plenariam, in pœnam prædictæ negligentiæ ſuæ eidem a Pontifice denegatam.

At vero Bardi n. 21. putat negligentiam, de qua in hoc loco loquitur Bulla, ſitam eſſe in omiſſione pœnitentiæ agendæ pro peccatis commiſſis. Decernit itaque Pontifex, quod, ſi quis ob fiduciam hujus indulgentiæ plenariæ obtinendæ, fuerit ſegnior, nequeat in fine vitæ repentina morte decedens, aut in abſentia Confeſſoris, eam lucrari. Ita Bardi, cujus ſententia videtur verior; nam illis, qui negligentiores fuerint in confitendo ſtatuto tempore, jam expreſſe Pontifex denegat beneficium hujus indulgentiæ, in præcedentibus verbis; ſic enim loquitur in Bulla latina . . . . . *modo contriti deceſſerint: & prius ſtatuto tempore confeſſi fuerint*. Deinde vero ſubdit: *nec hujus noſtræ conceſſionis fiducia negligentiores fuerint &c.* Quæ poſteriora verba aperte ponuntur, tamquam importantia quid diverſum a præcedentibus.

Omiſſio autem prædicta pœnitentiæ agendæ debet directe ſequi ex illa fiducia; nam ſi ex alia ſuboriatur, non impedit, quin contritus moriens beneficium hujus indulgentiæ conſequatur: ut recte notant Bardi, & Trull. l. cit.

Et nota etiam hic: eos, qui ſtatuto tempore confeſſi non fuerint, atque indulgentiæ plenariæ in Bulla conceſſæ in articulo mortis obtinendæ fiducia negligentiores fuerint: ſi tamen in Confeſſorum præſentia cum confeſſione moriantur, non apparere excluſos in Bulla ab alia ſimili, de qua hic priori loco egimus indulgentia plenaria per ipſummet confeſſarium applicanda in dicto articulo. Unde exceptio, ſeu excluſio ſolum afficit eos negligentiores prædictos, qui ob repentinam mortem,

vel

vel ob Confeſſorum abſentiam, ſine confeſſione decedunt. Vide dicenda ſect. 2. ſubſ. 2. qu. 8.

141 Qu. XII. An moribundus hanc indulgentiam ab ipſomet Pontifice applicatam in articulo mortis, conſequatur in præſumpto, an ſolum in vero mortis articulo?

℞. Solum in vero; ita Trull. dub. 19. n. 9. unde hujuſmodi moribundus ſi convaleſceret, & deinde intra eumdem annum in ſimilem caſum incideret, poſſet denuo applicare ſibi, ſeu intendere hanc indulgentiam conſequi, quia non eſt conſequutus eam in caſu priori.

142 Qu. XIII. An opus ſit, ut hujuſmodi moribundus in præſenti caſu expreſſe, & actualiter intendat Indulgentiam hanc conſequi.

℞. Negative; ſed ſufficit intentio virtualis, ſecus cum in tali vero mortis articulo moribundi ſint communiter ſenſibus deſtituti, nunquam illam conſequerentur. Vid. §. 2. *num.* 13. Conſultum tamen eſt, ut, qui accipit Bullam, mox eliciat actum rectæ intentionis, nimirum intendens hanc Indulgentiam conſequi in articulo mortis, ſi, quod Deus avertat, ſubitanea morte deceſſerit intra annum publicationis Bullæ, aut Confeſſoris copia caruerit. Deinde ubi caſus acciderit, ſi rationis uſu polleat, antequam illo privetur, applicet ſibi, ſeu intendat, hanc indulgentiam conſequi. Tambur. §. 2. n. 3.

§. VI.

De ſuſpenſione Indulgentiarum.

Qu. I. An durante anno publicationis Bullæ ſuſpendantur indulgentiæ conceſſæ ab Epiſcopis jure ordinario? 143

℞. Negative: quia ſolum ſuſpenduntur conceſſæ a Summo Pontifice immediate. Ideo etiam non habentes Bullam Cruciatæ poſſunt Indulgentias prædictas Epiſcopales lucrari. Vid. Lud. a Cr. *diſp.* 1. *cap.* 9. *dub.* 1. *nu.* 1. Trull. *lib.* 1. §. 9. *dub.* 1. *n.* 5. Tamb. *c.* 14. §. 1. *nu.* 7. Salmant. *in append. tr.* 6. *de Bulla Cruc. cap.* 8. *pu.* 2. *num.* 15.

Nota hic, nec omnes indulgentias Pontificias per Bullam ſuſpendi, ſed ſolum indulgentias Pontificias ſimiles, vel non omnino diſſimiles iis, quæ hebentur in ea. Nec ſuſpendi indulgentias etſi Pontificias contentas in corpore juris. Vid. Tamb. *c.* 14. §. 1. *n.* 5. Trull. *cit. dub.* 1. *nu.* 1. 2. & 4. Lud. *cit. dub.* 1. *n.* 3. Bardi *par.* 3. *tr.* 1. *c.* 2. *ſect.* 1. *n.* 4. Salmantic. *l. cit.*

Qu. II. An per Bullam ſuſpendantur Indulgentiæ a Pontifice Summo conceſſæ granis benedictis, calculis, Imaginibus &c. 144

℞. Negat ſuſpendi Lud. a Cruc. *dub.* 1. *n.* 13. & 14. At vero affirmant ſuſpendi Trull. *dub.* 1. *n.* 2. & Salmantic. *in append. tr.* 6. *de Bulla Cruc. c.* 8. *pu.* 2. *n.* 10. Alii tamen diſtinguunt: affirmant enim de Indulgentiis conceſſis ad inſtantiam, & petionem alicujus; ſed negant de conceſſis a Summo Pontifice motu proprio prædictis Imaginibus &c. Tres haſce ſententias exiſtimat probabiles Bardi cit. *ſect.* 1. *num.* 6. ſed cenſet

intentioni Pontificis conformiorem eſſe abſolute affirmativam, ſeu quæ abſolute affirmat ſuſpendi. Tamburinus contra c. 14. §. 1. n. 10. putat probabiliorem eſſe abſolute negativam, ſeu quæ abſolute negat ſuſpendi. Sed falſo pro ea citat Ægidium Trullench; & falſo etiam dicit, pro ſe Trullench adduci a P. Bardi una cum Rodrig. & Riccio; nam Bardi adducit Ægidium Trullench pro ſententia affirmante ſuſpendi, pro qua nos adduximus eum, pro ea enim ipſe ſtat: rurſus ab eodem Bardi adducitur Rodriguez pro eadem ſententia affirmante ſuſpendi; igitur pro ſententia negante ſuſpendi a Bardi ſolum adducitur Ludovicus a Cruc. & Riccius.

145 Qu. III. An Indulgentiæ Mendicantium Religionibus pro ipſis tantum Religioſis conceſſæ ſuſpendantur?

℟. Negative. Conſtat ex ipſa Bulla, & videri poteſt Lud. a Cr. *dub.* 1. *a n.* 6. Trull. *dub.* 3. 1. Bardi *c.* 3. *ſect.* 1. *a num.* 3. Felix *in exam. Confeſſ. to.* 1. *par.* 4. *c.* 10. *n.* 3883. Diana *edit. coord. to.* 4. *tr.* 3. *R.* 144. §. 2. Salmantic. *in append. tr.* 6. *de Bull. Cruc. c.* 8. *pu.* 2. *nu.* 11. Quinam vero ſint Ordines Mendicantium? recenſet Trull. *l. cit.* Tambur. §. 2. *n.* 2. Bardi *c.* 3. *ſect.* 2. *n.* 8.

146 Qu. IV. An prædicto privilegio gaudeant etiam Moniales Ordinis Mendicantium?

Affirmative. Vid. Lud. *c.* 9. *dub.* 3. *n.* 5. Bardi *c.* 3. *ſect.* 3. *nu.* 14. Tambur. §. 2. *n.* 3. Dian. *l. cit.* §. 3. Felix *l. cit. nu.* 12. Salmant. *loc. cit. num.* 12.

147 Qu. V. An ſimiliter Novitii?

℟. Affirmative. Vid. Lud. *dub.* 5. Trull. *n.* 4. Bardi *n.* 17. Diana, & Tambur. *l. cit.* Salmantic. *l. cit.* qui idem affirmant de Tertiariis, & de Donatis Carmelitis Diſcalceatis num. 13. & 14.

Qu. VI. An ſuſpendantur indulgentiæ a Pontifice conceſſæ particularibus Religioſis Mendicantibus? 148

℟. Affirmant Trull. *dub.* 3. *n.* 3. & Salmant. *l. cit. n.* 11. ſi non ſint conceſſæ ad inſtantiam Superioris ipſius Religionis.

Qu. VII. An Oblati, & alii, qui 149 ferunt habitum Religioſorum Mendicantium, ſed non ſunt proprie Religioſi, gaudeant prædicto privilegio Religionis Mendicantium?

℟. Negative. Vid. Lud. *dub.* 2. *n.* 12. & *dub.* 4. *n.* 10. Trull. *dub.* 3. *n.* 6. Bardi *c.* 3. *Sect.* 3. *n.* 18. Tambur. §. 2. *n.* 3. Notant vero Salmantic. *l. cit. n.* 14. quod licet illi Donati, qui vere Religioſi non ſint, & famuli Religionum Mendicantium, privilegiis ipſis conceſſis abſque Bulla gaudere nequeant; poſſunt tamen abſque illa uti illis indulgentiis & privilegiis, quæ a jure communi conceduntur famulis Religionum Mendicantium; hæc enim per Bullam non revocantur, ſeu non ſuſpenduntur. Recole dicta *qu.* 1. *n.* 143.

Qu. VIII. An gaudeant prædicto 150 privilegio Religioſi, qui, licet non ſint Mendicantes, habeant tamen communicationem privilegiorum Religionum Mendicantium?

℟. Alii affirmant, alii negant. Videatur Bardi *c.* 3. *Sect.* 2. Trull. *dub.* 3. *n.* 2. Diana *R.* 145. Tambur. §. 2. *n.* 2. Salmantic. *l. cit. a n.* 18.

Qu. IX. An ſuſpendantur Indulgentiæ conceſſæ Religioſis Mendicantibus pro Sæcularibus? e. g. Indulgentia plenaria conceſſa fidelibus viſitan-

ſtantibus tali die talem Eccleſiam Regularium.

℞. Affirmative; unde qui non habent Bullam, non poſſunt hujuſmodi indulgentias conſequi; & Regulares non poſſunt hujuſmodi Indulgentias pubblicare, niſi ſimul populum moneant de hujuſmodi ſuſpenſione reſpectu eorum, qui non habent Bullam: & monemus etiam hic: nullas Indulgentias, ex iis nimirum quæ ſubjacent ſuſpenſioni hujuſmodi, publicari poſſe, niſi prius a Commiſſario Bullæ, aut ejus Subdelegato examinentur; Vid. Lud. a Cruc. *dub.* 1. *n.* 10. fine, *& dub.* 2. *n.* 3. *&* 10. Trull. *dub.* 3. *a n.* 7. Bardi *c.* 4. *Sect.* 2. *n.* 12. Tambur. §. 2. *n.* 6. Salmant. *l. cit. n.* 10. & 26.

152 Qu. X. An per Bullam ſuſpendatur Indulgentia plenaria pro Defunctis, in Altari, quod vocamus privilegiatum, conceſſa?

℞. Alii abſolute affirmant ſuſpendi; alii abſolute negant ſuſpendi; alii vero diſtinguunt. Si Altare non ſit Regularium Ordinis Mendicantis affirmant ſuſpendi; ſi autem ſit hujuſmodi Regularium, negant ſuſpendi, dummodo ſit Altare privilegiatum conceſſum ad inſtantiam Superioris, & in eo celebretur a Religioſo ejuſdem Ordinis, & pro Religioſo ejuſdem Ordinis applicetur. Vid. Lud. a Cruc. *dub.* 2. *n.* 11. Trull. *dub.* 4. *n.* 1. & 3. Bardi *c.* 4. *Sect.* 2. a *n.* 14. Salmant. *l. cit. a. n.* 22. Tambur. §. 1. *n.* 12. *&* 13. qui dicit, ſententiam abſolute negantem ſuſpendi, eſſe probabilem.

153 Interrog. hic. In ſententia, quæ affirmat, ſuſpendi: atque adeo exigit haberi Bullam vivorum, ad lucrandam hujuſmodi indulgentiam pro Defuncto: a quonam haberi debeat Bulla, utrum ab ipſo Celebrante; an ab eo, qui celebrare facit? an ab utroque?

℞. Ab eo, qui celebrare facit, haberi oportere Bullam; ſignificat Rodriq; apud Trull. *n.* 2. E contra Lud. a Cruc. *l. cit.* ſignificat habendam a Celebrante; cujus ſententiam eſſe veriorem, dicit Trull. *l. cit.* At vero Bardi n. 20. ſentit ſufficere, ſi ab alterutro habeatur ex illis, quia, inquit, unuſquiſque per hanc Bullam privilegiatus habet jus ad applicandam Indulgentiam, quando eſt pro Defunctis conceſſa. Et mihi videtur certo ſufficere quod habeatur Bulla ab eo qui celebrare facit, quem procul dubio reſpicit Pontifex in concedenda Indulgentia.

Qu. XI. An per Bullam ſuſpendantur Indulgentiæ conceſſæ immediate pro vivis quidem, ſed applicabiles defunctis? 154

℞. Alii affirmant, alii negant ſuſpendi: ſententia negativa eſt pia, & probabilis, ſed minus tuta. Vide Bardi in Bull. *par.* 3. *tr.* 1. *c.* 4. *Sect.* 2. *a n.* 14. Tambur. *in Bull. c.* 14. §. 1. *n.* 13. Quintanadven. in *Singularib. to.* 1. *in Append. ad Sacram. pœnit. tr.* 1. *dub.* 14. *n.* 7. *&* 8.

Qu. XII. An abſque Bulla Cruciatæ in locis, ubi ea promulgatur, poſſint indulgentias extra ipſam Bullam conceſſas lucrari illi, qui præ nimia paupertate non poſſunt erogare ſtipendium requiſitum ad accipiendam Bullam? 155

℞. Alii affirmant, alii negant. Vid. Tambur. *c.* 3. §. 7. *n.* 12. *&* 13. Bardi *par.* 2. *tr.* 1. *c.* 1. *Sect.* 6. *a n.* 91. Salmantic. *append. tr.* 6. *de Bull. Cruc. c.* 1. *pu.* 10. *n.* 109. Hujuſmodi quidem ita egenis hominibus ſuaderi poſſet, ut intendant lucrari quas forte valeant

leant Indulgentias; quapropter opera pro iis lucrandis injuncta ponere non omittant, puta confiteri, communicare, Eccleſiam viſitare &c. Hujuſmodi utique intentio, ſi vera ſit coram Deo ſententia affirmativa, Pauperibus emolumentum, nemini autem præjudicium poterit afferre. Vide tamen dicenda ſubſ. *9. n. 266.*

156 Nota hic, quod ad lucrandas Indulgentias Jubilæi Anni Sancti, vel alterius extraordinarii, quod per duas hebdomadas a Summis Pontificibus concedi ſolet: ad lucrandas, inquam, hujuſmodi Jubilæi indulgentias, gratias omnes, & facultates, nullo modo fideles Bulla indigeant Cruciatæ; niſi ab ipſo Pontifice aliquando aliter exprimatur; unde hujuſmodi Jubilæum non ſuſpendit Commiſſarius, neque illius publicationem impedit; Ita Salmantic. *in app. tr. 6. Bull. Cruc. c. 8. pu. 2. n. 10. fine.*

157 Qu. XIII. An Indulgentiæ plenariæ, quæ conceduntur in Bulla, ſuſpendantur in Jubilæo Anni Sancti? Porro in hujuſmodi Jubilæo ſuſpenduntur omnes indulgentiæ plenariæ.

℞. Negat cum aliis Lud. a Cruc. dub. 6. qui videri poteſt; nec diſſentit La-Croix lib. 6. p. 2. qu. 198. §. 4. n. 1401.

SUBSECTIO V.

De privilegio commutationis Votorum.

158 Fidelibus accipientibus Bullam Cruciatæ vivorum, ſeu communem concedit Pontifex, ut per Confeſſarium poſſint facere ſibi commutare quæcumque vota emiſerint, exceptis tribus, Ultramarino, Caſtitatis, & Religionis. Confeſſarius autem commutare debet in aliquod ſubſidium Belli ſancti, ſic enim dicitur in Summario Bullæ Latinæ: *Poterit etiam idem Confeſſor vota quæcumque commutare in aliquod ſubſidium hujus expeditionis: Caſtitatis, Religionis, & Ultramarino votis dumtaxat exceptis.*

Quæ occurrunt circa hoc privilegium dubia ſolvenda ſunt; idque vitandæ confuſſionis ſtudio, duobus §§. præſtabimus, in quorum primo agemus de votis non excluſis. In ſecundo de prædictis tribus reſervatis, ſeu excluſis ab hoc privilegio.

§. I.

De votis, quæ poſſunt commutari ex Bulla Cruciatæ.

Qu. I. Quid ſit, commutare Votum? 159

℞. Eſſe, obligationem Voti ex una materia in aliam transferre. Trull. *lib. 1. §. 7. c. 3. dub. 1. n. 7.* Tambur. *c. 13. §. 1. n. 1.* & paſſim Auctores hic, & in tract. de Vot. Vid. etiam dicenda qu. 15.

Qu. II. A quonam Confeſſario 160 commutari poſſint vota ex privilegio Bullæ?

℞. A Confeſſario approbato ab Ordinario Loci ad audiendas confeſſiones illius, cui commutanda ſunt vota. Eſſe itaque debet ille idem, quem diximus ſubſ. 3. §. 1. qu. 1. n. 36. Quod ſi Auctores dixerunt, commutari poſſe a Confeſſario non proprio, ſeu etiam non approbato ab Ordinario Loci: hoc ideo dixerunt, quia putarunt, non opus eſſe, quod Confeſſarius eligendus per Bullam, ut quis abſolvatur a reſervatis, ſit ex approbatis ab Ordinario Loci, & qui poſſit aliàs audire Confeſſionem ejus, qui vult abſolvi a reſer-

reſervatis; ſed ſufficere, quod ſit approbatus ab Ordinario quolibet. In quo tamen ipſos fuiſſe deceptos, obſervavimus cit. qu. 1. Enimvero Bulla aſſignat poteſtatem commutandi Vota eidem Confeſſario electo ab habente Bullam; Sed non eligi poteſt niſi approbatus ab Ordinario ad excipiendum confeſſiones ipſius Pœnitentis, ut ibid. probatum eſt; ergo &c.

161 Qu. III. An commutatio facienda ſit in Sacramento pœnitentiæ: ſeu facta, & audita confeſſione?

℞. Aliqui affirmant: & favet Benedictus XIV. allegatus a P. Zacharia *in Theolog. moral.* P. La-Croix *lib. 6. p. 2. qu.* 209. §. 2. *n.* 2460. ubi etiam teſtatur, id eſſe conforme praxi Sacræ Pœnitentiariæ. Sed a pleriſque reputatur probabilior ſententia negativa. Vid. Lud. a Cru. *diſp. 1. c. 6 dub. 1. n.* 7. Bardi *par. 2. tr. 7. c. 1. ſect. 7. n.* 55. Trull. *dub.* 10. *n.* 2. Dian. *edit. eoord. to. 4. tr. 3. R. 69.* Tambur. *n. 6. Fel. in Exam. Confeſ. tr. 1. par. 4. c. 10. n.* 3861. Salm. in *App. tr. 6. de Bull. Cruc. c. 6. pu. 5. n.* 302.

162 Qu. IV. An Confeſſarius ex Bulla poſſit diſpenſare, ſeu omnino eximere ab obligatione voti?

℞. Negative: Eſt certa apud omnes: quia Bulla tantum facit facultatem commutandi, non diſpenſandi. Nec delegatus excedere poteſt limites ſuæ delegationis.

163 Qu. V. An Confeſſarius teneatur commutare vota habentis Bullam, & commutationem petentis?

℞. Affirmant aliqui abſolute; abſolute aliqui negant; ſed melius Bardi c. 1. Sect. 4. varias adhibet in hac quæſtione diſtinctiones, quæ videri poſſunt: vid. etiam dicenda §. 2. qu. 22. n. 206. Profecto ſi rationabilis cauſa faveat petenti; male illum jure ſuo privaret, negando Commutationem. Vid. infra n. 174.

Qu. VI. An poſſint commutari vota emiſſa ſive ante, ſive poſt promulgatam, & ſumptam Bullam? 164

℞. Affirmative Vid. Lud. *dub.* 1. *n.* 3. Trull. *dub.* 4. *a n.* 3. Bardi *c.* 1. *ſect. 6. a n.* 46. Dian. *R.* 73. Tambur. *n.* 15. Salm. *l. cit.* Favores quippe ſunt ampliandi, neque quoad hoc ulla repugnat Privilegii exceptio.

Qu. VII. An vota commutari poſſint toties, quoties pœnitens petit commutationem? 165

℞. Affirmative. Vid. Trull. dub. 9. n. 7. ex eadem ratione.

Qu. VIII. An commutatio facienda ſit intra annum, quo durat Bulla? 166

℞. Affirmative. Vid. Tambur. *n.* 30. Trull. *d.* 9. *n.* 6. Bardi *c.* 1. *Sect.* 12. *n.* 134. Salmant. *l. cit. n.* 306. Vid. etiam dicenda Sect. 2. ſubſ. 6. qu. 4. ſed lege quoque ſubjectas ibi interrogationes.

Qu. IX. Utrum ex privilegio Bullæ commutari poſſint juramenta? 167

℞. Affirmant alii, alii negant; verior reputatur ſententia affirmativa. Vid. Bardi *c. 1. ſect.* 10. §. 1. Trul. *dub. 2. a n.* 3. Lud. *c. 6. dub.* 5. Dian. *R.* 83. Tambur. *difficult.* 4. Salmantic. *l. cit. n.* 303. Juramenta enim promiſſoria equivalent Votis. Eſt autem animadvertendum, ſententiam affirmativam non procedere de juramentis quibus firmantur Statuta Communitatum, Collegiorum, Academiarum, &c. ſaltem ſi ſint a Papa confirmata: Vid. Bardi *c.* 2. *ſect.* 1. *n.* 16. Trull. *dub. ſ. n.* 12. *Fel. n.* 2861. & Vide inf. *n.* 170.

Qu. X. Utrum ex privilegio Bullæ commutari poſſit materia voti ſimul, & juramenti: ut ſi quis voviſſet, 168

ſet, ſingulis Sabbatis jejunare, & deinde juraverit ſingulis Sabbatis jejunare?

℞. Alii affirmant, alii negant; affirmativa ſententia omnium judicio eſt probabilis. Vid. Bardi c. 1. Sect. 10. §. 2. Lud. *c.* 6. *dub.* 6. Trull. *dub.* 3. Tambur. *diff.* 4.

169 Qu. XI. Utrum ex privilegio Bullæ commutari poſſint vota juramento firmata?

℞. Alii affirmant, alii negant; verior reputatur ſententia affirmativa. Vid. Bardi l. cit. §. 3. Dian. R. 85. Lud. Trull. Tambur. l. cit. Imo dicenda eſt omnino certa ex Summario vulgari Bullæ, in quo ſic legitur: *Potrà ancora commutare qualunque voto, benchè fatto con giuramento.*

170 Qu. XII. Utrum ex privilegio Bullæ commutari poſſint juramenta in favorem tertii emiſſa?

℞. Negative; ſi acceptata ſint, nullamque turpitudinem, & injuſtitiam contineant. Vid. Trull. *dub.* 2. *a n.* 8.

171 Qu. XIII. Utrum ex privilegio Bullæ commutari poſſint vota, quæ cedunt in favorem tertiæ perſonæ, aut alicujus Loci, puta, ſi quis vovit calicem dare alicui Eccleſiæ?

℞. Si ſint acceptata, negant alii, alii vero affirmant, veriorem reputat affermativam ſententiam Lud. a Cruc. *c.* 7. *dub.* 8. illam amplectitur Diana *R.* 87. eamdem non improbabilem eſſe, fatetur Trull. *dub.* 8. *n.* 2. licet ipſe ſequatur ſententiam negativam in dicto nimirum caſu, quo ſint acceptata; quam etiam docent Salmantic. *l. cit. n.* 305.

172 Qu. XIV. An Vota Communitatum poſſint commutari virtute Bullæ?

℞. Negative; quia Bulla conceditur perſonis particularibus. Vid. Bardi *c.* 2. *Sect.* 1. *n.* 16. Felix. n. 3861. Nihilominus vide dicta tr. 1. 7. Decembr. art. 4. qu. 12.

Qu. XV. Utrum Vota virtute Bullæ commutanda debeant commutari in aliud æquale? 173

℞. Affirmative. Hoc enim importat commutatio. Cæterum ſatis probabilis eſt ſententia illorum, qui volunt commutari poſſe in aliquid minus, dummodo non ſit notabiliter minus. Vid. Tamb. *c.* 13. §. 1. *n.* 3. Trull. *lib.* 1. §. 7. *c.* 3. *dub.* 12. *n.* 5. Suar. de *Relig. to.* 2. *tr.* 6. lib. 6. *c.* 19. a *n.* 7.

Qu. XVI. Utrum ad commutanda vota virtute Bullæ, requiratur cauſa, & quænam? 174

℞. Solam ſpecialem erogationem alicujus ſubſidii pro Bello ſancto præter illam eleemoſynam, quæ datur pro accipienda ipſa Bulla, ſatis ſufficientem cauſam eſſe ad voti commutationem petendam, & faciendam. Lud. a Cruc. *c.* 6. *dub.* 4. *n.* 4. Trull. *c.* 3. *dub.* 13. *n.* 6. *fine*. Tambur. *n.* 17. Dian. *R.* 75. Salmant. *l. cit. n.* 304.

Qu. XVII. Quodnam ſit hoc aliquod ſubſidium ſpeciale erogandum: temporale ne an ſpirituale: vel mixtum ex utroque? 175

℞. Non conveniunt Auctores in hac quæſtione, aliqui enim dicunt, ſufficere ſolum ſubſidium ſpirituale, puta, ſi offerantur Deo preces, aut quid ſimile pro felici ſucceſſu Belli ſancti. Quæ tamen ſententia rejici ſolet; niſi quod a nonnullis admittitur in favorem tantum eorum, qui adeo ſint pauperes, ut nihil, aut fere nihil ſubſidii temporalis conferre poſſint.

Secunda ſententia exigit ſolum ſubſi-

ſubſidium temporale. Tertia requirit mixtum, partim videlicet temporale, & partim ſpirituale. Quæ duæ poſteriores ſententiæ habent pro ſe plures, ac magnæ notæ Auctores, & rationes bonas. Secundæ ſententiæ favet teſtimonium Gallegi adducentis quamdam declarationem Commiſſarii Generalis Cruciatæ: & ita ſcribit in *explic. Bull. c. 9. part. 3. Clauſ. 9. dub. 150. Verum hac ætate ceſſat omnis de hac dubitatione controverſia: ſiquidem Commiſſarius Generalis Cruciatæ, cui de jure competit declarare dubia, quæ ſe offerunt circa Bullam Cruciatæ, expreſſe declaravit, commutationem Votorum omnino faciendam vi Bullæ in ſubſidium temporale, idque præcipit omnibus Confeſſariis ſub pœna excommunicationis, quam declarationem publicavit Anno* 1642. Hæc Gallegus, cujus hoc teſtimonio audito, ei omnino adhæret Tambur. cit. §. 1. n. 11.

Verum ſi Andream Mendo audiamus, hujuſmodi teſtimonium rejiciemus. Teſtatur enim laudatus Auctor, Commiſſarium Generalem declaratione illa edita anno citato, ſolum declaraſſe ſubſidium pecuniarium deſignandum in commutatione votorum virtute Bullæ, ſoli Cruciatæ applicandum eſſe, & non Xenodochio v. g. aut pauperibus, aut alteri operi pio, quo inquit comprehenduntur Confraternitates, Hoſpitalia, Orphanorum Cœnobia, hiſque ſimilia. Non autem excluſum fuiſſe a Commiſſario Generali, quod pars Commutationis fiat in opera pia; ſumptis operibus piis in alia ſignificatione, nempe pro operibus ſpiritualibus, & pœnalibus, qualia ſunt jejunia, flagellationes, auditio Sacri, oratio, aliaque hujuſmodi; Ita P. Mendo in *Statera opinion. benign. diſp.* 14. *qu.* 16. *n.* 160. Qui etiam n. 150. recitaverat verba declarationis allegatæ, quæ hyſpanice, ita ſe habent *No han de poder aplicar la limoſna, ni commutacion a otra obra pia, ni limoſna particular, ſi no a la dicha ſanta Bulla de la ſanta Cruzada*. Quæ latine ita reddi poſſunt: *Non habent poteſtatem applicandi eleemoſynam, nec commutationem alteri operi pio, neque eleemoſynæ particulari: niſi dictæ ſanctæ Bullæ ſanctæ Cruciatæ*. Pro hac autem quæſtione videri poteſt Lud. a Cruc. *c.* 6. *dub.* 2. Trullench *c.* 3. *dub.* 11. Tamb. §. 1. *a n.* 8. Bardi *c.* 1. *Sect.* 11. Diana *R.* 76. Fel. *n.* 3862. Mendo *qu. cit.* Salmantic. *to.* 4. *tr.* 17. *c.* 3. *a n.* 160.

Qu. XVIII. Quota eleemoſyna e- 176
largienda ſit pro quolibet voto commutando?

℞. In Summario vulgari Bullæ ſic legitur..... *facendo dar limoſina al Penitente quel, che gli piace in beneficio della Ss. Croc.* Dubium autem videtur, utrum remittat ad placitum pœnitentis, vel Confeſſoris ſolius? Sed Auctores ad arbitrium Confeſſoris remittunt quantitatem eleemoſynæ, quæ eroganda ſit in qualibet voti commutatione; & ita dicendum eſt. Itaque tanta eleemoſyna eſt eroganda, quanta judicabitur ab ipſomet Confeſſario, qui commutare debet votum. Verum hic non ex mero ſuo placito: licet ita permitti videatur in recitatis verbis Summarii vulgaris Bullæ; ſed ex prudenti, & recto judicio judicabit quantam pecuniæ quantitatem erogare debeat quis. Ad recte autem judicandum ſpectabit circumſtantias voti, & perſonæ, quæ petit voti commutationem; puta ſi votum ſit de aliqua lon-

longa peregrinatione facienda, & a perſona nobili, ac divite; in quo caſu habenda eſt ratio expenſarum, quæ faciendæ forent, ſi votum non commutaretur; Ita Felix n. 3862., & ſequenti. Trull. c. 3. *dub.* 11. *n.* 2. *prope finem.* Lud. a Cruc. *c.* 6. *dub.* 2. *n.* 7. *fine*. Tambur. §. 1. *n.* 14. Eſt vero notandum, quod ſi admittatur ſententia illorum, qui docent, ſubſidium erogandum ratione commutationis voti virtute Bullæ, eſſe poſſe partim temporale, partim ſpirituale; de qua re qu. præc. in hac ſententia minor quantitas ſubſidii temporalis poteſt imponi, ac imponi deberet, ſi ſolum ſubſidium temporale erogaretur. Vide Mendo *cit. qu.* 16. *n.* 159.

177 Qu. XIX. Cuinam tradenda ſit prædicta pecunia?

℞. Deponendam eſſe ab ipſo pœnitente intra quamdam capſulam, quæ a Commiſſario Cruciatæ ad hunc finem deſignari in certa Eccleſia conſuevit. Vid. Tambur. *cit.* §. 1. *n.* 12.. *Fel. n.* 3862.

178 Qu. XX. An votorum commutatio facta ex privilegio Bullæ proſit pro foro externo?

℞. Tantum prodeſſe pro foro conſcientiæ, & interno: ſicut abſolutio a reſervatis; Ita cum Henriquez, & Rodriqu. docet Trul. c. 3. dub. 14. n. 4.

§ II.

De tribus votis excluſis a privilegio Bullæ.

179 Qu. I. AN illa tria vota Caſtitatis, Religionis, & Peregrinationis ultramarinæ, a beneficio commutationis excluſa, poſſint nihilominus commutari, ſi ſint pœnalia?

℞. Affirmative. Vid. Bardi *par.* 2. *tr.* 7. *c.* 2. *Sect.* 2. Lud. a Cr. diſp. 1. *c.* 6. *dub.* 8. Trull. *l.* 1. §. 7 c. 3. *dub.* 6. Tamb. *c.* 13. §. 2. *n.* 5. 7. & 9. Dian. *R.* 89. ſed lege etiam Suar. *de Relig. to.* 2. *tr.* 6. *lib.* 6. *c.* 23.

Qu. II. An ſimiliter, ſi ſint pure conditionalia? 180

℞. Affirmative, ſi conditio de futuro ſit licita, & contingens. Vid. Bardi *Sect.* 3. Lud. *cit. dub.* 8. Trull. *dub.* 7. Dian. *R.* 90. *Tambur. n.* 4. 7. & 9. Suarez. *de Relig. to.* 2. *tr.* 6. lib. 6. c. 22. *a n.* 3.

Interrog. An data reſponſio procedat ſive ante, ſive etiam poſt impletam conditionem? 181

℞. Affirmative. Vid. Lud. dub. 9. & Auctores laudatos locis. cit.

Qu. III. An juramenta, quæ cadant ſuper materiam horum Votorum, ſint reſervata? 182

℞. Alii affirmant, alii negant; melius cum Thoma Sanch. diſtinguit Bardi Sect. 4. affirmans, ſi juramentum includat promiſſionem in honorem Dei: Quod ut plurimum accidit; negans vero, ſi ſit ſimplex aſſertio, in quantum jurans careat intentione promittendi, & offerendi aliquid Deo, ſed ſolum enuntiet id, quod proponit ſe facturum.

Qu. IV. An prædicta juramenta in caſu, quo exiſtimentur reſervata, ſicut vota, poſſint nihilominus commutari, ſi ſint pœnalia, vel conditionalia? 183

℞. Affirmative. Vid. Dian. R. 91. 184

Qu. V. An hæc tria vota poſſint commutari, ſi emiſſa fuerint ex metu levi?

℞. Affirmative, ſi ſermo ſit de metu incuſſo ad extorquendum ipſum votum. Vid. Bardi *c.* 2. *Sect.* 5. §. 9. Dian. R. 94. Trullench. *dub.* 15.

15. *n.* 27. Lud. a Cruc. *dub.* 13.

185 Qu. VI. An in caſibus, quibus Epiſcopus poteſt diſpenſare in his votis, poſſit Confeſſarius ea commutare virtute Bullæ?

℞. Negative. Vid. Bardi *Sect.* 5. §. 13. Dian. R. 119. Tambur. §. 3. *n.* 14.

186 Qu. VII. An hæc vota poſſint commutari, ſi emiſſa fuerint a perſona alterius poteſtati, ſeu voluntati ſubjecta: cujuſmodi ſunt uxor, filii impuberes, & Servi?

℞. Negative. Vid. Bardi §. 12. Tambur. §. 3. n. 13. Lud. a Cruc. c. 6. d. 14. n. 13. & 14. Dian. R. 106.

187 Qu. VIII. An votum disjunctivum, continens unam partem non reſervatam, reſervatam alteram; puta, ſi quis dicat: Voveo aut jejunare in ſingulis ſextis feriis, aut perpetuam caſtitatem: poſſit commutari quoad partem etiam reſervatam?

℞. Affirmative. Vid. Bardi *c.* 2. *Sect.* 5. §. 1. Trull. *c.* 3. *dub.* 14. *n.* 6. Tambur. §. 3. *n.* 6. Dian. R. 114. Suar. *de Relig. to.* 2. *tr.* 6. lib. 6. c. 24. Profecto in tali disjunctione non videtur animus omnino determinatus ad partem reſervatam: favor ergo privilegii ad ipſum extendi poteſt, cum odia ſint reſtringenda.

188 Interrog. I. An id procedat, etiamſi pars non reſervata evaſerit impoſſibilis?

℞. Affirmative. Vid. Bard. §. 3. Dian. R. 118. Tambur. §. 3. n. 7. Trull. l. cit. Suarez. l. cit. n. 4.

Interrog. II. An id etiam procedat, ſi electa fuerit deinde pars reſervata?

189 ℞. Affirmativa ſententia reputatur probabilior, aut certe probabilis, dummodo electa fuerit per merum propoſitum, non autem per abſolutam voluntatem, qua vovens voluerit, ſe obligare ad partem reſervatam; tunc enim emittitur quaſi novum votum, & quidem abſolutum. Vid. Bardi §. 2. Tambur. §. 3. *n.* 6. *&* 7. Trull. *l. cit.* Dian. R. 115. & 116. Suar. l. cit. n. 3.

Qu. IX. An votum disjunctivum, continens omnes partes reſervatas, poſſit commutari? 190

℞. Negative. Vid. Bardi §. 1. *n.* 66. Tamb. *n.* 6. Trull. l. cit. Dian. R. 117. Suar. l. cit. n. 2.

Qu. X. An virtute Bullæ poſſit votum reſervatum commutari ſolum quoad circumſtantias adjunctas? e. g. ſi quis vovit Religionem ſtrictiorem: commutari poſſit in laxiorem. Si peregrinationem nudis pedibus: ut poſſit facere calceatus. 191

℞. Affirmative. Vid. Lud. c. *6. d.* 11. *n.* 9. *&* *dub.* 15. *n.* 1. Trull. *dub.* 16. *n.* 7. *&* *dub. n.* 3. Dian. 2. 80. *&* 96. Bardi *c.* 2. *Sect.* 6. §. 1. *n.* 150. *&* §. 3. *n.* 171. Tambur. §. 2. *n.* 10. & §. 3. n. 3. & 4.

Qu. XI. An hæc Vota poſſint commutari, ſi quis, ad ea ſe, intenderit, obligare ſub veniali tantum? 192

℞. Affirmative. Vid. Bardi *c.* 2. *Sect.* 5. §. 8. Trull. *dub.* 5. *n.* 14. Dian. R. 93.

Qu. XII. An hæc vota poſſint virtute Bullæ a Confeſſario commutari in aliud opus evidenter melius, & Deo gratius? 193

℞. Negative. Vid. Bardi *l. cit.* §. 7. An autem nihilominus poſſint ſic commutari propria auctoritate? Vid. *Tambur. cit.* §. 3. n. 12. Suar. *de Relig. to.* 2. *tr.* 6. *lib.* 6. *c.* 21. *n.* 17. *&* 18.

Qu. XIII. An per Bullam valide commutetur materia, in quam Pontifex commutavit votum reſervatum? Emiſit quis e. g. votum perpetuæ 194

Caſtitatis abſolutum, & abſque conditione aliqua: & Pontifex illud commutavit in jejunia; an Confeſſarius virtute Bullæ poſſit commutare jejunia prædicta?

℞. Affirmative. Vid. Bardi *c.* 2. *Sect.* 5. §. 4. Tambur. §. 3. *n.* 8.

195 Interrog. An id procedat, etiamſi vovens tranſacto longo tempore nihil adimpleverit ex iis, in quæ Pontifex commutavit votum Caſtitatis. Quod eſt quærere: an reviviſcat prius votum reſervatum, ſi vovens commutationem non exequatur?

℞. Probabilior reputatur ſententia negans reviviſcere; atque adeo affirmans id procedere, etiamſi vovens tranſacto longo tempore nihil adimpleverit, etiam culpabiliter, ex jejuniis, in quæ Pontifex commutavit votum Caſtitatis. Vid. Bardi §. 5. Tambur. a n. 9.

196 Qu. XIV. An hæc tria vota reſervata in caſu quo commutari poſſint, & commutantur virtute Bullæ, commutari debeant in aliquod ſubſidium ſpirituale Belli ſancti? quemadmodum faciendum eſt in aliis votis ex ſententia expoſita §. 1. qu. 17.

℞. Ludov. a Cru. *diſp.* 1. *c.* 7. *a dub.* 3. Trull. *l.* 1. §. 7. *c.* 3. *dub.* 18. Bardi *par.* 2. *tr.* 7. *c.* 3. aliique varia tradunt exempla commutationum horum trium votorum, nullam tamen faciunt mentionem de ſubſidio temporali prædicto, ſed tantum aſſignant, atque proponunt alia pia opera, in quæ commutari valeant, puta jejunia, ſacrificia, orationes &c. At ipſi vel loquuntur de caſu, quo hæc vota commutentur ex vi alterius privilegii, ſeu poteſtatis, quàm Bullæ Cruciatæ; vel ſi loquuntur de commutatione facienda ex vi Bullæ; putandi ſunt ſupponere, quod præter opera ſpiritualia, & pia, eroganda ſit aliqua eleemoſyna pecuniaria in ſubſidium temporale Cruciatæ. Quod quidem expreſſe ſignificaverat Trull. *dub.* 16. *n.* 7. *fine*. Et ratio eſt, quia ex una parte hic ſermo eſt de commutatione votorum facienda ex vi ſolius Bullæ Cruciatæ; ex altera parte commutatio votorum facienda ex vi Bullæ Cruciatæ fieri debet in ſubſidium non ſolum ſpirituale, ſed etiam temporale Belli ſancti, aliquam eleemoſynam pecuniariam ad prædictum finem erogando ad arbitrium Confeſſarii commutantis vota, ſecundum dicta §. 1. qu. 18. Ex tertia denique parte nulla eſt aſſignabilis diſparitas, quare reliqua omnia vota commutanda ex vi Bullæ Cruciatæ commutari debeant in prædictum etiam temporale ſubſidium, minime vero hæc tria vota in caſibus, quibus ipſa reſervata non ſint, ſed commutari valeant, ſicut cætera, virtute Bullæ. Ergo dicendum eſt: hæc tria vota Caſtitatis, Religionis, & Peregrinationis Hieroſolymitanæ in caſu, quo commutentur virtute Bullæ eo quod deſinant eſſe reſervata, commutanda eſſe non ſolum in opera ſpiritualia, puta jejunia, Sacrificia, orationes &c. verum etiam in aliquod ſubſidium temporale Sanctæ Cruciatæ.

Qu. XV. Quale votum Caſtitatis ſit excluſum a beneficio commutationis ex vi Bullæ Cruciatæ? 197

℞. Votum omnimodæ tantum, ſeu perfectæ, atque perpetuæ Caſtitatis. Hinc votum non fornicandi, non ſe polluendi, non nubendi; item Caſtitatis Conjugalis, Virginitatis præciſe, ideſt conſiſtentis in abſtinentia primi actus luxuriæ, quatenus ſcilicet Virginitas involvit corporis integrita-

ſtitatem; Rurſus votum integræ Caſtitatis quidem, ſed ad tempus, ad quod rationabiliter præſumatur ætas hominis perventura; item votum aſſumendi Ordines ſacros, votum non petendi debitum: & ſimilia vota Caſtitatis non perfectæ, nec perpetuæ a beneficio commutationis non excluduntur, ſed optime poſſunt per Bullam Cruciatæ a Confeſſario commutari. Vid. Tambur. §. 2. *n.* 3. Trullench. *dub.* 15. *a n.* 8. *ad* 11. & *a n.* 22. *ad.* 24. *&* *a n.* 26. Lud. a Cruc. *diſp.* 1. *c.* 6. *dub.* 10. Dian. *R.* 103. 104. 108. 111. 112. 120l Bardi *c.* 2. *ſect.* 1. *a n.* 4. *ad* 7. *& ſect.* 6. *n.* 168.

198 Qu. XVI. An votum perfectæ, ac perpetuæ Caſtitatis emiſſum a Conjuge ſit reſervatum, ac proinde per Bullam non commutabile?

℟. Et dico 1. Si votum hoc fuit a Conjuge emiſſum ante initum Matrimonium, certum eſt, reſervatum eſſe etiam poſt Matrimonium initum, atqueadeo non commutabile per Bullam.

Dico 2. Si ſermo ſit de voto Caſtitatis, quod forte conjux emittet, dum eſt in Matrimonio; quinque modis poſſet emitti. 1. ab altero abſque licentia alterius Conjugis. 2. ab altero cum licentia alterius. 3. ab utroque ſine mutua licentia. 4. ab utroque cum mutua licentia, ut non per modum contractus, quo quiſque cedat juri ſuo pretendi debitum. 5. denique cum mutua licentia, & per modum contractus, quo quiſque juri ſuo cedat. Jam vero votum Caſtitatis in primis quatuor modis prædictis eſt quidem commutabile per Bullam; non autem in quinto modo; quia in hoc quinto eſt perfectum, non item in illis quatuor.

Interrog. pro quinto modo. Si dicti Conjuges remittant ſibi, & acceptent mutuam ceſſionem juris petendi, & reddendi debitum: an ſaltem tunc poſſit per Bullam votum Caſtitatis commutari? 199

℟. Affirmative. Siquidem quod remanet, votum integrum Caſtitatis non eſt. Advertendum tamen eſt, ſic remittendo, peccare graviter Conjuges: quia, ut ſupponimus, contra votum operantur emiſſum. Pro dictis in hac quæſtione & præſenti Interrog. Vid. Trullench. *dub.* 15. *n.* 12. 15. *&* 16. *&* 20. Lud. a Cruc. *c.* 6. *dub.* 14. Dian. *R.* 107. 109. *&* 110. Bardi *c.* 2. *ſect.* 6. §. 2. *n.* 151. Tambur. §. 3. *n.* 1. *&* 2.

Qu. XVII. Quale votum Religionis ſit reſervatum? 200

℟. Perpetuum, perfectum, & abſolutum Religionis approbatæ a Summo Pontifice; unde reſervatum non eſt votum Paupertatis, aut obedientiæ in Sæculo, aut etiam in Religione aliqua non tamen approbata ab Eccleſia; & ſimilia vota. Ita Trull. *dub.* 16. *& alii.*

Qu. XVIII. An poſſit commutari votum Religionis Ordinis Militaris S. Joannis Hieroſolymitani, vulgo Equitum Melitenſium? 201

℟. Negative. Quia eſt Religio proprie talis. Vid. Lud. a Cruc. *diſp.* 1. *c.* 6. *dub.* 11. *n.* 8. Trull. *dub.* 16. *n.* 6. Dian. *R.* 98. Tambur. §. 3. *n.* 5. Bardi *c.* 2. *ſect.* 6. §. 3. *n.* 182.

Qu. XIX. An ſaltem aliorum Ordinum Militarium, puta S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ &c. 202

℟. Affirmative. Vid. Lud. Trull. Tambur. Bard. locis cit. Dian. R. *99.* Salmantic. *in append. l. cit.* nu. 313. Non eſt autem hic ſermo de Clericis Regularibus ex his Ordinibus Mili-

lita.

litaribus; hujuſmodi enim Regulares ſunt vere proprie Religioſi, vitamque communem, & regularem in Cœnobiis, ſicut alii Religioſi agunt.

203 Qu. XX. Quid veniat nomine voti Ultramarini in Bulla excluſi a beneficio commutationis?

℞. Venire peregrinationem Terræ Sanctæ, ſeu Hieroſolymitanum; ita Trull. *dub.* 17. *nu.* 1. Tambur. §. 2. *n.* 1. Bardi *c.* 2. *ſect.* 6. §. 1. *n.* 145. & alii; quamvis alii, quos ſequuntur Salmant. n. 310. ſine putant venire etiam peregrinationem Romanam, & Compoſtellanam, ad viſenda limina Apoſtolorum.

204 Qu. XXI. An hoc votum ſit reſervatum, ſi non fiat in ſubſidium Terræ Sanctæ, ſed ſolius devotionis cauſa, nempe ad viſitanda illa loca ſancta?

℞. Affirmative. Vid. Bardi l. cit. num. 147.

205 Qu. XXII. Si quis voveat peregrinationem hanc non ob finem viſendi loca ſancta, ſed ob alium finem honeſtum, & pium: e. g. ad viſitandam aliquam Eccleſiam, aut Imaginem: an ſit votum reſervatum?

℞. Negative. Vid. Bardi l. cit. n. 153.

206 Hæc ſatis pro ſufficienti notitia privilegii Bullæ Cruciatæ quoad votorum commutationem. Antequam vero progrediamur ad alia, monemus 1. nos hic tetigiſſe quamplures quæſtiones ſpectantes ad commutationem votorum, reſpicientem tantumodo, ſeu pertinentem ad privilegium Bullæ Cruciatæ, quod ſolum præſentis inſtituti fuit. Quapropter ſi præterea oriantur alia dubia ſpectantia ad materiam generalem de commutatione votorum, pro eorum reſolutione videantur Auctores agentes de Votis.

Monemus 2. (quod etiam valeat pro commutatione Votorum ex quolibet alio privilegio) hoc eſt, licet ſecundum dicta §. 1. qu. 5. plerique doceant, teneri Confeſſarium ad commutanda Vota, ſi requiratur, & poſſit; nihilominus ſi Confeſſarius non ſit adeo peritus, ut poſſit judicium ferre de materia æquivalenti ad commutationem, ut oportet, ſecundum dicta §. 1. qu. 15. quin ſe exponat periculo errandi: neque poſſit facile doctos viros conſulere: tunc certe nullum erit peccatum denegare commutationem: quia in tali caſu non debet ita quietem, & conſolationem pœnitentis curare, ut ſe periculo errandi exponat; ſic Bardi *par.* 2. *tr.* 7. *c.* 1. *ſect.* 4. *n.* 38. Profecto non modica ſcientia ad vota commutanda deſideratur, ut animadvertit Trull. *lib.* 1. §. 3. *c. dub.* 10. *n.* 2. prope finem; a quo etiam dub. 18. fine, & a Bardi *cap.* 3. *ſect.* 2. *n.* 22. & a Lud. a Cru. *diſp.* 1. *c.* 7. *dub.* 6. *n.* 1. initio laudatur Medina aſſerens, Confeſſarium, ſi in votis commutandis debitam diligentiam non adhibeat, peccare mortaliter; unde monet, ne quis hoc onus commutandi vota in ſe ſuſcipiat, niſi in Animarum regimine valde verſatus exiſtat. Cæterum quamdam praxim æqualitatis ſervandæ in commutatione votorum tradit Thomas Tambur. *in decal. lib.* 3. *c.* 16. §. 6. quæ videri poteſt.

SUB-

SUBSECTIO VI.

De privil. Miſſam, & alia divina officia celebrandi, iiſque aſſiſtendi etiam tempore Interdicti, in Eccleſiis, Oratoriiſque privatis.

207 SUMMUS Pontifex accipientibus Bullam Cruciatæ concedit, ut infra annum, quo durat Bulla, tempore Interdicti, quavis etiam Apoſtolica auctoritate lati: dummodo ipſi cauſam hujuſmodi Interdicto non dederint, vel per ipſos non ſteterit, quominus amoveatur; poſſint in Eccleſiis, in quibus aliàs divina officia, Interdicto durante, quomodolibet celebrare permiſſum fuerit; vel in privato Oratorio ad divinum cultum tantum deputato ab Ordinario viſitando, & deſignando, adhuc tempore Interdicti prædicti, in ſua, ac familiarium, & domeſticorum, ac conſanguineorum ſuorum præſentia, Miſſas, & alia Divina officia per ſeipſcs, ſi Presbyteri fuerint, celebrare, vel per alium, ſeu alios celebrare facere, & tempore Interdicti hujuſmodi Divinis intereſſe valeant. Eos tamen, qui præmiſſo Oratorio ad præmiſſa uti voluerint, quoties id fecerint, ad aliquas preces, prout cujuſque eorum devotio dictaverit, Deo, pro conſervatione unionis Principum Chriſtianorum contra infideles, eorumque contra eoſdem infideles victoria fundendas, omnino teneri vult, atque decernit.

208 Qu. I. Quid hic veniat nomine Oratorii privati?

℞. Intelligitur locus privatus in domibus privatis etiam Sæcularium Deo dicatus ad tempus, in quo ex licentia Miſſa celebratur. Bardi *par.* 2. *tr.* 2. *ſect.* 1. *n.* 3. Trull. *lib.* 1. §. 3. *dub.* 4. *nu.* 6. Vid. dicta *tr.* 1. 6. Januarii art. 1. ſect. 3. ſubſ. 2. qu. 1.

Qu. II. An hic Summus Pontifex concedat accipienti Bullam privilegium habendi Oratorium privatum? 209

℞. Negative; ſed ſolum concedit, quod ſi habeatur Oratorium privatum, in quo Miſſa celebrari poſſit per ſpeciale privilegium, aliunde a S. Sede conceſſum: concedit, inquam, quod habentes Bullam Cruciatæ in hujuſmodi Oratorio Miſſas adhuc Interdicti tempore, poſſint audire, celebrare, ſeu celebrari curare coram ſe, ac familiarium ec. Vid. Tambur. c. 5. §. 4. Trull. *lib.* 1. §. 3. *d.* 4. *a n.* 7. Dian. *edit. coord. tom.* 4. *tr.* 2. *R.* 48. Felix in Exam. Conf. *tom.* 1. *par.* 4. *c.* 10. *nu.* 3865. Salmant. *in append. tr.* 6. *de Bull. Cruc. c.* 4. *pu.* 3. *num.* 35.

Qu. III. De quo Interdicto hic ſermo ſit? 210

℞. De Interdicto tantum Locali, & generali, quodcumque illud ſit, ſive totale, ſive partiale quoad effectus, ſive ſit Papale, ſive Epiſcopale, ſive per modum Cenſuræ, ſive per modum puræ pœnæ; unde excluditur ab hoc privilegio Templum, & Oratorium privatum ſpecialiter interdictum, non autem generaliter. Vid. Bardi *cap.* 1. *ſect.* 2. Lud. a Cru. *diſp.* 1. *cap.* 5. *dub.* 2. *num.* 5.

Qu. IV. An hoc privilegio uti liceat tempore ceſſationis a Divinis, ſaltem generalis? 211

℞. Negative. Vid. Trull. *dub.* 2. *n.* 10. Bardi c. 3. *ſect.* 8.

Qu. V. Cujusnam Ordinarii viſitationem, & deſignationem opus eſt habere Oratorium privatum, ut in eo poſſit hoc privilegium exerceri? 212

℞. Ordinarii loci, in quo eſt Oratorium. Vid. Mendo *in Bull. Cruc.*

diſp.

diſp. 16. *n* 7. & in *Stat. opin. benign. diſſert.* 14. *qu.* 11. Bardi *cap.* 2. *ſect.* 2. Dian. *R.* 50. §. 3. Salmantic. *c.* 4. *pu.* 3. *num.* 40.

213 Qu. VI. Utrum tempore Interdicti, qui ex privilegio Bullæ celebrant & aſſiſtunt Miſſæ Sacrificio, aliiſque Divinis officiis in Oratoriis, & Eccleſiis, debeant id privatim facere?

℞. Affirmative, & ſolum cum ſuis familiaribus, & domeſticis, ac conſanguineis. Tambur. §. 2. n. 2. & 5.

214 Qu. VII. Quinam veniant hic nomine familiarium?

℞. Hic proprie venire ſervos, & famulos, qui Dominum ſuum juxta illius conditionem comitari ſoleant; unde is, qui habet Bullam, pergens ad Eccleſiam tempore Interdicti, ut audiat Miſſam, poteſt ſecum ducere famulos, qui juxta ſtatum ſolent eum comitari: & prædicti ſervi, ſeu famuli, etſi non habeant Bullam, & quamvis non habitent in domo Domini ſui, poſſunt & ipſi Miſſam audire, ſicut & Dominus, cui famulantur. Idem dic de ancillis reſpectu Dominarum ſuarum, quas comitari ſolent.

Dicitur *ſolent* comitari: quia non licet famulos, ſeu famulas eo ſolum tempore fraudulenter accipere, ut ſecum ad Eccleſiam deducant. Vid. Trull. *d.* 3. *n.* 2. *&* 4. *& dub.* 5. *n.* 2. *&* 3. Lud. *d.* 3. *n.* 3. Bardi *c.* 3. *ſect.* 2. *num.* 15.

215 Interrog. I. Utrum prædictus Dominus poſſit ſecum ducere ad Eccleſiam omnes ſeu plures ſuos famulos, ut ſecum Miſſam audiant, etſi non omnes, neque ſimul plures illum comitari conſueverint.

℞. Negative. Bardi l. cit. nu. 16. ſi fiat in fraudem, ſecus vero ſi illos plures ſolito famulos deducat ex eo, quia propter aliquam occaſionem conveniat, plures eum comitari: ut ſi contingeret ingreſſus in Urbem alicujus magni Principis, vel aliqua ſolemnitas magna; tunc quidem ceſſaret fraus, & omnes illos plures famulos poſſet ſecum adducere, ut ſecum Divinis aſſiſtant.

Interrog. 2. Si unus, vel alter ex familiaribus moriatur, aut ægrotet, aut fiat abſens; poterit ne privilegiatus ex Bulla totidem alios aſſumere familiares loco eorum, qui defecerunt, eoſque ad Eccleſiam adducere, ut Sacrificio Miſſæ, aliiſque officiis Divinis ſecum aſſiſtant? 216

℞. Affirmative; ita Trull. *diſt.* 3. *n.* 2. & poſt eum Bardi *c.* 3. ſect. 2. nu. 19. qui addit, idem eſſe dicendum, ſi Dominus vellet pro arbitrio, & beneplacito dimittere aliquos ex prioribus famulis, alioſque aſſumere, puta modo hos, modo illos ex ſuis famulis; ita quod non opus ſit ſemper eoſdem habere pediſſequos.

Interrog. 3. An Mulieres quædam; quæ ſolent comitari aliquam aliam Mulierem nobilem, ſeu honeſtam, famulas, ſeu famulam non habentem, dum ſe confert ad Eccleſiam, poſſint una cum illa, ſi habeat Bullam, Miſſæ Sacrificio aſſiſtere in Templo, quamvis per ſe illius famulæ non ſint, nec in ejuſdem habitent domo? 217

℞. Affirmative. Vid. Trull. *dub.* 5. *n.* 2. & dicenda interrog. 9. videri etiam poteſt Azor. *Inſtit. Moral. par.* 1. *l.* 5. *c.* 23. *qu.* 7.

Interrog. 4. An Pædagogus, non habens Bullam, poſſit audire Miſſam in Eccleſia, ad quam comitatur diſcipulum ſuum habentem Bullam? 218

℞. Affirmari probabiliter poſſe, docet Trull. *dub.* 5. *n.* 3.

In-

219 Interrog. 5. An Magiſtri habentes Bullam, poſſit ſecum diſcipulos ducere ad Eccleſiam, ut Miſſam audiant, quando eos ſine periculo relinquere nequeant?

℞. Probabile eſſe, quod poſſint, docet Trull. l. cit. Verum id non eſt intelligendum pro caſu, quo, abſolutis horis ſtudendi, ſeu finita Schola matutina poſſint illos dimittere, ut unuſquiſque revertatur in domum ſuam; tunc enim dicendum eſt, non poſſe diſcipulos ſuos, non habentes Bullam, ad Eccleſiam ſecum ducere; quod quidem ſatis ſignificat ipſe Trullench.

220 Interrog. 6. Si Dominus privilegiatus audiat Miſſam Domi ſuæ in Oratorio privato, an poſſit convocare omnes omnino famulos ſuos, ſeu famulas, licet plures ſint, ut & ipſi audiant Miſſam?

℞. Affirmat Lud. dub. 3. num. 3. Verum indicat id eſſe non ratione famulatus, ſed ratione domeſticitatis: ſeu non qua famuli, ſed qua Domeſtici ejus; profecto in Bulla dicitur: in *familiarium*, *& domeſticorum præſentia Miſſas &c.* Prædictos autem famulos eſſe etiam Domeſticos, conſtabit ex dicendis qu. 8.

221 Interrog. 7. An, ſi famulus ſoleat abeſſe, aut etiam non habitet in Domo Domini ſui, ſed e. g. Ruri; etiam ipſe poſſit aſſiſtere Miſſæ in Oratorio privato Domini ſui habentis Bullam?

℞. Affirmat Trull. dub. 5. nu. 2. Ludov. dub. 3. n. 2. & cum Caſtropalao Diana edit. coord. to. 4. tr. 2. R. 51. §. 2. & cum Pellizario Tambur. Meth. celebr. Miſſ. *lib.* 1. *c.* 4. §. 4. *n.* 29. ubi dicit Factorem, qui vivit de ſalario Domini, etſi dormiat, ſeu habitet in ſua propria domo, eſſe nihilominus de familia, atque adeo familiarem Domini habentis Oratorium privatum. An hujuſmodi poſſint etiam vocari Domeſtici? Vid. qu. 8.

Interrog. VIII. Utrum Cappellanus Domini, qui in propria domo vivit, & non in domo dicti Domini, ſed ſolum habet Salarium, ſeu eleemoſynam ad celebrandum pro ipſo Miſſas; ſit de familia prædicti Domini, atque adeo poſſit & ipſe Miſſam audire in Oratorio illius privato? 222

℞. Abſolute affirmat Pellizarius apud Tambur. *l. cit. n.* 30. At diſtinctione utitur ipſe Tamburinus ibidem: nam ſi talis Sacerdos ſit prædicto privilegiato ita addictus, ut ſemper, vel frequenter Miſſam celebret, ſive in Domo prædicti privilegiati, ſive alibi præſente eodem privilegiato: putat, poſſe dici de familia. At ſi ſit Capellanus quidem prædicti privilegiati, a quo pro Miſſis Salarium, ſeu eleemoſynam habeat, ſed cum libertate celebrandi in Eccleſia determinata, ſive ubi libuerit; non putat poſſe dici de familia, quia hoc modo non eſt Capellanus familiaris, ſed externus, & ut talis poſſet habitare in alia Civitate, ibique pro tali Domino privilegiato dictas Miſſas ex ipſius ſtipendio celebrare, quando etiam eum appellare familiarem prædicti privilegiati, nimis durum eſſet; ita Tambur. cujus ſententiæ ſtandum eſſe judico.

Interrog. IX. An Mulieres illæ pediſequæ, quibus Interrog. 3. conceſſimus, poſſe in Eccleſia audire Miſſam Interdicti tempore una cum Domina, quam comitentur: idem poſſint in Oratorio privato? 223

℞. Negat Trull. *dub.* 5. *n.* 2. quan-

tum eſt ex vi privilegii Bullæ; quia, inquit, iſtæ pediſequæ foraneæ non ſunt domeſticæ, & commenſales, unde nec familiares proprie dicuntur. Rationem vero diſparitatis aſſignat idem Trull. ibidem quia nimirum in caſu Eccleſiæ, ſi hujuſmodi Mulieres pediſequæ non comprehenderentur ſub nomine familiarum, & domeſticorum: privilegium redderetur inutile his, qui non poſſunt decenter incedere ſine comitatu ſtatui eorum conveniente (Vid. Azor. Inſt. Moral. *par.* 1. *l.* 5. *c.* 23. *qu.* 7.) In caſu autem Oratorii privati privilegium ſufficienter operatur ſuum effectum, ſi tantum familiares modo explicato intelliguntur; nam quando privilegium eſt contra jus commune, licet ita ſit interpretandum, ut operetur aliquid contra jus commune, dato tamen aliquo, in quo illud operetur, reſtringendum eſt, ne operetur alia, in quibus ſaltem non eſt eadem ratio; ita Navarr. Conſil. 15. *n.* 1. & *conſil.* 22. *n.* 3. *de privil. lib.* 5. *cum Panorm.* in cap. *certificari n.* 10. *de ſepult.* quod colligit ex cap. *In his de privilegiis*, & multi alii, quos citat, & ſequitur Henriquez *lib.* 7. *c.* 30. *n.* 2. Hæc autem omnia intelligenda ſunt tempore Interdicti, & de familiaribus non habentibus Bullam; nam eam habentibus eadem conceditur iiſdem, ut etiam eo tempore poſſint in Oratorio, in quo alias licite celebratur, Miſſam audire. Hæc laudatus Trull. Eamdem ſententiam ſuſtinet Villalobos, quem citat, & ſequitur Diana *R.* 53. §. 3. Idem ſentit Bardi *c.* 3. *ſect.* 2. *num.* 17. ubi dicit: ſub nomine familiarium, non debere intelligi eos, qui ſolum honoris cauſa comitantur privilegiatum euntem ad Eccleſiam: hi enim, inquit, proprie loquendo, non ſunt familiares, quia non aluntur ob obſequium præſtitum, expenſis ipſius privilegiati, neque ſunt ejus commenſales, & Domeſtici.

Interrog. 10. An Sacerdos habens famulum, poſſit coram illo celebrare, etiamſi famulus non habeat Bullam; & an ille poſſit celebranti inſervire? 224

℞. Affirmative; ita cum Rodrig. Trull. dub. 3. n. 3. & cum aliis Lud. *dub.* 3. *n.* 4. Bardi *c.* 3. *ſect.* 2. *nu.* 18. qui addunt, id poſſe, ſive famulus fuerit receptus a Sacerdote ante, ſive poſt promulgatum Interdictum.

Interrog. 11. An Sacerdos, ſi inveniat Miniſtrum habentem privilegium aſſiſtendi Divinis, poſſit, illo relicto privilegiato, aſſumere ſibi Laicum non famulum, vel familiarem, ſeu conſanguineum, nec alias privilegiatum? 225

℞. Negant alii, alii affirmant, cum quibus affirmantibus ſentit Bardi l. cit. & Diana R. 51. §. 5.

Qu. VIII. Quinam veniant nomine Domeſticorum?

℞. Ex Bardi c. 3. ſect. 1. nu. 5. Domeſtici nuncupantur omnes habitantes in eadem domo cum quadam habitudine ſubjectionis ad caput ejuſdem domus, fundata in ratione poteſtatis, vel patriæ, vel dominativæ; & ſic domeſtici ſunt ob primam habitudinem filii, nepotes, & cæteri per lineam rectam deſcendentes, qui manent ſub regimine Parentum, Avorum &c. Ob ſecundam vero habitudinem ſunt Servi, famuli &c. viventes expenſis Domini, eique obſequium præſtantes, & in eadem ipſius domo manentes, & habitantes. Imo Caſtropalaus, quem ſequitur Diana 226

R. 52.

R. 52. ſentit prædictos famulos poſſe vocari domeſticos, etiamſi non habitent in domo Domini ſui, quia ad ipſam domum pertinent?

Qu. IX. Quinam hic veniant nomine Conſaguineorum?

℞. Conſanguineorum nomine intelliguntur, qui ſunt vere, & proprie conſanguinei uſque ad quartum gradum incluſive, tam in linea recta aſcendentium; & deſcendentium; quam collateralium ſeu tranſverſalium. Vid. Trull. *dub.* 3. *nu.* 5. & *dub.* 5. *n.* 3. Bardi *c.* 3. *ſect.* 3. *nu.* 21. Diana R. 52. §. 2. & R. 53. §. 2. Tambur. *Meth. celebr. Miſ. lib.* 1. *c.* 4. §. 4. *n.* 39. Fel. *n.* 3867. Lud. *diſt.* 3. *num.* 5.

228 Interrog. hic 1. An Uxor poſſit participare de hoc privilegio Viri ſui?

℞. Nonnulli negant; ſed communiter Auctores affirmant: quia ſi agnatis conceditur participatio hujus privilegii ob connexionem, quam habent cum privilegiato principali, multo magis concedi debet Uxori, quæ eſt una caro cum Viro: inter quos potius eſt veluti quædam identitas, quam cognatio. Vid. Bardi *c.* 3. *ſect.* 3. Trull. *d.* 3. *n.* 5. Lud. *d.* 3. *n.* 2. 5. & 6. Dian. *R.* 41. §. 2. in fine, & R. 53. Tambur. *nu.* 28. & 39. Franciſc. de Lugo *de Sacram. lib.* 5. *de Miſſa* c. 6. qu. 5. nu. 37. Salmant. *in app. tr.* 6. *de Bull. Cruc.* c. 4. pu. 1. n. 4.

229 Interrog. 2. An privilegium, de quo loquimur, faveat Affinibus; atque adeo ex vi illius poſſit privilegiatus principalis, ſecum illos adducere, ut in Eccleſia, vel Oratorio Miſſam audiant, aliiſque divinis officiis aſſiſtant?

℞. Negative. Vid. Bardi *cap.* 3. *ſect.* 4. Trull. *dub.* 3. *num.* 6. Tambur. *num.* 39. Fel. *num.* 3867. *d.* 3. *n.* 5. Dian. *R.* 53. §. 2.

Interrog. 3. An opus ſit, Conſanguineos privilegiati morari in eadem domo cum ipſo, ad hoc ut privilegium iſtud participent? 230

℞. Negative. Sed ſufficit titulus Conſanguinitatis, qui in Bulla apponitur ut contradiſtinctus a reliquis: neque eſt ullum veſtigium in ipſamet Bulla, per quod colligamus, requiri cohabitationem iſtam; ita Bardi *c.* 3. *ſect.* 3. *n.* 24. cui conſentit Diana *R.* 53. §. 4. Salmant. l. cit.

Qu. X. An Conſanguinei, & Domeſtici, ac familiares non habentes Bullam poſſint tempore Interdicti Sacrum audire, ſi eidem non aſſiſtat ſimul Dominus, ſeu principalis habens Bullam? 231

℞. Negative; præſertim ſi ſermo ſit de Miſſa in Oratorio privato: & quamvis aliqui contrariam ſententiam putaverint eſſe probabilem; nihilominus omnino ſtandum eſt in ſententia negativa poſt Decretum circa celebrationem Miſſarum in Oratoriis privatis editum juſſu Summi Pontificis Benedicti XIV. die 7. Januarii an. 1741. quod incipit: *Cum duo Nobiles*. Enimvero cum duo nobiles Conjuges obtinuiſſent a Sede Apoſtolica Indultum pro celebratione Miſſæ in privato ſuæ Domus Oratorio in præſentia ſuorum conſanguineorum, familiarium &c. *cumque exorta eſſet dubitatio:* (ſunt hæc verba Decreti Pontificii) *an ex vi hujuſmodi Indulti liceret Miſſam celebrari in privato Oratorio, etiam ſine præſentia alterutrius ex dictis Conjugibus, in quos Indulti conceſſio directa erat, cui quidem dubitationi locum dedit opinio nonnullorum Doctorum pro affirmativa, & negativa reſpective ſententia inter*

ſe certantium; Sacra Congregatio Concilii, ad quam hujus quæſtionis reſolutio delata fuit die 3. Decembris 1740. cenſuit: Non licere. Deinde vero SS. D. Noſter reprobata contraria ſententia, prædictam Sacræ Congregationis reſolutionem nedum approbavit, verum etiam præſenti Decreto publice evulgando voluit omnibus notum fieri: non poſſe vigore ſimilis Indulti celebrari Miſſam in privatis Oratoriis, quando eidem Miſſæ actu non interſit aliquis ex iis, quibus principaliter Indultum conceſſum eſt . . . . . ſublata igitur, & proſcripta quacumque minus germana interpretatione ejuſmodi Brevium, & Indultorum in contrarium hactenus facta, Sanctitas Sua ita declaravit, & ſervari omnino mandavit, diſtricte præcipiens, ut omnes Epiſcopi, aliique locorum Ordinarii, etiam tamquam a Sede Apoſtolica delegati executioni, & obſervantiæ hujus Decreti diligenter incumbant per Canonicas pœnas contra inobedientes eorum arbitrio conſtituendas. Videri etiam poteſt laudati Pontificis Epiſt. encycl. *de Orat. privat. incip. Magno* §. 14. & 15. in ſelect. ejus Conſtit. eſt par. 2. & n. 81.

232 Qu. XI. An privilegium Bullæ, de audienda Miſſa in Oratorio privato proſit etiam extra tempus Interdicti; ita ut, qui habet Bullam, adhuc ſi extra tempus interdicti audiat Miſſam in Oratorio alieno, ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ in diebus feſtivis de præcepto?

℞. Alii probabiliter negant, alii probabiliter affirmant; ſententia affirmativa tuta eſt in praxi, licet ſuadendum omnibus ſit hujuſmodi privilegiatis, ut in Eccleſia Miſſam audiant diebus feſtivis ſaltem ſolemnioribus. Vid. pro hac quæſtione Bardi *c. 6. ſect. 1.* Trull. *dub. 4. num. 11.* Salmantic. *in app. tr. 6. de Bull. Cruc. c. 4. pu. 2. n. 15.* Ludov. *c. 5. dub. 1. n. 3.* & Dian. R. 42. & §. 4. & 6. & R. 56. Qui tamen in fine ſubdubitat, ne ſententiæ affirmativæ obſtet declaratio quædam Sacræ Congregationis. Verum lege Patrem Mendo in Statera *opin. benign. diſſ. 14. qu. 3. n. 26.* qui bene reſpondet ad hujuſmodi declarationem.

Qu. XII. An tempore Interdicti, 233 qui ex Bulla Cruciatæ habet privilegium, audiendi Miſſam ſive in Eccleſia, ſive in Oratorio privato, teneatur ſub gravi, diebus feſtis de præcepto illam audire, ſive in Eccleſia, ſive in Oratorio privato. Idem quæritur pro diebus feſtivis de præcepto extra tempus Interdicti de eo, qui ex privilegio Bullæ poteſt Miſſam audire in Oratorio privato: Id eſt quærere; utrum hi teneantur uti ſuo privilegio?

℞. Alii abſolute negant, alii denique nonnullas adhibent diſtinctiones, cum quibus poſtremis dico primo: tempore Interdicti, qui ex Bulla habet privilegium audiendi Miſſam, tenetur ſub gravi diebus feſtis illam audire in Eccleſia, ſive in aliquo Oratorio minime privato, quemadmodum ſunt Oratoria in domibus Regularium, & ſimilia, de quibus tr. 1. 6. Januar. art. 1. ſect. 3. ſubſ. 2. qu. 1.

Dico 2. ſive intra, ſive extra tempus Interdicti, qui habet privilegium, audiendi Miſſam in Oratorio privato, non tenetur procurare, ut aliquis Sacerdos veniat ad celebrandum in dicto Oratorio; unde ſi ipſe non poteſt Eccleſiam adire, poteſt omittere Miſſam.

Dico 3. Etiam tempore Interdicti, ſi de facto celebretur Miſſa in Orato-

torio privato, qui habet privilegium audiendi dicto tempore Miſſam, ſive in Eccleſia, ſive in Oratorio privato, ſi non poteſt Eccleſiam adire, bene tamen tale Oratorium privatum, tenetur in eo Miſſam audire. Pro hujuſcemodi aſſertionibus rationes videri poſſunt reſpective apud Auctores pro hac quæſtione citandos, ſcilicet Bardi *c.* 3. *ſect.* 6. *& in ejus vindicatione per tot.* Franciſc. de Lugo *de Sacram. lib.* 5. *de Miſſ. c.* 6. *qu.* 5. *n.* 39. *& c.* 15. *qu.* 4. Trull. *l.* 1. §. 3. *dub.* 6. Ludov. *diſp.* 1. *c.* 5. *dub.* 4. Dian. *edit. coord. to.* 4. *tr.* 2. *R.* 35. & 36. *& tr.* 3. *R.* 124. Tambur. *in Bull. Cruc. c.* 5. §. 2. *n.* 6. & 7. Fel. *a n* 3880. Azor. *Inſtit. Moral. par.* 1. *l.* 7. *c.* 2. *qu.* 3.

234 Interrog. An hæc procedant etiam quoad eos, qui poſſunt audire Miſſam ob ſimplicem participationem privilegii habentis Bullam, ut ſunt Conſanguinei, familiares, & domeſtici ejus?

℞. Azor. l. cit. examinat, an quando quis Pontificio gaudet privilegio, ut tempore Interdicti audire poſſit Miſſæ Sacrificium, & ducere ſecum familiares, ſive amicos, duos, aut tres, quos ipſe delegerit; debeat is, qui ipſi eſt familiaritate, & conſuetudine conjunctus, ei ſe adjungere, ut una cum eo in die feſto Miſſam audiat, & is quoque, qui ad id fuerit ab ipſo delectus, debeat eum comitari, ut interſit Miſſæ ſacrificio? Et ad hujuſmodi quæſtionem reſpondet Azorius, eos non debere, ſeu non teneri hanc diligentiam adhibere, ut ſeſe ei adjungant; Si tamen ab eo vocentur, vel deducantur, ut commode Miſſam audire queant, dicit, quod forte debeant audire: ſecus vero, probabile ſe reputare, quod minime teneantur. Et ſuper hac quæſtione videri etiam poſſunt Salmantic. *in app. tr.* 6. *de Bull. Cruc. c.* 4. *pu.* 1. *n.* 11.

Qu. XIII. Cum in conceſſione Oratorii privati ſoleant excipi nonnulli dies ex ſolemnioribus, in quibus celebrare in hujuſmodi Oratorio minime liceat, quos quidem dies recenſuimus tr. 1. S. Januar. art. 1. ſect. 3. ſubſ. 2. qu. 2. hic quæritur, utrum nihilominus per Bullam Cruciatæ, hujuſmodi diebus excipi ſolitis liceat adhuc celebrare in Oratorio privato, ibique Miſſam audire; ita ut præcepto Eccleſiaſtico ſatisfiat, de audienda Miſſa, ab habentibus Bullam Cruciatæ, aut ab ejuſdem privilegium participantibus ſecundum dicta a qu. 7.? 235

℞. Alii affirmant, alii negant; Affirmativa ſententia eſt ſatis probabilis, & tuta in praxi, ſive ſermo ſit de proprio, ſive de alieno Oratorio. Licet hortandi ſint hujuſmodi privilegiati, ut in hujuſmodi ſolemnioribus feſtivitatibus, niſi magna urgeat neceſſitas ad Eccleſiam ſe conferant pro audienda Miſſa. Pro hac quæſtione videatur Bardi *c.* 6. *ſect.* 2. Salmantic. *c.* 4. *pu.* 2. *n.* 17. Trull. *d.* 4. *n.* 12. Joan. Baptiſta Gatticus *de Orat. domeſt. c.* 27. *n.* 17. Tambur. *Meth. celebr. Miſſ. c.* 4. §. 4. *n.* 37. & 78. Mendo *in Statera opin. benign. diſſ.* 14. *qu.* 3. & 10. Fel. a *n.* 3866. & Dian. cit. *tr.* 2. *R.* 28. 54. & 55. cui tamen difficultatem aliquam facit declaratio quædam Sacræ Congregationis: ſed illam ſolvit Mendo *cit. qu.* 3. *n.* 26.

Interrog. hic: An ſaltem excipiendus ſit dies Paſchæ, ſeu Dominica Reſurrectionis? Dubium oritur ex eo, quia hæc dies in Bulla videtur 236

ex-

bilium. Ita Ludov. a Cruc. *diſp.* 1. *c.* 9. *dub. ult.* fine. Trull. *l. cit. nu.* 2. Bardi *loc. cit. c.* 3. qui hoc punctum latius, & bene explicat, atque pertractat.

248 Qu. II. Quænam perſonæ exiſtimandæ ſint qualificatæ, quibus hoc privilegium a Commiſſario Generali Cruciatæ communicari etiam poſſit?

℞. Eædem, quæ Nobiles. Enimvero ubi Pontifex dicit, hoc privilegium a Commiſſario communicari poſſe perſonis nobilibus, *& iis, quæ juxta ipſius Commiſſarii arbitrium qualificatæ fuerint*: per hæc verba non poſtulat conditionem diſtinctam a præcedenti, nempe a nobilitate; ſed arbitrio ipſius Commiſſarii relinquit, quæ perſonæ exiſtimandæ ſint nobiles, ſeu qualificatæ, ratione alicujus nobilitatis, eo modo quo explicuimus qu. præc. Quoad Horam celebrandi, & de privilegio anticipandi ipſam, conferri poſſunt dicta a nobis tr. 1. lib. 1. c. 1. art. 9. ſect. 10.

SUBSECTIO VIII.

De privilegio recipiendi Euchariſtiam, & reliqua Sacramenta in Eccleſiis, Oratoriiſq. privatis, etiam tempore Interdicti.

249 SUMMUS Pontifex accipientibus Bullam Cruciatæ concedit, ut Euchariſtiam, & alia Sacramenta, præterquam in die Paſchatis, recipere poſſint, etiam tempore interdicti in Eccleſiis, in quibus aliàs Divina officia, Interdicto durante, quomodolibet celebrare permiſſum fuerit; vel in privato Oratorio ad Divinum cultum tantum deputato ab Ordinario viſitando, & deſignando, etiam tempore Interdicti, cui ipſi cauſam non dederint, vel per eos non ſteterit, quominus amoveatur.

De quonam Interdicto hic ſermo ſit? quale dicatur Oratorium privatum? a quonam Ordinario Oratorium approbandum? examinavimus ſubſ. 6. qu. 1. 3. & 5. Hic autem

Qu. I. Utrum, qui habet Bullam Cruciatæ, poſſit tempore Interdicti, quantum eſt ex vi hujus privilegii, recipere omnia Sacramenta? 250

℞. Affirmative: quia nullum excipitur a Pontifice, qui abſolute loquitur, & illimitate; unde præter Sacramenta Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Confirmationis, quæ ab ipſo jure conceduntur tempore Interdicti, licebit ſumere Sacramentum Euchariſtiæ etiam ex ſimplici devotione: item Sacramentum Ordinis, & extremæ Unctionis; nec non Matrimonium, quamvis hoc ultimum ex Jure communi conceſſum tempore Interdicti doceant nonnulli. Vid. Ludov. a Cruc. *diſp.* 1. *c.* 5. *dub.* 5. *n.* 1. *prope finem*. Bardi *par.* 2. *tr.* 2. *c.* 4. *ſect.* 3. *n.* 22. Trull. *lib.* 1. §. 3. *dub.* 7. *num.* 3.

Qu. II. An præter Euchariſtiam prohibeantur & alia Sacramenta in die Paſchatis? 251

℞. Negative. Porro illa exceptio *præterquam in die Paſchatis*: quæ poſſet movere dubium propoſitum, non cadit ſupra omnia Sacramenta, ſed ſupra ſolam Euchariſtiam: ut bene notat Lud. *cit. dub.* 5. *n.* 1. *&* 2.

Qu. III. An extra tempus Interdicti liceat ſumere Euchariſtiam in Oratorio privato habentibus Bull. Cr. 252

℞. Affirmative: etiam in ſolemnioribus feſtivitatibus præterquam in die Paſchatis; ſed non paſſim, maxime in prædictis diebus, nec ſine neceſſitate conſultum eſt, recipi in Oratorio

rio privato: quemadmodum de privilegio celebrandi in eodem, monuimus ſubſ. 6. qu. 13. Vid. Trull. *cit. dub.* 7. *num.* 4. Salmantic. *in append. tract.* 6. *de Bull. Cruc. cap.* 4. *pu.* 2. *num.* 15.

253 Qu. IV. Utrum habentibus Bullam Cruciatæ liceat in die Paſchatis communicare ex devotione, aut ex alia obligatione, quam ſatisfaciendi præcepto Paſchali, in Oratoriis privatis?

℞. Affirmant Suar. *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 72. *ſect.* 2. §. *Cenſeo igitur ſine*. Lud. a Cruc. *dub.* 5. *nu.* 2. *&* 6. *& dub.* 6. *n.* 14. Bardi *c.* 4. *ſect.* 2. *a n.* 12. Tambur. *in Bull. cap.* 6. *n.* 3. Salmant. *cap.* 4. *pu.* 2. *n.* 21. Diana *edit. coord. to.* 4. *tr.* 2. *R.* 57. *&* 58. Mendo *in Bull. Cruc. diſp.* 15. *c.* 2. *n.* 9. *& in Statera opin. benign. diſſert.* 14. *qu.* 10. 122. Felix Poteſtas *n.* 3866. Franciſcus de-Lugo *de Sacram. lib.* 4. *de Euchar. c.* 11. *qu.* 4. *n.* 40. Roderic. *to.* 1. *qu.* 56. *art.* 3. §. *ex his inferuntur*, & Quintanadven. *in ſingular. to.* 1. *de Euchar. tr.* 4. *ſingul.* 12. *n.* 1. qui eodem tr. 4. ſingul. 6. n. 4. communionem ex eodem privilegio Cruciatæ, conceſſerat etiam in Feria VI. majoris hebdomadæ, ut videbimus hoc lib. 4. par. 2. in fer. 6. Paraſcev. nu. 275. quem tamen rejiciemus ibidem num. 281. ſententiam vero negativam in quæſtione præſenti tuetur Trull. *cit. dub.* 7. *n.* 8. & 9. cui etiam ſententiæ favere, dicendi ſunt Doctores illi, qui loquentes de privilegio Mendicantium miniſtrandi Euchariſtiam, ſed eadem exceptione præterquam in die paſchatis, ita interpretantur, ut excludat etiam communionem ex mera devotione; de quo nobis erit ſermo lib. 5. part. 2. 1. part. c. 3. ſect. 7. n. 147. Similiter autem & mihi opus eſt hic ſequi ſententiam negativam, quoniam ibi loc. cit. n. 149. quoad illud privilegium Mendicantium adhærebo ſententiæ negativæ ob aliquas declarationes S. C. C. quas ibi n. 148. allegabo in favorem illius. Videantur omnino dicenda cit. ſect. 7. ubi tamen n. 149. concedimus licere communicare in die Paſchatis extra Parochiam ex devotione, aut alia obligatione, quam ſatisfaciendi præcepto Eccleſiæ, cum licentia Parochi proprii; vel etiam ſine ea, ubi adſit conſuetudo, ac Parochorum facultas tacita, atque præſumpta: quin etiam de licentia Parochi valere etiam in adimplementum præcepti Paſchalis. V. loc. cit. cap. 3. ſect. 5. qu. 4.

Qu. V. Utrum, qui habet privilegium Bullæ, ſi in die Paſchæ, & toto tempore deſignato ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali, non poſſit adire Parochiam, teneatur prædicto tempore communicare extra Parochiam in alia Eccleſia, ſive etiam in Oratorio privato? 254

℞. Huic quæſtioni ſatisfaciemus, ubi de Communione Paſchali cit. c. 3. *ſect.* 2. *qu.* 16. *& ſect.* 3. *qu.* 14. *& ſect.* 5. *qu.* 5.

Qu. VI. Utrum ex privilegio Bullæ liceat ſumere Euchariſtiam a quolibet Sacerdote extra obligationem Præcepti Paſchalis? 255

℞. Etſi aliqui affirment, nihilominus ſtandum eſt pro ſententia negativa. Vid. Franc. de-Lugo *de Sacram. lib.* 4. *de Euchariſt. c.* 11. *qu.* 4. Trull. *lib.* 1. §. 3. *dub.* 8. Bardi *c.* 6. *ſect.* 3. Suar. *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 72. *ſect.* 2. §. *Quo circa*. Cardinalis de-Lugo *de Euchar. diſp.* 18. *a n.* 40. Poterit tamen, etiamſi non ha-

habeatur Bulla, Euchariſtia recipi a quolibet Sacerdote, ſi adſit tacita, & præſumpta voluntas Paſtoris: ut jam noſtris temporibus videtur adeſſe pro communione extra obligationem præcepti; unde Euchariſtia cuilibet a quolibet ſimplici Sacerdote in qualibet Eccleſia miniſtrari ſolet. Vide Auctores laudatos, & a nobis dicenda hoc tract. 2. lib. 5. par. 2. in ejus 1. par. cap. 3. ſect. 7. n. 144. & 146.

256 Qu. VII. An Euchariſtia, & alia Sacramenta, non obſtante privilegio Bullæ, miniſtranda, ac recipienda ſint tempore Interdicti januis clauſis, & privatim?

℞. Affirmative: juxta ac requirit Interdicti tempus: Bulla enim, & Privilegia in aliis non expreſſis non debent Interdicti legibus officere: ut recte animadvertit Tambur. *c. 6. n.* 2.

257 Qu. VIII. An iis, qui ex privilegio Bullæ accipiunt Euchariſtiam in Oratorio privato, imponantur preces pro unione &c. quemadmodum ſubſ. *6.* vidimus.

℞. Negat Trull. *lib.* 1. §. 3. *dub.* 5. *n.* 4. prope finem. Affimant vero Bardi *cap.* 4. *ſect.* 1. *n.* 7. Tambur. *in Bull.* *c.* 7. *num.* 4. & Salmantic. *in app. tr. 6. de Bull. Cruc. c.* 4. *pu.* 1. *n.* 13. quæ affirmativa ſententia mihi eſt verior, & omnino ſuadenda eſt in praxi. Ratio eſt, quia tum in originali Bulla latina, tum in ejus ſummario latino, & vulgari, de oratione prædicta ſermo eſt, non ſolum poſt conceſſionem privilegii celebrandi, & audiendi Miſſam, & Divina officia in Oratorio privato: ſed etiam mox poſt conceſſionem privilegii ſumendi Euchariſtiam in eodem Oratorio privato. Profecto in Bulla Cruciatæ Pii V. ſic legitur... *libere poſſint in privato Oratorio . . . Miſſas, & alia Divina per ſeipſos, ſi Presbyteri fuerint, celebrare, vel per alium, ſeu alios celebrare facere, & tempore Interdicti hujuſmodi Divinis intereſſe. Nec non Euchariſtiam, & alia eccleſiaſtica Sacramenta, præterquam in die Paſchatis recipere . . . . Eos tamen, qui præmiſſo Oratorio ad præmiſſa uti voluerint, quoties id fecerint, ad aliquas preces, prout cujuſque eorum devotio dictaverit, Deo pro conſervatione unionis Principum Chriſtianorum contra Infideles, eorumque contra eoſdem Infideles victoria, fundendas, omnino teneri volumus.* Similia ſimili modo ponuntur in Summario latino ejuſdem Bullæ, & item in Summario vulgari.

Dubia circa Orationem hujuſmodi propoſuimus, & eorum ſolutionem dedimus ſubſ. *6.* a qu. *16.* ſicut autem ibi qu. *19.* docuimus, non eſſe obligationem orandi, ſi Miſſa audiatur tempore Interdicti ex privilegio Bullæ in Eccleſiis, & Oratoriis minime privatis, ſed ſolum ſi in Oratoriis privatis; ita ſimiliter notamus, eſſe dicendum de ſumptione Euchariſtiæ: nimirum non eſſe obligationem, faciendi prædictam Orationem, ſi communio fiat in Eccleſia tempore Interdicti ex privilegio Bullæ, & Oratoriis minime privatis; ſed ſolum ſi in Oratoriis privatis, ſive tempore Interdicti, ſive extra hujuſmodi tempus, quoties communio fiat ex privilegio Bullæ. Ratio eſt omnino eadem, quæ aſſignatur pro Miſſa, quæque videri poteſt apud Bardi *par.* 2. *tr.* 2. *c.* 3. *ſect.* 5. §. 5. & Trull. *lib.* 1. §. 3. *dub.* 5. *prope fin.*

SUB-

SUBSECTIO IX.

De privilegio Sepulturæ Eccleſiaſticæ tempore Interdicti.

258 SUMMUS Pontifex fidelibus accipientibus Bullam Cruciatæ Vivorum, ſeu communem, concedit, ut poſſint eorum decedentium corpora, etiam cum moderata funerali eccleſiaſtica pompa eccleſiaſticæ ſepulturæ tradi, ſi obierint intra annum, quo durat Bulla, tempore Interdicti, quavis etiam Apoſtolica auctoritate lati; dummodo excomunicationis vinculo minime deceſſerint innodati.

259 Qu. I. Utrum tempore Interdicti localis generalis, (de quo Interdicto hic ſermo eſt, ſecundum dicta ſubſ. 6. qu. 3.) poſſit Bulla vivorum ſumi pro Defuncto, ut ejus cadaver poſſit ſepeliri in loco ſacro?

℞. Negative. Itaque, ut quis Interdicti tempore in loco ſacro ſepeliatur virtute Bullæ, oportet, ut Bulla communis, ſeu vivorum accepta fuerit ante mortem illius, cui applicatur: aliter erit prorſus inutilis applicatio. Vid. Bardi *p.* 2. *tr.* 2. *c.* 5. *Sect.* 2. & videri rurſus poteſt idem *par.* 1. *tr.* 2. *c.* 4. *Sect.* 5. *n.* 147. item Dian. *edit. coord. to.* 4. *tr.* 3. *R.* 176. & videri poſſunt dicenda ſect. 2. ſubſ. 2. qu. 4.

260 Qu. II. An ſi ſumatur Bulla pro vivente puero, carente uſu rationis: ſi forte moriatur intra tempus Interdicti, poſſet ei prodeſſe ad hoc, ut ſepeliatur in loco ſacro?

℞. Affirmative. Lud. *diſp.* 1. *cap.* 5. *dub.* 7. *n.* 3. Trull. *lib.* 1. §. 3. *dub.* 10. *n.* 1. Tambur. *c.* 3. *n.* 10. Henriq. in *Sum. lib.* 7. *c.* 20. *n.* 8. Bardi *part.* 1. *tr.* 2. *c.* 4. *Sect.* 5. *n.* 137.; & alii; qui ideo bene monent: debere Interdicti tempore Parentes pro filiis ſuis etiam uſu rationis carentibus, dum ipſi filii vivunt, Bullam vivorum accipere, ut ſi forte dicti filii prædicto tempore moriantur, ſepultura eccleſiaſtica donari poſſint. Vide dicenda Sect. 2. ſubſ. 2. qu. 3.

Qu. III. An privilegiati virtute Bullæ poſſint ſepeliri in Eccleſia ſpecialiter interdicta? 261

℞. Affirmant Trull. *cit. dub.* 10. *n.* 5. & alii, quorum tamen ſententiam licet fateatur eſſe probabilem Bardi *Sect.* 5. *n.* 40. nihilominus ipſe oppoſitum, ſuſtinet, eſſe probabilius n. 39. niſi in loco omnes Eccleſiæ eſſent interdictæ; aut non extaret in loco, niſi unica Eccleſia; in hoc caſu enim n. 36. concedit poſſe in hujuſmodi Eccleſia etiam ſpecialiter interdicta, ſive in una ex prædictis Eccleſiis ſpecialiter interdictis ſepeliri virtute Bullæ. In caſu autem, quo privilegiatus hujusmodi ſepeliatur in Eccleſia ſpecialiter interdicta, monet idem Trull. n. 6. prope fin. non licere in ea Miſſæ ſacrificium celebrare. Sepeliendum eſt itaque Cadaver cum moderata funerali pompa ex Bulla permiſſa; ſed ſine Miſſa; quia in tali Eccleſia ſolum permittitur celebratio unius Miſſæ in hebdomada ad renovandam Euchariſtiam; ſi forte in ea conſueverit; ita debuerit aſſervari, puta pro caſu miniſtrandi Viaticum Moribundis, ut in Parochiis, & Regularium Eccleſiis, uti notavimus tr. 1. ubi de Dominica art. 5. n. 58.

Qu. IV. Quænam ſit ea moderata pompa funeralis eccleſiaſtica ex privilegio Bullæ conceſſa? 262

℞. In hac re adhærendum eſſe conſuetudini loci, vel judicio Epi-

 ſcopi,

ſcopi, vel ſaltem Parochi, ſi Epiſcopus abſit. Vid. Lud. a Cruc. *ex dub.* 7. *n.* 2. Trull. *dub.* 10. *n.* 6. Bardi *tr.* 2. *c.* 5. *Sect.* 4. Tambur. *de Bull. Cruc. c.* 7. *n.* 3. Exempla vero moderatæ pompæ funeralis eccleſiaſticæ videre poſſunt apud eoſdem laudatos Auctores locis cit.

263 Qu. V. An funerale poſſit fieri januis Eccleſiæ apertis, ex vi hujus privilegii?

℞. Affirmative. Vid. Lud. a Cru. *n.* 2. Trull. *n.* 6. Bardi *cit. Sect.* 4. *n.* 25. Tambur. *n.* 3. Qui tamen monent, Miſſam dici non poſſe januis apertis, & cum cantu, & campanarum ſonitu; ſed peracta ſepultura cum ſupradicta moderata pompa funerali, debere claudi Eccleſiam, & excluſis non privilegiatis, ſubmiſſa voce, & non pulſatis Campanis, poſſe dici Miſſam pro Defuncto in Eccleſia videlicet, ſpecialiter non interdicta. Ratio eſt, quia ſub pompa funerali non comprehenduntur Divina officia: inter quæ tamen præcipuum obtinet locum Miſſæ Sacrificium: ut ſcite obſervat Bardi *loc. cit. n.* 26.

Putat autem Henriquez, etiam Miſſam celebrari poſſe januis apertis, ſi Epiſcopus diſpenſando permittat. Idem videtur ſentire Lud. a Cruc. cit. n. 2. ſed hanc opinionem rejicit Bardi *cit. n.* 26. ubi negat, Epiſcopum diſpenſare poſſe, ut in dicto caſu Miſſa dicatur januis apertis: nam, inquit, in lege iſta de effectibus Interdicti, cum ſit a Summo Pontifice, nequit Prælatus inferior, ut eſt Epiſcopus, diſpenſare.

264 Qu. VI. Utrum pro uſu hujus privilegii imponatur, atque adeo facienda ſit oratio pro unione Chriſtianorum Principum contra infideles, & victoria &c.?

℞. Tamburinus n. 4. ſimpliciter obligat ad prædictam orationem, & quidem eum, qui Eccleſiaſtice aliquem ex vi Bullæ tempore Interdicti ſepeliri facit. Sed contra eſt: primo quia obligatio ad orandum apponitur in Bulla pro Uſu & celebratione divinorum in Oratorio privato; ut ſæpe notavimus. 2. quia poſt impoſitam hujuſmodi orationem in Summario Vulgari devenitur ad conceſſionem Sepulturæ abſque ulla mentione orationis faciendæ. 3. quia fruſtraneum eſt, quod ait Tamburinus; faciendam eſſe hanc orationem ab eo qui alium ſepeliri facit: nam hæc Oratio ſi imponitur, imponitur Privilegiato: at Privilegiatus non eſt ille qui alium ſepeliri facit, ſed ipſe ſepeliendus, cui Viventi applicata fuit Bulla.

His poſitis, reſpondeo ad propoſi- 265
tam quæſtionem dicendo primo: eum, qui eccleſiaſtice aliquem ex vi Bullæ tempore Interdicti ſepelit, nequaquam teneri orare pro unione &c.

Dico 2. Eum, qui eccleſiaſtice ex vi Bullæ tempore Interdicti erit ſepeliendus, nequaquam teneri, dum vivit orare pro unione &c. ſi, poſtquam fuerit defunctus, ſepeliendus erit in Eccleſia; ſed ſolum teneretur, ſi eſſet ſepeliendus in Oratorio privato. Et hæc ſatis de privilegiis Bullæ Cruciatæ: pro quibus omnibus tamen adhuc quæres hic ultimo

Qu. VII. Poſitis tantis, ac tam 265
gravibus, magniſque privilegiis in Bulla Cruciatæ conceſſis: an ſit obligatio ſumendi illam in locis, ubi promulgatur? Præſertim cum ſine Bulla in iiſdem locis non poſſint obtineri Pontificiæ Indulgentiæ (ſecundum ea vero, quæ dicta & explicaſunt ſubſ. 4. §. 4.) quarum quidem

In-

Indulgentiarum ingens eſt theſaurus: ut notum eſt; & dubium augetur pro tempore Interdicti localis generalis, in quo non poteſt ſine Bulla aſſiſti Sacrificio Miſſæ, in diebus etiam feſtivis, quibuſdam exceptis, ſuis locis indicatis, & indicandis.

℞. His non obſtantibus, non eſſe obligationem ſumendi Bullam. Vid. Bardi *par.* 2. *tr.* 2. *c.* 3. *Sect.* 6. *n.* 66. *&* 67. Trull. *lib.* 1. §. 3. *dub.* 6. *n.* 9: Lud. a Cruc. *diſp.* 1. *c.* 5. *dub.* 4. *n.* 4.

Cœterum illi, qui facile poſſunt erogare conſuetam eleemoſynam pro receptione Bullæ, non video, quomodo a peccato excuſari poſſint, ſi propter avaritiam non ſumant Bullam, aut propter quoddam neglectum indulgentiarum. Tempore item Interdicti, ſi propter acediam, ne forte teneantur aſſiſtere Sacrificio Miſſæ, & propter quoddam neglectum ejuſdem.

Quapropter in locis, ubi promulgatur Bulla, ſerio commonendi ſunt omnes, ut non negligant illam accipere, ſed pro viribus conentur, quantumvis pauperes ſint, comparare ſibi moderatam illam pecuniæ quantitatem, erogari conſuetam in ſubſidium Sanctæ Cruciatæ, ut illam erogando, & Bullæ communis ſummarium accipiendo tantorum bonorum mereantur eſſe participes.

267 Ad extremum nota hic: præter hactenus expoſita privilegia in Bulla Cruciatæ conceſſa, eſſe & alia nonnulla, quæ tamen hic non exponimus, nec aliam de iis inſtituimus diſputationem; tum quia eorum uſus rariſſimus eſt; tum quia pendet omnino a Commiſſario Generali Bullæ: puta ut Commiſſarius poſſit diſpenſare in quibuſdam irregularitatibus; ut poſſit diſpenſare in quibuſdam impedimentis Matrimonium dirimentibus; ut poſſit prolem legitimare, nonnullis adhibitis conditionibus; & ſimilia. Unde nec in Bullæ Summario Vulgari ulla de iis mentio fit, ſed ſolum leguntur in originali Bulla latina, & ejuſdem latino Summario, quæ deſcribuntur a Lud. a Cr. *in tract. de Bull. Cruc.* in capite libri; eorumdem autem explicatio videri poteſt apud Auctores a nobis hic hactenus laudatos agentes de hac Bulla. Nobis itaque ſufficiat egiſſe, ac diſputaſſe, ſummatim licet, de privilegiis Bullæ communis, quæ faciunt pro communiori, & quotidiana praxi. Nunc vero agere oportet, ac diſputare de requiſitis ſpecialibus neceſſariis ad fruendum hujuſcemodi privilegiis ex Bulla Cruciatæ conceſſis. Sit itaque

SECTIO II.

De Requiſitis ſpecialibus neceſſariis ad fruendum Privilegiis ex Bulla Cruciatæ conceſſis.

Expoſita præcedenti Sectione privilegia Bullæ Cruciatæ communis, ſeu vivorum Summus Pontifex impertitur omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus conſiſtentibus, & degentibus, ſeu commorantibus in Regnis, & locis ſive immediate, ſive mediate Catholici Hyſpaniarum Regis Dominio ſubjectis, atque etiam illis, qui ad hæc Regna, & loca declinant, ſeu veniunt, in quibus publicetur prædicta Bulla: & quidem infra ſolum annum quo ipſa durat, ſive intra locum, in quo eadem promulgatur, ſive extra; attamen extra non licet uti privilegio de cibis vetitis. 263

Im-

Impertitur autem Summus Pontifex prædictæ Bullæ privilegia præfatis fidelibus, ſi aliquam pecuniariam eleemoſynam ex bonis ſibi a Deo collatis erogent in ſubſidium belli ſancti: nec non recipiant Summarium Bullæ in quodam folio impreſſum, atque retineant illud. Hæc ſunt ſpecialia requiſita ad fruendum privilegiis Bullæ Cruciatæ communis, quam nos hic ſuſcepimus explicandam prout conceditur Hyſpaniarum Regnis. Quæ vero de ea docebimus, applicari, & intelligi poterunt de eadem Bulla Cruciatæ aliis locis, ſeu Regnis aliorum Dominio ſubjectis, ſi ſimili fuerit ratione conceſſa. Porro Bullam Cruciatæ promulgari etiam In Regno Luſitaniæ, ſignificavimus poſt initium capitis hujus n. 3. Noviſſime item Religionis Hieroſolymitanæ Militibus, & ſubditis, ſeu Incolis Inſularum ipſius Ditioni ſubjectarum conceſſa ſunt ſimilia Indulta Bullæ Cruciatæ a Benedicto XIV. Conſtit. 86. incip. *Quoniam*. to. 1. Bullar. ejus.

Ut autem ſupra ſignificata ſpecialia requiſita Bullæ Cruciatæ communis melius explicentur, diverſas circa eadem quæſtiones proponemus, atque ſolvemus diſtinctis ad majorem claritatem

SUBSECTIONIBUS VI.

Subſ. I. *De locis, in quibus valeat privilegium Bullæ Cruciatæ.*
Subſ. II. *De iis, qui in Regnis, ubi publicatur Bulla Cruciatæ, poſſint, vel non illam accipere, ejuſque privilegiis uti.*
Subſ. III. *De eleemoſyna largienda pro Bulla communi Vivorum.*
Subſ. IV. *De receptione Bullæ.*
Subſ. V. *De retentione, ſeu conſervatione Bullæ Cruciatæ.*
Subſ. VI. *De tempore, quo incipit, durat, & expirat uſus privilegiorum Bullæ.*

SUBSECTIO I.

De Locis, in quibus valeat privilegium Bullæ Cruciatæ.

Qu. I. QUænam ſint Regna Catholico Hyſpaniarum Regi ſubjecta, in quibus publicatur Bulla Cruciatæ? ut cognoſcatur, in quibus locis accipi poſſit Bulla prædicta, ad fruendum privilegiis ejus. 269

℞. Hujuſmodi loca non fuiſſe ſemper eadem, & variari etiam poterunt pro variis rerum circumſtantiis, vid. Bardi in Bull. Cruc *par. 1. tr. 2. c. 2. Sect. 1.* Salmantic. *in Append. tract. 6. de Bull. Cruc. c. 1. qu. 5. n. 47. & 48.*

Qu. II. Dum conceditur Bulla e. gr. in Regno Siciliæ, an ideo exiſtimari poſſit conceſſa Inſulis adjacentibus? 270

℞. Affirmat Bardi, dummodo ſint, & maneant ſub eodem immediato Siciliæ Regimine. Lege laudatum Auctorem cit. Sect. 1. a n. 9.

Qu. III. Si Rex Catholicus a ſuo dominio immediato, & mediato abdicaret aliquod Regnum, illud donando, & in Donatarium transferendo dominium: utrum utiliter Bulla promulgaretur in Regno illo: atque adeo exiſtentes in eo Regno poſſent poſt dominii translationem privilegiis 271

giis hujus Bullæ adhuc gaudere?

℞. Negative, quia ſubjectio loci ad Regem Hyſpaniarum eſt conditio neceſſaria, ut Bulla Cruciatæ valide, & utiliter publicetur in eo. Vid. Bardi *cit. c.* 2. *Sect.* 2. *n.* 24. & 26. Salmant. *n.* 49.

272 Qu. IV. Si ipſum Regnum non vi donationis factæ a Rege, ſed ſe eximeret ab obedientia Regis Hyſpaniarum, vel rebellando, vel alio modo: an adhuc gauderet beneficio Bullæ; ita ut in illo promulgari adhuc poſſet?

℞. Affirmative. Ita Bardi *l. cit. n.* 47. quem ſequuntur Salmantic. *cit. n.* 49. Unde ſi Regnum foret invaſum ab aliquo injuſte illud ſibi uſurpante, & detinente; & adhuc dominium maneret apud Hyſpaniarum Regem, licet non haberet illius Regni actualem poſſeſſionem, cenſet Bardi, quod in tali caſu valide promulgaretur Bulla in eo loco, atque adeo ab iis, qui ibidem exiſtunt, utiliter ſumeretur, nam vere maneret ſubjectio talis Regni ad laudatum Regem, proinde perſiſteret conditio illa requiſita ex parte loci ad valorem publicationis, & nihil obſtaret, poſſeſſionem, ſeu injuſtam detentionem eſſe penes alium, quia per injuſtam uſurpationem, & detentionem non amittitur dominium in vero Domino: ita laudatus Auctor.

273 Excipit tamen Bardi uſum privilegii de edendis cibis vetitis; quia inquit, in tali caſu locus iſte rebellans, aut alio modo ſe eximens a ſubjectione Regis Hyſpani, ſe haberet eo modo, quo ſe habent Regna, & loca, quæ ſunt ſub alterius dominio, ad quæ tranſmigrans qui habet Bullam, non poteſt veſci lacticiniis in diebus vetitis. Sed ego hanc exceptionem non probo, dum manet facta hypotheſis, quod per injuſtam exemptionem non exſpiret dominium Regis Hyſpani in illa loca.

Qu. V. Si in Regno, ubi promulgatur Bulla, adſint aliqua Græcorum oppida, (ut adſunt in noſtra Sicilia:) quorum Incolæ ritu græco viventes, tempore Quadrageſimæ non ſolum abſtinent a lacticiniis; ſed etiam a piſcibus ſanguinem habentibus; Utrum hi Bullam utiliter ſumere poſſint ad effectum fruendi omnibus privilegiis ejus, etiam quo ad cibos vetitos: ita ut prædicti Bullam habentes, poſſint etiam lacticiniis, & piſcibus quibuslibet veſci? 274

℞. Affirmat Tamburinus in Bull. Cruc. c. 3. §. 2. n. 4. quia, inquit, etiam prædicti Græci ſunt Fideles, & in Regno, ubi Bulla promulgatur, commorantur: nec eſt, unde ipſi excipi debeant. Quare virtute ipſius Bullæ licebit illis, comedere lacticinia diebus vetitis: & per conſequens, piſces ſanguinem habentes: Nam ex lege Juris, cui conceditur quod Magis eſt, & Minus concedi intelligitur. Ita Tamburinus, qui citat Bardi in *Bull. par.* 3. *tr.* 1. *c.* 2. *Sect.* 1 *n.* 2. *in* 2. *edit.* Sed ex iis, quæ diximus tr. 1. l. 2. ubi de Sab. art. 7. qu. 7. videtur in hoc inſpiciendum eſſe, quid habeat conſuetudo? Interim nota hic: Benedictum XIV. Conſtitutione *Etſi Paſtoralis*. 57. to. 1. Bullarii ejus conceſſiſſe, & indulſiſſe tam Græcis in Corſica habitantibus, quam omnibus, & ſingulis Albanenſibus, & Græcis, qui in Italia, & Inſulis adjacentibus commorantur, ut ad inſtar Latinorum in quorum Diœceſibus degunt, in Quadrageſima quartis, & ſextis feriis, & reliquis anni jejuniis, vino, oleo, & pi-

& piſcibus cujuſcumque generis uti poſſint; atque Litteras Clementis Papæ XII. confirmaſſe, quibus Abbati, & Monachis Monaſterii Ordinis S. Baſilii Magni, ritus græci orientalis, Terræ Dimidii-Juſſi (vulgo *Menzujuſu*) Panormitanæ Diœceſis conceſſit, ut piſcibus ſanguinem habentibus libere, & licite nonnullis anni Quadrageſimis (juxta diſciplinam Eccleſiæ Græcæ celebrari conſuetis præter univerſalem antepaſchalem:) veſci poſſint: non obſtantibus ritus græci ordinationibus.

275 Qu. VI. Utrum exteri, ſeu ii, qui domicilium, vel quaſi domicilium non habent in Regionibus illis, in quibus Bulla Cruciatæ promulgatur, ſed per aliquod breve tempus in prædictis locis reperiuntur, vel recreationis cauſa, vel expeditionis alicujus negotii &c. utiliter ſumant Bullam, etiamſi reperiantur ibi per unicum diem, aut etiam per horam: qua abſoluta, ſtatim debeant recedere ad proprias Nationes, in quibus nullo pacto adſit uſus hujus Bullæ?

℟. Affirmative, quia Bulla conceditur non ſolum conſiſtentibus, ſeu degentibus, ac commorantibus in prædictis Regnis, verum etiam ad illa *declinantibus*; quod idem ſignificat ac venientibus; quod verbum in tota ſua latitudine ſumptum præſcindit a manſione permanente, & tranſeunte. Ita Bardi in *Bull. par.* 1. *tr.* 2. *c.* 3. *Sect.* 3. §. 1. Henriqu. *in ſum. lib.* 7. *c.* 20. *n.* 6. & Rodriq. *in Bull. Cruc. c.* 1. §. 1. *dub.* 3. *n.* 7. Tambur. *in Bull. c.* 3. §. 2. *n.* 1. Cotonius *Controverſ. to.* 1. *lib.* 2. *Controv.* 13. *de Bull. Cruc. c.* 1. *qu.* 2. *n.* 22. Salmant. *n.* 52.

276 Interrog. 1. Utrum declinantibus in Regnum Luſitaniæ concedatur ſimiliter Bulla Cruciatæ? Dubium oritur ex eo, quia teſte Bardi loc. cit. n. 59. fin. Bulla Luſitana conceditur commorantibus, & degentibus: quæ duo verba idem important ſecundum eumdem Bardi ibi n. præcedenti; & non apponitur verbum: *Declinantibus*: aut aliud æquivalens.

℟. Ob prædictam quidem rationem, quæ dubio expoſito dat locum, docet ipſe Bardi l. cit. ex vi verborum ſequi, extraneos non poſſe in Luſitania utiliter Bullam illam ſumere, niſi intentionem habeant, ibi manendi per tantum temporis ſpatium, ut poſſint vere dici commorantes, ſeu degentes; ita ille.

At contra in ſententia Sebaſtiani Acoſta apud eumdem Bardi n. 57. etiam in Luſitania exteri ad breve tempus ibi exiſtentes poſſunt utiliter illam Bullam ſumere, putat enim l. cit. verbum *commorantes* non importare idem ac verbum *degentes*; ut Bardi contendit; vult itaque verbum *commorantes* cadere ſupra illos, qui in hujuſmodi Regnis privilegiatis domicilium habent; verbum autem *degentes* comprehendere eos, qui tempore Bullæ ibi reſident, ſive per modum permanentis, ſive tranſeuntis; atque adeo verbum *degentes*, æquivalere verbo *declinantes*. Cum igitur Bulla Luſitana concedatur commorantibus, & degentibus, dicenda eſt in ſententia Sabaſtiani Acoſta, concedi etiam iis exteris, qui per illud Regnum ſimpliciter tranſeunt. Verum Bardi cit. n. 58. hujuſmodi differentiam, quam ponit *Acoſta* inter verbum *commorantes*, & verbum *degentes*: cenſet eſſe prorſus vanam; nam idem importare videtur, ait, commorari in aliquo loco, & in eo

dege-

degere; utrumque enim dicit manſionem in loco, prount declarant Grammatici; ita ille.

Sed litis hæc facili negotio videtur poſſe decidi, ſi. ſpectetur praxis recepta, & conſuetudo legitima.

Interrog. 2. An, ſi exterus in Regnum privilegiatum declinaret ſolo animo ſumendi Bullam, ſtatim inde receſſurus, ejus privilegiis frui valeret?

277 ℟. Pro negativa ſententia a Cotonio *to.* 1. *l.* 2. *controv.* 13. *cap.* 1. *qu.* 2. *n.* 23. citatur Bardi *ex par.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. *n.* 3. ſed falſo, nam Bardi eo loci nihil de hac re habet: agit autem *par.* 1. *tr.* 2. *c.* 3. §. 3. ibique affirmativam ſententiam ex profeſſo tuetur toto illo §. 3. Item pro negativa ſententia Trullench citat Ludovicum a Cruce ex *diſp.* 1. *c.* 1. *dub.* 3. pro qua etiam eum allegat Diana, eumdem locum citans *in edit. coord. tom.* 4. *tr.* 3. *R.* 163. §. 1. ſed Bardi l. cit. initio, & Salmanticenſes nu. 56. animadvertunt, falſo a Trullench allegari Ludovicum a Cruce; nam hic auctor nihil loco citato de hac re habet. Profecto verum eſt teſtimonium Patris Cardenas in *Criſi par.* 2. *tr.* 4. *diſp.* 35. *c.* 9. *n.* 102. ubi ait: *Non ſolum docti, ſed Doctores errant ſæpius in citationibus, attribuuntque aliis ſententias, vel quas non affirmant, vel quarum oppoſitas expreſſe tuentur.* Licet concedendum ſit, errores hujuſmodi ſæpiſſime in libros irrepere Amanuentium negligentia, & Typographorum culpa: quemadmodum experientia mihi teſtis eſt. Itaque in quæſtione propoſita affirmativam ſententiam docet Bardi loco a nobis laudato, cui adhærent Salmanticenſes *l. cit.* item Mendo apud Dianam *l. cit.* §. 2. Negativam vero ſententiam ſuſtinent Trullench, & quidam alii, quorum ſententiam Diana magis approbat, licet affirmativam non improbet; negativæ etiam ſententiæ magis adhæret Cotonius l. cit. Mihi vero affirmativa ſententia nedum probabilis, ſed longe probabilior, quam negativa videtur. Quis enimvero jure ſuo uti prohibeatur tum maxime, cum in eo uſurpando nemini injuriam faciat, ſibiq. proſit? At hujuſmodi eſt in quæſtione, qui eo animo declinat ad privilegiatum Regnum, ut favore illo potiatur, quo declinantes omnes proſequi voluit Pontifex Max. excepto ſemper, ut dictum eſt, privilegio veſcendi cibis vetitis; quod extra locum non valet.

Qu. VII. An Exterus accedens ad Portum alicujus Regni, in quo viget uſus Bullæ Cruciatæ, poſſit in ipſo Portu manens, Bullam accipere, ejuſque privilegiis frui, ita ut ibi veſci etiam ovis, & lacticiniis valeat in Quadrageſima? 278

℟. Affirmative, quia nomine Civitatis venit etiam portus, & Mare adjacens. Vid. Bardi *par.* 1. *tr.* 2. *c.* 3. *Sect.* 3. §. 2. & *præced. Sect.* 2. §. 4. *in Vindic. n.* 54. Tambur. *in Bull. Cruc. c.* 3. §. 2. *n.* 2. Salmant. *n.* 52.

Interrog. 1. Quid? ſi non ſit in Portu proprie dicto, ſed in ſinu aliquo ſimili Portui. 279

℟. Etiam in hoc caſu affirmat Tambur. loc. cit.

Interrog. 2. Quid? ſi nec in Portu ſit, nec quidem in ſinu, ſed in Maris parte vicina littori. 280

℟. Valde in hoc caſu dubitat, ne non poſſit; Tambur. n. 3. In Mare enim quamvis vicinum quis perveniens, difficile videtur ei, dici poſ-

ſe, quod decliner in Regnum; & pro ſe aſſert Andream Mendo, *in Append. d. 1. n. 26.* Verum Diana *edit. coord. to. 4. tr. 3. R. 162.* proponit hanc quæſtionem: Utrum videlicet, quis in Mari, dum navigat, poſſit virtute Bullæ Cruciatæ edere lacticinia? & ad hujuſmodi quæſtionem dicit: aliquos reſpondere primo, quod ſervetur conſuetudo, ſi qua eſt. Secundo, ut in Terra, ſic & in Mari termini ſervari poſſunt, quos certe Civitates, & Regna ſingula habent. Prædictos autem duos modos, laudatus Auctor docet, eſſe tutiſſimos. Et ſane in hoc ſenſu poſuimus in reſponſione ad quæſitum, quod Mare adjacens venit etiam nomine Civitatis. Rurſus Bardi *par. 1. tr. 2. c. 3. Sect. 2. §. 4. in Vindic. n. 54.* dicit, ridiculum fore, ſi exterus manens in aliqua Cymba prope littus v. g. Panormitanæ Urbis, negaretur eſſe Panormi; neque contra hoc, inquit, facit major, aut minor diſtantia, dummodo Mare ſit intra Panormitanæ Civitatis diſtrictum; & ita de facto Magiſtratus Urbis juriſdictionem exercet in toto Mari, quod in diſtrictu Civitatis continetur; ita ille. Et ibidem paulo infra adverſum Mendo opponentem tamquam abſurdum, ex hac doctrina ſequi; Bullam accipere poſſe, ſeu illius gaudere privilegiis, eos, qui manent in Claſſibus Regis Hyſpaniarum, dum inveniuntur in eo mari, quod eſt in diſtrictu loci, in quo viget uſus Bullæ; Reſpondet Bardi: & quidem bene, hoc, quod tamquam abſurdum objicit P. Mendo, non ſolum aliquid abſurditatis minime continere, ſed veriſſimum eſſe, & neminem in juribus verſatum id negaturum: eandemque doctrinam ipſe laudatus Auctor *præced. c. 2. Sect. 1. n. 15.* applicat Mari Siculo. Jam vero ad dijudicandum quouſq; Mare pertineat ad Civitatem ſeu Regnum; optima regula eſt, quam tradunt modo laudati Auctores; nimirum quouſque exerceat juriſdictionem Magiſtratus Civitatis, vel Regni.

Qu. VIII. An valide, ſecundum ſupradicta, accipientes Bullam in locis privilegiatis, poſſint ea uti extra talia loca, in locis videlicet, quibus Bulla Cruciatæ conceſſa non ſit?

℟. Affirmative, & quidem quoad omnia prædictæ Bullæ privilegia, excepto illo, quod verſatur circa facultatem de comedendis cibis prohibitis, ſcilicet ovis, & lacticiniis, nec non carnibus de conſilio utriusque Medici: quod privilegium, ut conſtat ex Bulla originali, & latina, limitatur ſolum ad locum, in quo viget uſus Bullæ; cætera vero ſunt perſonalia quoad eorum uſum, licet ſint localia quoad receptionem Bullæ. Vid. Bardi *1. par. tr. 2. c. 3. Sect. 3. §. 4.* Henriq. *in ſum. lib. 7. c. 20. n. 6.* Em. Rodriq. *in Bull. Cruc. c. 1. §. 1. dub. 3. 3. n. 7.* Dian. *edit. coord. to. 4. tr. 3. R. 160.* Coton. *to. 1. lib. 2. controv. 13. c. 1. qu. 2. n. 25.* Salmantic. *n. 54. & 55.* 281

Interrog. 1. An extra loca, in quibus viget uſus Bullæ, poſſint, habentes valide Bullam, uti etiam privilegio de cibis vetitis, ſi abſit ſcandalum? Dubium oritur ex eo, quia ut Rodriqu. l. cit. ſine aſſerit, aliique Doctores, teſte Quintandvenas relato a Diana *edit. coord. l. cit. R. 159. §. 2.* docent; prædicta limitatio, & exceptio appoſita fuit, quia ſcandalum pareret prædictorum ciborum comeſtio, ubi uſus Bullæ non adeſt, & ignoratur. Quid ergo ſi ſcan- 282

ſcandalum abſit: puta ſi omnino occulte prædicti cibi ſumantur?

℞. Negative. Quacumque ratione motus fuerit Pontifex ad apponendam illam exceptionem; *Ubi lex non diſtinguit: neque nos diſtinguere debemus*; & ex altero Juris principio *Ratio legis non cadit ſub lege*. Porro innumeris corruptelis aperiretur via, ſi iſthæc induceretur interpretandi leges libertas. Sicuti ergo ad veſcendum cibis vetitis, ut in Bulla, ſola Pontificis clare facta permiſſio dat jus accipienti Bullam: ſic e contra ſola Pontificis clare facta inhibitio jus omne adimit extra loca privilegiata.

283 Et quamvis in aliquo Summario Bullæ italice conſcripto non inveniatur prædicta limitatio, certum tamen eſt, ait Bardi *1. par. tr. 2. cap. 3. Sect. 3. §. 4. n. 72.*, quod habeatur in Bulla plumbea latina, quæ immediate emanat a Commiſſario Generali, & a qua non debent ſubſtantialiter eſſe diverſæ translationes, ſiquæ fiunt a Commiſſariis ſubdelegatis in unaquaque Provincia, quæ quidem Summaria ſubordinantur Bullæ; quæ ab ipſo Commiſſario Generali immediate procedit; idcirco Summarium, quod eſt in lingua Italica, & quodcumque aliud interpretandum eſt juxta latinam; & ideo licet in Summario Italico non apponuntur limitatio illa, tamen facultas quoad comeſtionem ciborum prohibitorum eſt intelligenda eo prorſus modo, quo conceditur in Bulla plumbea; atque adeo cum illa reſtrictione.

284 Interrog. 2. Si adhuc verificetur teſtimonium illorum Auctorum, qui referunt in Bullis pro Luſitania non excipi a privilegio edendi ova, & lacticinia Presbyteros, Regulares &c., utrum Presbyteri hujuſmodi Bullam Luſitaniæ accipientes, ſi conferant ſe ad alia loca, ubi Bullæ Cruciatæ Communis non conferat Presbyteris privilegium edendi ova, & lacticinia: poſſint nihilominus prædicti adhuc frui privilegio ipſis collato in Bulla Luſitana?

℞. Affirmant cum Trullench. & Mendo, Salmantic. *in append. tr. 6. de Bull. Cruc. c. 5. pu. 2. n. 57. qui videri poſſunt*.

Qu. IX. An poſſit omnibus, & 285 ſingulis Bullæ privilegiis frui, qui invenitur quidem ubi illius vigeat uſus, at illam non acceperit in eadem Civitate, ſeu loco, quo nunc invenitur, ſed in alia Civitate, aut etiam Regno?

℞. Affirmative, quia a Pontifice non exigitur hujuſmodi conditio, quod ſcilicet Bullæ privilegiis ſingulis frui tantum poſſit in loco, quo illa accepta fuerit; & etiam ſequitur ex dicendis hic qu. 11. & ſubſ. 4. qu. 3. ubi docebimus; ab eo, qui exiſtit in loco privilegiato poſſe Bullam accipi in alio loco ſimiliter privilegiato, media alia perſona ibi exiſtente, quæ Bullam eidem applicet abſenti, & exiſtenti in alia Civitate, aut Regno, ſimiliter tamen privilegiatis, ſeu ubi Bulla etiam promulgetur.

Qu. X. An Exteri exiſtentes, ſeu 286 quilibet domicilium, vel quaſi domicilium habentes in Regnis, in quibus non promulgatur Bulla, poſſint illius privilegiis frui, ſi Bullam accipiant media aliqua perſona exiſtente in Regnis privilegiatis, ſeu habentibus uſum Bullæ? e. g. Titius in Gallia manens ſcribat ad Fulanum, qui in Hyſpania reſideat, ut ſumat Bullam nomine ipſius Titii,

& ad ipſum in Galliam tranſmittat: quæritur: an Titio liceat tali Bulla in Gallia frui?

℞. Etſi Bulla accipi poſſit per alium, ut docebimus ſubſ. 4. qu. 3. Hoc tamen non obſtante, ad quæſtionem propoſitam reſpondemus negative; quidquid in contrarium nonnulli putaverint. Deſumitur ex ipſis Bullæ verbis, per quæ expreſſe ſignantur perſonæ, quibus privilegiorum Bullæ conceditur uſus, videlicet, cum dicitur eſſe conceſſus omnibus conſiſtentibus, & declinantibus ad Regna, de quibus in ipſo Diplomate fit mentio; requiritur ergo ad validam acceptionem, ſeu acceptationem, ut qui Bullam ſumit, aut eam acceptat, habitet, ſeu reperiatur in locis, in quibus Bullæ vigeat uſus; aliter Bullæ privilegium eſſet omnino perſonale ſine ullo ordine ad locum, & fruſtra loca illa ſpecialia deſignarentur, ſi locorum coarctatio nulla daretur. Vid. Bard. *par.* 1. *tr.* 2. *c.* 3. *Sect.* 2. §. 2. Henriqu. *in Sum. lib.* 7. *c.* 20. *n.* 6. Tamburin. *c.* 15. §. 3. n. 10. Dian. *edit. coord. to.* 4. *tr.* 3. *R.* 159. §. 4. *&* 5. Coton. *to.* 1. *lib.* 2. *Controverſ.* 13. *c.* 1. *qu.* 2. *n.* 24.

287 Interrog. Quid? ſi Titius prædictus poſt acceptationem, & applicationem Bullæ per Procuratorem ſibi factam declinet in locum, in quo Bulla eſt promulgata?

℞. In hoc caſu quidem poſſet omnibus Bullæ privilegiis frui in ipſo loco privilegiato, & item ſi deinde redierit ad locum privilegiatum: ubi tamen non poterit frui privilegio de edendis cibis vetitis: ſecundum dicta qu. 8. Vid. Bardi l. cit. §. 3.

288 Qu. XI. An utiliter Bullam ſumeret, qui tantum civiliter in privilegiato Regno conſiſtit: (ſeu in quo domicilium retinet, ſeu in quo perpetuo moratur: quod eſt habere domicilium; vel in quo per majorem anni partem degit: quod eſt habere quaſi domicilium. Vid. Sanch. *de Matrim. lib.* 3. *diſp.* 23. Bardi *in Bull. Cruc.* 1. *par. tr.* 2. *c.* 3. *Sect.* 2. §. 4. *n.* 43.) ſed ab eo receſſit, & abeſt ad breve tamen tempus? e. g. Titius Panormi habet domicilium, ſuamque familiam, ſed ad aliquod negotium expediendum, recedat Panormo in Regnum non privilegiatum hujuſmodi Bulla, cum intentione ſtatim revertendi; attamen interim dum in loco privilegiato manet: promulgetur Bulla Cruciatæ in Regno Siciliæ, more ſolito, & ideo Titius mittat epiſtolam ad aliquem ſuum familiarem Panormi reſidentem, ut nomine ipſius Titii Bullam ſumat, eamque ad ipſum mittat in locum non privilegiatum, ubi invenitur, quæritur, an Bulla pro Titio valide ſumatur, eademque poſſit Titius, dum in loco non privilegiato moratur, valide uti?

℞. Solutionem hujus quæſtionis petendam eſſe ex ſolutione alterius illius quæſtionis: an ſcilicet privilegia Bullæ Cruciatæ ſint ample, vel ſtricte interpretanda? ut ſignificat Bardi *par.* 1. *tr.* 3. *c.* 3. *Sect.* 2. §. 4. *a n.* 32. Jamvero quoad illam quæſtionem duplicem invenio Doctorum ſententiam: primam univerſaliter affirmantem: alteram univerſaliter, negantem, eſſe ample interpretanda Bullæ privilegia: tertiam vero mediam fere inter utramque, utpote ſtatuentem Bullæ privilegia quæ ſolum involvunt poteſtatem diſpenſandi, eſſe large exponenda: ea vero, quæ actualem includunt diſpenſationem

nem, quæ ſit contra jus commune, eſſe ſtricte declaranda: ſecus ſi contra tale jus minime ſit. Vid. Bardi par. 1. c. 5.

His poſitis: ex priore ſententia abſolute affirmativa ſequitur, ad quæſtionem hic propoſitam reſpondendum eſſe affirmative abſolute; contra vero in poſteriori ſententia abſolute negativa. At ex poſtrema explicata ſententia fere media ſequitur, reſpondendum eſſe cum diſtinctione, quæ ita ſe habeat: quod illi, qui extra loca privilegiata ad tempus commorantur, retinentes domicilium in locis privilegiatis, ſi Bullam modo explicato per alium ſumant, gaudere poſſint quibuſdam tantum privilegiis, nempe illis, quæ non lædunt jus commune: ut eſt e. g. privilegium, quo datur facultas eligendi Confeſſarium pro abſolutione a reſervatis: & alia ſimilia. Alia vero, quæ tendunt contra jus, ut facultas comedendi cibos prohibitos tempore jejuniorum &c. & alia indulta quæ conceduntur tempore Interdicti &c. ſtricte ſunt interpretanda; atque adeo juxta hujuſmodi ſententiam, Bulla pro Titio valide ſumitur modo propoſito, eademque poterit Titius, dum in loco non privilegiato ad breve tempus morabitur, valide uti quidem, at non univerſaliter, & quoad omnia privilegia, ſed ſolum quoad ea, quæ jus commune minime lædunt; unde in hac ſententia poterit e. gr. in loco non privilegiato eligere Confeſſarium, ut abſolvatur a reſervatis; at non poterit veſci lacticiniis tempore Quadrageſimæ.

Tres haſce ſententias omnes eſſe probabiles docet Bardi *par.* 1. *tr.* 2. *c.* 3. *Sect.* 2. §. 4. *n.* 38., & ideo unumquemque poſſe ad ſui libitum, quam velit ſequi; licet ipſe adhæreat tertiæ, utpote quæ eſt ſuis, & juris communis principiis conformior.

At vero Andreas Mendo *in Append. diſp.* 1. *c.* 5. *n.* 20. ſentit ex prædictis tribus ſententiis ſolam abſolute negativam eſſe veram; abſolute autem affirmativam eſſe falſam, & falſiorem ſententiam fere mediam inter utramque. Rationes tamen, quibus ad ſic ſentiendum movetur, expendit, & impugnat Bardi cit. §. 4. in *Vindicatione* a n. 48. ubi ſeſe vindicat ab iis, quæ contra aſſertionem ſuam ſupradictam objæcerat Andreas Mendo.

Interrog. hic 1. In caſu propoſito quæſtione præſenti, quinam dicendus ſit a ſuo domicilio, val quaſi domicilio abeſſe ad breve tempus? 289

℞. Diana *edit. coord. to.* 4. *tr.* 3. *R.* 161. §. 4. & ex eo Bardi 1. *par.* tr. 2. *c.* 2. *Sect.* 2. §. 4. *n.* 43. referunt opinionem cujuſdam Theologi qui in Accademia Panormitana Bullam Cruciatæ exponens, docuit: in re præſenti tempus breve eſſe ſpatium ſex menſium; Quæ tamen opinio viſa eſt aliquibus nimis laxa: teſte eodem Diana l. cit. in cujus vero opinionis favorem videri poſſunt quæ allegat Bardi *cit. n.* 43. qui nihilominus num. ſequenti illam rejicit, & melius limitat ad ſpatium aliquorum dierum, aut infra menſem circiter.

Interrog. 2. Utrum, qui a loco privilegiato, in quo domicilium habeat, recedat cum intentione regrediendi intra paucos dies, ſed poſtea quibuſdam negotiis occurrentibus ſucceſſive unum poſt aliud, moretur in loco non privilegiato per ſpatium temporis notabilis, v. g. ſex, aut 290

octo

octo menſes : utrum poſſit ita commorans ſumere Bullam per alium, & ejus privilegiis uti modo ſuperius explicato; an vero ſtatim ac tempus moræ incipit eſſe notabile, nequeat Bullam per alium ſumere?

℞. In hujuſmodi quæſtione Bardi *loc. cit. n.* 46. cenſet, quod ſi quis bona fide procedens, vere animum habeat revertendi intra breve tempus, non prævidens impedimentum; valide pro illo ſumatur Bulla, & poſſit eadem uti; ſecus autem eſſet dicendum, ſi id fiat in fraudem, vel negotia ſint talia, ut requirant longum tempus, idque prævideatur; tunc enim, inquit, neque valide pro prædicto acciperetur Bulla, neque ipſe privilegiis ejus frui valeret.

291 Interrog. 3. An id, quod in prædictis conceditur commoranti civiliter in Regno privilegiato, concedatur etiam ad illud civiliter ſeu ficte tantum declinantibus?

℞. Negative. Vide Bardi loc. cit. num. 39.

SUBSECTIO II.

De iis, qui in Regnis, ubi publicatur Bulla Cruciatæ, poſſint, vel non, illam accipere, ejuſque privilegiis uti.

292 In Regnis, & locis ſive immediate, ſive mediate Catholici Hyſpaniarum Regis Dominio ſubjectis, in quibus Bulla Cruciatæ communis, ſeu Vivorum publicatur, hujuſmodi Bullam accipere, ejuſque privilegiis uti poſſunt omnes, & ſinguli Chriſtifideles conſiſtentes, & degentes, ſeu commorantes in Regnis, locisque prædictis, atque etiam illi, qui ad hæc Regna, & loca declinant, ſeu veniunt. Idem dicendum de aliis locis aliorum Dominio ſubjectis, quibus Bulla Cruciatæ ſimili modo conceſſa fuerit.

Qu. I. Utrum Religioſi, & Moniales poſſint Cruciatæ Bullam acci- 293
pere; itaut & ipſis liceat, ejus privilegiis uti?

℞. Affirmative. Eſt communis, & certa. Tambur. *in Bull. Cruciatæ c.* 3. §. 1. *n.* 12. Salmantic. *in app. tr.* 6. *de Bull. Cruc. c.* 1. *pu.* 6. *n.* 58.

Excipe tamen privilegium de comedendis ovis, & lacticiniis, ab hoc enim privilegio Regulares omnes, nondum ſexagenarii, qui non ſint Ordinis Militaris, in jejuniis quadrageſimalibus omnino excluduntur in Bulla; quæ tamen exceptio, ſeu limitatio non apponi in Bulla pro Luſitania a nonnullis refertur Auctoribus; quorum teſtimonium ſi adhuc verificetur, poſſunt in Luſitania Regulares etiam per Bullam Cruciatæ communem edere ova, & Lacticinia. Videantur dicta ſect. 1. ſubſ. 1. n. 3. utrum vero Regulares excluſi a prædicto privilegio poſſint nihilominus eo uti ſaltem in Dominicis Quadrageſimæ; examinavimus cit. ſubſ. 1. qu. 12. Item, an eodem frui valeant in caſu dubiæ neceſſitatis ex conſilio utriuſque Medici? Vid. dicta ſect. 1. ſubſ. 2. qu. 6.

Interrog. 1. An Regulares tenean- 294
tur petere facultatem Superioris, ad accipiendum Bullam?

℞. Negative, ſed ſufficit, quod habeant facultatem expendendi generaliter ad fines utiles, & honeſtos tantam ſaltem pecuniam, quanta requiritur pro eleemoſyna elargienda ad Bullam accipiendam.

Imo Villalobos, quem citat, & videtur ſequi Diana *edit. coord. tr.* 4. *tom.* 4. *tr.* 3. *R.* 5. §. 1. *fine*, docet,

cet : Regularem etiam ex Obſervantia Sancti Franciſci poſſe ſine ſcrupulo rogare aliquem Amicum , vel pœnitentem , ut ſumat ſibi Bullam Cruciatæ . Similiter Joannes Valerus apud eumdem Dianam *cit. tr.* 3. *R.* 28. §. 6. inquit, licitum eſſe Religioſo ſine licentia ſui Prælati procurare pecuniam pro Bulla ſumenda, dummodo ea pecunia non tranſeat in ejus poteſtatem; ſed ut amicus, qui dat pecuniam, ſumat illam ſuo nomine , & faciat in ea ſcribere nomen Religioſi , & eam eidem det . In quo quidem ſenſu intelligendus eſt Rodriqu. §. 12. *dub.* 1. *num.* 15. ubi affirmat , Religioſum poſſe procurare pecuniam pro accipienda Bulla abſque licentia ſuorum Prælatorum . Aſſignat etiam Valerus prædictæ ſententiæ rationem , dicens : id eſſe, quia in tali caſu nulla proprietas intervenit , cum non tranſeat pecunia in poteſtatem Religioſi , & accipere Bullam dicto modo procuratam, vel ſponte oblatam ab Amico, non eſt quid temporale, in quo verſatur proprietas; ſed eſt quid ſpirituale ad bonum animæ ejus . Ita Valerus, qui adducit Cordubam, & Jo: Salam , teſte Diana ibi.

Licet autem hæc ita ſe habeant , nihilominus non videtur expedire , quod Regulares accipiant Bullam abſque Superiorum facultate ſuorum . Et quidem Suarez *de Relig. to.* 4. *tr.* 8. *lib.* 2. *c.* 16. *n.* 2. concedit, Bullam illicite ſumi a Regularibus ſine Superioris ſui facultate; etſi id non videatur grave peccatum ex genere ſuo ; & valide ſumatur , niſi aliud obſtet impedimentum . Item ſententiam volentem, neceſſariam eſſe facultatem Superioris, ut Bulla ſumatur, tutiorem eſſe in praxi, monent Salmantic. *in append. tr.* 6. *de Bull. Cruc. c.* 1. *pu.* 6. *n.* 59. Accedit quod teſte Em. Rodriqu. *cit. nu.* 15. licet in Bullis Cruciatæ conceſſis a Pio IV. & publicatis in Regno Luſitaniæ an. 1564. diceretur : Regulares etiam Mendicantes poſſe Bullam accipere abſque facultate ſuorum Superiorum; attamen hujuſmodi clauſula mox anno ſequenti , & cæteris ſubſequentibus ſublata fuit . Inde ſignificatur , inquit Rodriguez , non eſſe Pontificis mentem, concedere Regularibus, ut Bullam accipiant abſque ſuorum Superiorum facultate , & licentia . Niſi velimus dicere , ideo prædictam clauſulam fuiſſe ſublatam, ne aliquis Regularium putaret , ſine facultate Superioris poſſe procurare eleemoſynam , ita ut acceptam pecuniam faceret ſuam , eaque in ſuam ipſius poteſtatem tranſiret ; quod non licere, ſupra monuimus . Vel fortaſſe , & veriſimilius , ne aliquis Regularium putaret , ſine facultate Superioris poſſe frui privilegiis Bullæ ; quod ex tutiori ſententia non licere, videbimus infra Interr. 3. concedunt tamen ipſimet Salmant. ad accipiendam Bullam ſufficere Regularibus licentiam tacitam , vel præſumptam Superiorum .

Interrog. 2. Si Regularis petat facultatem a Superiore, accipiendi Bullam , qui tamen ei deneget eam ; an poſſit nihilominus Bullam ſibi accipere? 295

℟. Si Prælatus Regularis ſubdito ſuo hujuſmodi deneget facultatem , ſine cauſa; Prælatum prædictum peccare mortaliter, docet Villalobos, & Acoſta , quos citat , & ſequitur *cit. tr.* 3. *R.* 5. §. 1. & approbant Salmantic. *l. cit. n.* 60. Inde infert Acoſta ; quod , ſi Religioſus petita ,

& non

& non obtenta licentia Superioris ſumat Bullam, non peccet., quoniam Prælatus non habet jus ad denegandam talem licentiam. Favet etiam Bardi *in Bull. Cruc. par. 1. tr. 2. c. 6. ſect. 2. §. 11. n.* 210. Vide tamen dicenda Infer. 4. n. 297.

296 Interrog. 3. An Regulares indigeant facultate ſui Superioris, ad fruendum privilegiis Bullæ, poſtquam illam acceperint?

℞. Negant plerique, excepto tamen privilegio abſolutionis a reſervatis; imo nec poſſunt eligere ſibi Confeſſarium, ut abſolvantur a mortalibus etiam non reſervatis. Bulla ſatis pro parte negativa eſt; quia Bullæ privilegia conceduntur fidelibus a Pontifice omnium Superiore, cujus diſpoſitio non poteſt impediri, & irritari a cæteris omnibus Prælatis inferioribus.

Exceptio autem addita, ſeu limitatio dicti privilegii eſt juxta doctrinam traditam Sect. 1. ſubſ. 3. §. 1. qu. 2. & §. 2. qu. 1. & ibidem Interrog. 1. Prædictam vero ſententiam docet Bardi *in Bull. Cruc. par. 1. tr. 2. c. 5. Sect. 2. §. 7. n. 169.* & legi etiam poteſt *n. 171. & §. 11. n.* 210. Eamdem ſuſtinent. Tambur. *l. cit. n.* 13. & alii, apud Dianam *edit. coord. to. 4. tr. 3. R. 5. §. 1. & R.* 28. §. 6. Attamen ſententiam contrariam tutiorem eſſe in praxi, monent Salmant. *l. cit. n.* 59. cui quidem favet teſtimonium Em. Rodriqu. allegatum Inter. 1. Concedunt autem Salmantic. *n. 61.* ſufficere licentiam tacitam, vel præſumptam.

297 Interrog. 4. Utrum Superior poſſit, ſuis ſubditis ſaltem limitare uſum privilegiorum Bullæ: ne ſcilicet utantur hoc, vel illo privilegio Bullæ?

℞. Affimat cum Villalob. & Rodriq. Diana *R.* 5. §. 2. ac Salmantic. *n. 60.*, qui etiam dicunt, poſſe ex juſta cauſa, Superiorem ſubdito uſum Bullæ interdicere totaliter. Idque potiſſimum probare contendunt ex quibuſdam conceſſionibus factis nonnullis Religionibus, quas conceſſiones Religiones alias habentes privilegium communicationis, ipſi putant, poſſe communicare. Verum hæc ratio omnino infirmari videtur ex iis, quæ habet Bardi a n. *169.* præced. cit. qui videri poteſt. Nihilominus, inſpicienda eſt in his omnibus conſuetudo, eique ſtandum; hæc enim eſt optima legum Interpres.

Interrog. 5. Utrum Novitii indigeant prædictis facultatibus? 298

℞. Negative. Vid. Salmantic. n. 62. An tamen & ipſi indigeant facultate pro uſu privilegii abſolutionis a reſervatis? Vide Auctores laudatos a nobis n. 37.

Qu. II. Utrum ſumi poſſit Bulla pro Amentibus, & Phreneticis? 299

℞. Affirmative. Vid. Bardi *in Bull. Cruc. par. 1. tr. 2. c. 4. Sect. 5. n.* 143. Tambur. *in Bull. Cruc. c.* 3. §. 1. *n.* 10. Henriq. *in ſum. lib. 7. c.* 20. *n.* 8.

Qu. III. Utrum ſumi poſſit Bulla pro Infantibus rationis uſu carentibus? 300

℞. Affirmative. His autem prodeſſe poterit ad hoc, ut ſepeliantur in loco ſacro cum moderata pompa tempore Interdicti localis generalis. Vid. Bardi *cit. Sect.* 5. *n.* 137. Tambur. & Henriqu. *l. 1. cit.* Salmant. *c. 1. pu. 7. n.* 63. & dicta Sect. 1. ſubſ. 9. *qu.* 2. Docet etiam Bardi *n.* 139. poſſe Euchariſtiam quoque miniſtrari hujuſmodi pueris in Eccleſia Græ-

Græca tempore Interdicti prædicti virtute Bullæ; ſed eſſe jam Græcis abſolute prohibitum miniſtrare Eucharistiam pueris ante uſum rationis, ex Conſtit. Bened. XIV. notabimus *tr.* 2. *lib.* 5. *partis* 2. *parte* 1. *c.* 3. *de comm. paſch. Sect.* 3. *qu.* 21. *fine*.

301 Qu. IV. Utrum Bulla vivorum poſſit ſumi pro Defunctis?

℟. Negative. Bene autem Bulla vivorum poteſt prodeſſe Defunctis, ſi fuit accepta, dum viverent. Ut ſi Petrus e. g. dum viveret, acceperit ſibi Bullam vivorum, hæc poterit eidem prodeſſe jam defuncto; proderit autem ſolum in ordine ad ſepulturam eccleſiaſticam cum moderata pompa tempore Interdicti localis generalis. Vid. Bardi *par.* 1. *tr.* 2. *c.* 4. *Sect.* 6. & dicta Sect. 1. ſubſ. 9. qu. 1.

302 Qu. V. Utrum, qui accipit Bullam, debeat carere conſcientia peccati mortalis: ſeu debeat eſſe in gratia, dum accipit Bullam, ut deinde frui valeat privilegiis ejus?

℟. Negative. Eſt communis ſententia. Vid. Bardi *par.* 1. *tr.* 2. *c.* 4. *Sect.* 4. *n.* 124. Dian. *edit. coord. to.* 4. *tr.* 3. *R.* 2. Henriq. *in Sum. lib.* 7. *c.* 9. *n.* 6. Tambur. *in Bull. c.* 3. §. 1. *n.* 1. Coton. *to.* 1. *lib.* 2. *controv* 13. *c.* 1. qu. 1. *n.* 17. quæ vera eſt etiam quoad lucrandas deinde Indulgentias, hoc eſt, quod ſi quis accipiat Bullam in ſtatu peccati mortalis, non ideo ei denegatur jus, ad fruendum Indulgentiis Bullæ; ſed ſufficiet, quod in ſtatu gratiæ ſit tunc quando Indulgentia applicanda erit; ut quæſt. ſequ dicetur. Vid. Diana, Henriqu. & Coton ll. cit.

303 Qu. VI. Utrum, qui frui velit privilegiis Bullæ, opus ſit, quod careat conſcientia peccati mortalis: ſeu debeat eſſe in gratia eodem tempore, quo velit frui; ita ut, qui ſit in ſtatu peccati mortalis, non poſſit, dum habet talem conſcientiam, frui privilegio de comedendis e. g. lacticiniis: ſed debeat confiteri, aut ſaltem conteri?

℟. Negative. Excipe Indulgentias, ad quas lucrandas ſaltem profeipſo, ex doctrina, & ratione generali de Indulgentiis, requiritur ſtatus gratiæ. Vid. Bardi, Dian. Coton. *ll. cit.* & Salmantic. *in append. tr.* 6. *de Bull. Cruc. c.* 1. *pu.* 5. *n.* 58. Confer dicta n. 139. & dicenda n. 401.

Qu. VII. An poſſit frui privilegio abſolutionis a reſervatis, qui peccavit in confidentia Bullæ. 304

℟. Affirmat Bardi, ſi ſermo ſit de confidentia negativa; ſecus autem dicendum eſſe, ſignificat, de poſitiva l. cit. n. 125. ſed tum de negativa, tum de poſitiva affirmative reſpondendum eſſe ſentit, & probat Emanuel Rodriqu. *in Bull.* §. 9. *dub.* 6. *n.* 97. Qui tamen monet, quod, licet hæc ſententia quoad confidentiam etiam poſitivam, ſit, rigoroſe loquendo, vera, nihilominus non erit vulganda, nec ſuadenda, ne homines anſam ſumant ad peccandum. Deſervire itaque poterit Emanuelis ſententia, ut Confeſſarius non timeat abſolvere a reſervatis eum, qui peccavit in confidentiam etiam poſitivam Bullæ. Quid autem importet confidentia poſitiva, & negativa? explicat Bardi, & clarius Rodriquez l. cit.

Qu. VIII. An lucrentur Indulgentiam plenariam ex Bulla conceſſam in articulo mortis ii, qui ſtatuto tem- 305

pore confeſſi minime fuerint: hoc eſt, confeſſionem annuam neglexerint, cum conſcii ſibi fuerint peccati mortalis, aut ex fiducia hujus Indulgentiæ neglexerint ſatisfactiones conſuetas, ſeu pœnitentiam facere pro pœnis debitis peccatis ſuis?

℞. Pro ſolutione hujus quæſiti V. dicta ſup. n. 140.

306 Qu. IX. Utrum Catechumeni, ſive fideles nondum baptizati poſſint Bullam accipere, ejuſque privilegiis uti?

℞. Negant Bardi *par.* 1. *Tr.* 2. *c.* 4. *Sect.* 1. Tambur. *c.* 3. §. 1. *n.* 8. *&* 9. aliique contra nonnullos, qui Catechumenos frui poſſe contendunt nonnullis Bullæ Cruciatæ privilegiis, puta, Indulgentiis, & commutatione Votorum; quos impugnat Bardi l. cit. §. 1., & 2. qui etiam §. 4. probat, Catechumenos nec poſſe frui privilegio Bullæ de Sepultura eccleſiaſtica tempore Interdicti localis generalis: etiamſi admittatur illorum Doctorum ſententia, quæ docet, poſſe ſepeliri in loco ſacro Catechumenos caſu, quo credatur, eos deceſſiſſe ex hac vita cum baptiſmo flaminis, hoc eſt contritione perfecta: ſed bene poſſe hujuſmodi Catechumenos ſepulturæ privilegio frui concedunt Salmantic. *c.* 1. *pu.* 7. *n.* 76.

307 Qu. X. An Excommunicatus, vel aliis cenſuris, ſeu pœnis eccleſiaſticis affectus, Bulla uti valeat?

℞. Affirmative, quoad illa ſcilicet privilegia, quæ non pugnant cum Cenſuris hujuſmodi; & ſic poteſt, e. g. lacticiniis veſci, frui privilegio commutationis Votorum extra Sacramentum Pœnitentiæ &c. Vid. Bardi *par.* 1. tr. 2. *c.* 4. *Sect.* 3. Tambur. c. 3. §. 1. *n.* 1. Salmant. *c.* 1. *pu.* 8. *a n.* 81.

Qu. XI. An poſſit Bullam ſumere, & ejus privilegiis uti merus ſchimaticus pertinax; merus, inquam, ſeu qui non ſit ſimul hæreticus? 308

℞. Quoad privilegia, quæ non impediuntur ratione excommunicationis, puta quoad privilegium lacticiniorum, & commutationis Votorum extra Sacramentum pœnitentiæ, &c. affirmat Bardi *par.* 1. *tr.* 4. *Sect.* 2. §. 8. Cui contradicit Mendo, argumenta opponens, ob quæ Mendum ſequitur Tamburinus *c.* 3. §. 1. eamdem negativam ſententiam ſuſtinent etiam Salmantic. *c.* 1. *pu.* 8. *n.* 80. Verum ab objectis ex Mendo, ſe bene vindicat Bardi *l. cit. n.* 108. *&* 109.

Qu. XII. Utrum Hæretici poſſint Bullam ſumere, & ejus. privilegiis uti? 309

℞. Negative. Si ſermo ſit de Hæreticis formalibus, & ſimul externis. Vid. Bardi 1. *par. tr.* 2. *c.* 4. *Sect.* 2. §. 1. Tambur. *c.* 3. §. 1. *n.* 2. Salmantic. *c.* 1. *pu.* 8. *n.* 77.

Interrog. I. Quid de Hæretico formali tantum interno? 310

℞. Affirmat Lud. a Cr. & Trull. quoad illa nimirum privilegia, quæ cum hujuſmodi crimine ſint compatibilia; quam ſententiam putat probabilem Tambur. *c.* 3. §. 1. *n.* 4. & pro ea citat Bardi ex *par.* 2. *tr.* 2. *c.* 4. *Sect.* 2. ſed falſo; nam Bardi eo loci nihil de hac re habet; agit autem *par.* 1. *tr.* 2. *c.* 4. *Sect.* 2. §. 2. ibique ex profeſſo tuetur: prædictum Hæreticum nullo poſſe Bullæ privilegio frui: ſi lubet, potes hic recolere quod animadvertimus ſubſ. 1. qu. 6. Interrog. 2.

Interrog. 2. An Hæreticus ſuum abjurans errorem, ſi fide habituali careat, ſit nihilominus ſufficienter diſpo- 311

diſpoſitus ad uſum Bullæ per fidem actualem.

℞. Affirmative. Vid. Bardi *l. cit.* §. 3. Tambur. *n.* 3.

SUBSECTIO III.

De Eleemoſyna largienda pro Bulla communi Vivorum.

312 Bullæ Cruciatæ privilegia conceduntur fidelibus aliquam pecuniariam eleemoſynam, ex bonis ſibi a Deo collatis, erogantibus in ſubſidium Belli ſancti.

313 Qu. I. De quantitate eleemoſynæ largiendæ: utrum hæc relinquatur ad libitum accipientis Bullam?

℞. Negative, ſed a Pontifice remittitur ad arbitrium Commiſſarii Generalis Bullæ juxta Perſonarum qualitatem accipientium Bullam, & bonorum earumdem quantitatem; ut conſtat ex Bulla Cregorii XIII. a ſubſequentibus confirmata.

314 Interrog. I. Quam pecuniæ ſummam conſtituerit Commiſſarius.

℞. Eleemoſyna eroganda in Regnis Hyſpaniarum, & in reliquis exiſtentibus in Europa, fuit conſtituta a Commiſſario pro Bulla vivorum, ſeu communi, quoad communes Perſonas in ſumma duorum Realium, quæ in noſtro Siciliæ Regno ſunt duo Tareni, & grana duodecim cum dimidio; ut declaratur in ipſo Bullæ Summario italico.

At vero quoad alias quaſdam qualificatas, ſeu dignificatas perſonas major ſumma conſtituta eſt; aſcendens nimirum ad octo Realia, quæ noſtræ monetæ Siculæ ſunt tareni decem, & grana decem.

Eſt etiam alia major ſumma conſtituta quoad Indos, & Hyſpanos in India commorantes, quæ item menſuratur juxta conditionem Perſonarum, & refertur a Trullench *in Bull. l.* 1. §. 3. *dub.* 1. *n.* 3. & ex Alphonſo Perez de Lara adducitur a Salmant. *in append. tr.* 6. *de Bull. Cruc. c.* 1. *qu.* 10. *n.* 101. Perſonæ autem qualificatæ, ſeu dignificatæ, quibus prædicta major quantitas conſtituitur, explicantur, & nominantur in Inſtructione Commiſſarii Generalis, quæ inſcribitur *Forma ſervanda in adminiſtratione bujus Bullæ &c.* & refertur a laudato Perez *in libro Trium gratiarum* fol. 210., n. 10. & ex eo a Salmant. *l. cit. n.* 110. Videri etiam poteſt Trull. *cit. dub.* 1. *n.* 2. & Bardi *in Bull. par.* 2. *tr.* 1. *c.* 1. *Sect.* 5. §. 2. *n.* 72. Ex prædicta autem Inſtructione Perſonæ qualificatæ ſeu dignificatæ, quibus ſuperius dicta major quantitas pecuniariæ eleemoſynæ conſtituitur, ſunt Cardinales, Primates, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Abbates Epiſcopalem juriſdictionem habentes, Inquiſitores contra hæreticam pravitatem, & Dignitates Eccleſiarum Cathedralium, Duces, Marchiones, Comites, & Commendatores majores, Proreges, Capitanei generales, & alii officiales Curiæ ſuæ Majeſtatis in Inſtructione prædicta, & ejus deſcripta clauſula nominati, & Domini Vaſſallorum, nec non uxores prædictorum omnium Sæcularium, Viris ſuis viventibus; hi quidem omnes debent pro Bulla communi, ſeu vivorum, præſtare eleemoſynam octo realium, hoc eſt, ut ſupra diximus, tarenorum decem, totidemque granorum monetę ſiculę.

Interrog. II. An Principes teneantur ſimiliter erogare pro prædicta Bulla, octo Realia? 315

℞. Affirmative. Neque obſtat, po-

ſitos non fuiſſe in Inſtructione Commiſſarii deſignantis perſonas, quæ ſolvere debent octo realia; ideo enim a Commiſſario nominati minime fuerunt Principes, quia, ut bene advertit Bardi *cit. Sect.* 2. *n.* 74. in Hyſpania nullus tali titulo decoratur, niſi Primogenitus Regis; in aliis vero Regnis, in quibus Principes nominantur quidam nobiliſſimi, hi ſi ſint inveſtiti Principatu, & feudo, octo realia ſolvere debent, accipientes Bullam, propter omnimodam paritatem, imo identitatem rationis cum Comitibus, Marchionibus &c. Ita Bardi *l. cit.* Tambur. *in Bull. c.* 3. §. 7. *n.* 3. cum Mendo; Idem ſignificant Cotonius *to.* 1. lib. 2. *Controv.* 13. *c.* 1. *n.* 9. & Marcus Serio *tr.* 3. *in Bull. Cruc. diſput.* 1. *diſficult.* 12. *n.* 14. *&* 16. ubi inter eos, qui octo prædicta Realia elargiri tenentur, expreſſam quoque mentionem faciunt de Principibus.

316 Interrog. III. Si Rex aliquis exterus ad Regnum, ubi Bulla promulgatur, accederet, velletque Bullam accipere, utrum teneretur & ipſe elargiri quantitatem hujuſmodi majorem eleemoſynæ pecuniariæ?

℞. Affirmative. Tambur. l. cit.

317 Interrog. IV. An Vicecomites, Barones, Prætores Urbium, Senatoreſque Civitatum, ſi non ſint Domini Vaſſallorum; ut etiam Fiſcalis, in Tribunali Inquiſitionis; ut itidem filii Ducum, ſimileſque, ſi nullo Titulo, vel Dominio gaudeant, obligentur dare realia octo?

℞. Negat cum Mendo, & Gallego Tamburinus *l. cit. n.* 2. item Bardi *par.* 2. *tr.* 1 *c.* 1. *Sect.* 5. *n.* 65. *&* 82. Salmant. *c.* 1. *pu.* 10. *n.* 115. Si autem Domini ſint Vaſſallorum, debent utique prædictam quantitatem erogare pecuniæ: ad eam enim obligantur omnes Domini Vaſſallorum: ut conſtat ex ſuperius deſcripta clauſula Inſtructionis Commiſſarii Generalis.

Interrog. 5. An Duces, Marchiones &c. ſi Vaſſallis careant, præſtare adhuc debeant octo realia? 318

℞. Diana *edit. coord. to.* 4. *tr.* 3. *R.* 4. §. 3. citans Trull. docet: eos, qui titulos ſumunt ſuper cognomina, vel loca, & Vaſſallos non habent, non teneri contribuere dictam ſummam; Quod approbare, videtur, Marcus Serio *l. cit. n.* 17. & idem docet Coton. *l. cit. n.* 10. Item Bardi *cit. Sect.* 5. *a n.* 65. docet; Duces, Marchiones &c. ſi neque actu, nec quidem habitu Vaſſallos habeant, puta ſi nullo comitatu, ſeu nullo feudo cum titulo ſint inveſtiti a Rege, minime obligari, præſtare octo realia; cui contradicit Mendo obligans prædictos ad realia octo ſolvenda: Mendum ſequuntur Salmant. *c.* 1. *pu.* 10. *n.* 114.

Sed melius loqui videtur cum Gallego Tamburinus cit. §. 7. *n.* 4. docens, quod: *Si hujuſmodi v. g. Dux nihil aliud habeat niſi merum, & inane Ducis nomen, nullamque habeat ex eo titulo, ſeu Nomine dignitatem, vel Prærogativam, ut eſſet v. g. Pater, qui totum titulum ſuum, ſuamque juriſdictionem totam in Vaſſalos Filio renunciavit; certe hic Pater ſufficienter dabit duos reales, quia nec dignitatem habet, nec juriſdictionem nec in actu, nec in habitu ſupra Vaſſallos. At ſi, quamvis Vaſſallis, ac juriſdictione omni quis careat, titulum tamen Ducis cum aliquibus Ducatus præeminentiis habeat, quales ſunt plures, quos Titulatos vocamus, & vere ſunt hujuſmodi, nam coram Prorege caput*

v. g.

v. g. cooperiunt, *aliiſque quibuſdam Sæcularibus exemptionibus fruuntur*, *præſtare debent octo*, *quia hi vere*, *&* *in omni proprietate ſunt Duces*, *Marchiones &c. Hujus etiam generis*] *ſunt filii horum*, *ſi Titulum vere habeant cum prædictis præeminentiis* (*licet proventibus Pater gaudeat;*) *quia jam dignitatem habent*. Hæc Tamburinus, cui quidem ratio prædictæ diſtinctionis manifeſta apparet, quia, inquit, in taxa a Commiſſario legitime facta, clare duæ claſſes diſtinctæ Perſonarum aſſeruntur, quarum altera continet Duces, Marchiones, & Comites; altera quæ continet Dominos habentes Vaſſallos, & ut patet ex contextu, una non eſt declaratio alterius. At certe hi, qui ſolum Titulum ſibi reſervant, ſive habent, vere in Claſſe Ducum ſunt; qui vere nec Tituli præeminentiis aliis gaudent, nec Vaſſallos habent, in neutra claſſe ex dictis connumerari, niſi æquivoce, poſſunt. Ita laudatus Auctor; nec aliud tandem velle videtur Mendo, & qui illum ſequuntur Salmant., ſed & ipſum Bardi idipſum intellexiſſe, ſignificare videntur ex eodem dicenda Interrog. ſequ. fine.

319 Interrog. 6. Utrum Barones, qui ſint inveſtiti aliquo feudo, in quo juriſdictionem exerceant, careant vero Vaſſallis, teneantur erogare pro Bulla octo realia?

℞. Bardi, quamvis, ut ſupra diximus, negaverit teneri octo præſtare realia Duces, Marchiones, &c., ſi neque Vaſſallos habeant, neque aliquo comitatu ſint inveſtiti a Rege; at vero de illis Ducibus, Marchionibus, qui licet Vaſſallis careant, retinent tamen feudum, de quo ſunt inveſtiti, & cui connexus eſt Titulus, fatetur, ſibi videri ſecus diſcurrendum eſſe, hos videlicet eſſe obligatos octo præſtare realia; ita cit. Sect. 5. n. 81. Licet tamen ita judicet de hujuſmodi Ducibus, Marchionibus, Comitibus, aliter vero ſtatuendum docet n. 82. de Baronibus, etſi ſint inveſtiti aliquo feudo, in quo juriſdictionem exerceant, hos equidem docet, non teneri, niſi duo realia pro Bulla erogare, quia, inquit, in clauſula inſtructionis ſupradictæ ſolum comprehenduntur Barones habentes Vaſſallos, & nulla fit mentio de aliis Baronibus. De Marchionibus vero &c. facta eſt mentio præſcindendo ab eo, quod habeant actu Vaſſallos, & ſolum quatenus ſunt veri Marchiones &c. & non cum nudo titulo; ita laudatus Auctor.

Interrog. 7. Utrum teneatur octo realia tribuere Epiſcopus, qui Epiſcopatum renunciavit? 320

℞. Si renunciaverit ita, ut reſervaverit ſibi titulum, & dignitatem Epiſcopalem, ſeu juriſdictionem habitualem; cum ſine ulla controverſia, ſit vere Epiſcopus; ſicut etiam eſt quilibet Epiſcopus mere titularis, & ut ajunt, *in partibus*; tenetur utique adhuc octo præſtare realia; ita Bardi *n.* 78. *&* 79. Tambur. *n.* 6. & Salmant. *c.* 1. *pun.* 10. *n.* 114. cum Mendo. Si autem ipſum quoque Titulum renunciavit, & dignitatem Epiſcopalem, ſeu juriſdictionem etiam habitualem, nonniſi duo realia præſtare teneri, docet Bardi *cit. n.* 79. quia tunc improprie, & abuſive diceretur Epiſcopus, & amittit denominationem, & Dignitatem. At econtra Tambur. l. cit. etiam in hoc caſu obligat ad ſolvenda octo realia, quia, inquit, quacumque renuncia-

cia-

ciatione poſita, ſemper in Epiſcopo reſidet character Epiſcopalis, ob quod ſemper vere eſt, & vocatur Epiſcopus, actuſque conſecrationis exercere valide poteſt; ita ille, qui tamen excipit quoſdam Germaniæ, vel aliorum locorum Epiſcopos, qui ſunt meri Clerici, & ſola juriſdictione epiſcopali gaudent. Hos quidem ſi renuntient, cum certe nullo pacto remaneant Epiſcopi, non obligat ad ſolvendam prædictum majorem quantitatem pecuniariæ eleemoſynæ.

321 Interrog. 8. Utrum, qui ſimul eſt Dux, & Marchio, & Comes, gaudens multis Titulis, multiſque Dominiis debeat pro unoquoque titulo erogare octo realia: & ſic ſexdecim, ſi gaudeat duobus: viginti quatuor, ſi tribus Titulis?

℞. Negative, quia eleemoſyna octo realium aſſignatur ſingulis perſonis Titulatis, non item ſingulis Titulis. Tambur. n. 5. Bardi *cit. Sect.* 5. *n.* 45. fine.

322 Interrog. 9. An duo habentes dominium ejuſdem Caſtri, ita ut una pars ſit unius; altera vero ſit alterius; vel indiviſum ſimul idem Caſtrum poſſideant, ſinguli eleemoſynam octo realium teneantur erogare pro Bulla accipienda?

℞. Affirmat Mendo, quem ſequuntur Salmant. *c.* 1. *pu.* 10. *n.* 112. & Tambur. *num.* 11. Negat vero Trull. quem ſequitur Bardi *cit. ſect.* 5. *nu.* 33. docens ſatis fore, ſi omnes ſimul ſolvant octo realia, dummodo unuſquiſque ſeparatim non contribuat pro ſua parte minus quam duo realia, cujus ſententiam etiam refert, & approbare videtur Marcus Serio *l. cit. nu.* 15. Mihi vero ſententia Patris Mendo videtur verior; lege Tambur. & Salmant. l. cit.

Interrog. 10. Quid? ſi Senatus Panormitanus ſit e. g. Dux alicujus Oppidi: num ſinguli Senatores debent octo præbere realia, ſtando in ſententia prædicta Patris Mendo, & Tamburini? 323

℞. Non debere, putat ipſemet Tamburinus cit. n. 11. quia tum ſinguli, quibus conceduntur Bullæ privilegia non ſunt Duces, ſed ſolum ſimul omnes, ut conſlant unum corpus morale?

Interrog. 11. Si quis privatus accipiat Bullam initio anni datis duobus realibus, & deinde in decurſu anni evadat Dux, vel Marchio &c. aut Epiſcopus, vel Cardinalis &c. utrum indigeat a puncto novi gradus altera Bulla cum pinguiori eleemoſyna octo realium, vel ſaltem ſupplementum ad octo realia teneatur conferre, ut deinceps Bullæ privilegiis perfruatur? 324

℞. Negat Bardi *par.* 2. *tr.* 8. *cap.* 2. *ſect.* 3. *a num.* 34. cui conſentit Tambur. n. 9.

Interrog. 12. Utrum Mulieres, quæ fuerunt Uxores eorum Sæcularium, qui cum viverent, ſolvebant realia octo pro Bulla, unde & ipſæ tunc obligabantur, totidem præſtare: ut conſtat ex ſuperius deſcripta Inſtructione Commiſſarii Bullæ: teneantur adhuc poſt mortem ſuorum Virorum realia octo ſolvere, ſi velint Bullam accipere? 325

℞. Negative: & hoc quamvis proſequantur vocari Marchioniſſæ, Comites, Duces, Principes; ita Bardi *par.* 2. *tr.* 1. *c.* 1. *ſect.* 5. *num.* 54. Tambur. *n.* 7. Diana *edit. coord. to.* 4. *tr.* 3. *R.* 4. §. 2. Salmant. *n.* 113. Serio *num.* 16. & conſtat ex cit. Inſtructione Commiſſarii.

Interrog. 13. An id verum ſit, 326
etiamſi

etiamſi prædictæ Viduæ maneant Dominæ Vaſſallorum, aut uſufructuariæ, aut Titulo aliquo vere, & proprie ex ſe gaudeant?

℟. Negative, ſed in hoc caſu teneri octo præbere realia. Vid. Bardi n. 56. Salmant. n. 7. & 8. Tambur. Dianam & Serium l. l. cit.

327 Interrog. 14. Utrum filii prædictarum Viduarum, quæ manſerunt uſufructuariæ, unde ipſæ tenentur erogare octo realia, teneantur & ipſi prædicti filii, totidem erogare, ſi velint Bullam accipere?

℟. Negative; ita cum Trull. Diana cit. §. 2. & Marcus Serio l. cit.

328 Interrog. 15. Si Mulier ratione ſuæ dotis ſit Domina Vaſſallorum, & Matrimonium contrahat, quo contracto, adminiſtratio ſuorum bonorum tota ſit penes Maritum: an in tali caſu teneatur pro Bulla contribuere octo realia?

℟. Negat Henriguez, affirmat Trull. quem ſequuntur Bardi n. 57. Diana *cit. R.* 4. §. 4. & Salmant. *loc. cit.* Affirmativa ſententia videtur omnino vera.

329 Interrog. 16. An Mulieres, quæ verum Titulum, aut Vaſallos habent, ut Marchioniſſæ, Comites &c. ſi matrimonio non ſint conjunctæ, teneantur, ſumentes Bullam, octo realia ſolvere?

℟. Affirmative. Vid. Bardi a nu. 58. Tambur. n. 7. Salmant. l. cit.

330 Interrog. 17. Si aliquis ex illis, qui tenentur erogare octo realia, velit intra eumdem annum alteram ſumere Bullam communem, ſeu Vivorum, an teneatur iterum erogare octo realia?

℟. Affimative. Vid. Bardi n. 63. Dian. §. 5. Tambur. nu. 10. Marc. Ser. n. 14. Coton. nu. 10. Salmant. num. 114.

Qu. II. An Bulla poſſit accipi Credito, hoc eſt promittendo eleemoſynam debitam dare poſt tale determinatum tempus? 331

℟. Affirmative, ſi Depoſitarius Bullarium acquieſcat, ita ut poſſit Bullæ privilegiis uti, antequam eleemoſynam ſolvat, qui eam credito accepit; dummodo qui eam ſic accepit, habeat revera intentionem, ſeu voluntatem dandi eleemoſynam; ſecus ſi hujuſmodi intentionem non habeat. Vid. Bardi *par.* 2. *tr.* 1. *c.* 1. *ſect.* 7. *n.* 111. Tambur. *c.* 3. §. 6. *n.* 1. Henriq. in *ſum. lib.* 7. *c.* 20. *n.* 5. Salmant. *c.* 1. *pu.* 10. *n.* 110.

Interrog. 1. Quid? ſi quis initio dum Bullam credito accipit, habeat animum non tradendi eleemoſynam, ſed poſt ſex menſes, e. g. concipiat animum, ſeu incipiat, habere voluntatem dandi debitam, ac promiſſam eleemoſynam. 332

℟. Hunc quidem poſſe privilegiis uti a die, qua incipit prædictam rectam voluntatem habere. Bullæ Vid. Bardi *l. cit. num.* 115. Tambur *l. cit.* Salmant. *l. cit.*

Interrog. 2. Quid? ſi contra fiat, videlicet, ſi quis initio dum Bullam lam credito accepit, habeat quidem animum, ſeu voluntatem tradendi deinde eleemoſynam: at vero poſtea mutans voluntatem, proponat, non contribuere. 333

℟. Hunc econtra incipere privilegiorum Bullæ uſu privari a puncto, quo prædictam concipit voluntatem pravam. Bardi nu. 117. Tambur. l. cit. Salmant. l. cit. Si autem accepit credito cum fidejuſſore, an aliquando in prædicto etiam caſu poſſet nihilominus frui.? Vide eumdem Bardi ibidem

Interrog. 2. Si quis Bullam credito 334

to ſumens, habuit quidem voluntatem dandi eleemoſynam tali præfixo tempore, quo ſe poſſe putabat: eo tamen adveniente tempore, propter impotentiam inculpabilem, non poſſet ſolvere: num fruetur poſt illud etiam tempus Bullæ privilegiis uſque ad finem quoque anni, ſi uſque tunc maneat impotens?

℞. Affirmative. Vid. Tambur. n. 2. Bardi n. 113. Salmant. l. cit. Tenebitur tamen ſolvere cum primum potens evadet: etiam poſt annum; quia tempus præfixum fuit ad urgendam, non ad finiendam, ſeu tollendam obligationem ſolvendi.

335 Qu. III. Utrum largitio eleemoſynæ ita ſit requiſita, ut non poſſit Bulla concedi gratis a Commiſſario?

℞. Poſſe gratis concedi a Commiſſario, ſignificat Bardi ſect. 6. n. 89. ubi docet etiam Pauperes, ſi velint gratias hujus Bullæ obtinere, debere communem eleemoſynam erogare; niſi hæc ipſis a Commiſſario gratis remittatur. Hoc tamen intelligendum, ſi aliunde ipſe Commiſſarius, vel etiam diſtributor Bullarum ſuppleat eleemoſynam, ſeu illam conferat pro eo, cui Bullam gratis dat; enimvero non relinquitur ad arbitrium, & libitum Commiſſarii, eleemoſynam elargiri, vel non, Bullam accipientes: ſed ſolum, ei a Pontifice Summo conceditur facultas, ut ſubventionis, ſeu eleemoſynæ quantitatem a fidelibus largiendam arbitrari poſſit juxta perſonarum qualitatem & bonorum quantitatem: ut conſtat ex dictis qu. 1. eleemoſynam igitur, & eleemoſynæ quantitatem Pontifex imponit tamquam opus neceſſarium pro conſecutione, & uſu privilegiorum Bullæ; idque clare habetur in Bulla; ut obſervat Tambur. §. 7. n. 12. & videri etiam poſſunt Salmant. *cap.* 1. *pu.* 10. *num.* 109.

Ob. Henriqu. in ſum. lib. 7. cap. 20. in comment. litt. y ait: *In Bulla magna originali monet Papa ne exigant ſtipem a paupere; proinde Commiſſarius deberet gratis dare*. Hæc ille. Ergo Bulla poteſt omnino gratis dari; imo pauperibus ita dari debet. 336

℞. In Bulla, quæ hodie promulgatur, non apparere monitionem hujuſmodi Pontificiam, neque eam haberi in Inſtructione Commiſſarii, teſtatur Bardi *cit. ſect.* 6. *n.* 90. Cæterum ſi aliquando fuit, fortaſſe, inquit Tambur. cit. n. 12. ſenſus illius clauſulæ ſolum erat, ut non cogerentur pauperes accipere Bullam, & conſequenter eleemoſynam dare: quia nimirum Bullæ acceptio debet eſſe voluntaria, ut docebimus ſubſ. 4. qu. 5 & 6. Hinc habes, non teneri Commiſſarium, dare gratis Bullam pauperibus: imo nec debet, niſi ipſe ſuppleat, conferendo ſcilicet eleemoſynam pro iiſdem pauperibus in ſubſidium Belli ſancti, ut dictum eſt.

Qu. IV. Si quis furetur plures Bullas, eaſque det aliis ignorantibus furtum, accipiendo ab illis ſtipem conſuetam: an ſumentes Bullam, ejus privilegiis fruantur? 337

℞. Negative. Vid. Bardi *ſect.* 7. *n.* 120. & 121. Tambur. *c.* 3. §. 4. *n.* 6. Marc. Ser. *in Bull. Cruc. diſp.* 1. *difficult.* 4. §. 2. *qu.* 4. *n.* 14.

Qu. V. An utiliter ſumas Bullam, ſi eleemoſynam largiatur alter pro te de pecuniis ſuis? 338

℞. Affirmative. Vid. Tambur. cap. 3. §. 6. n. 3.

Interrog. An hoc etiam verificetur

de

de Religioſis; ita ut etiam Religioſus utiliter ſumat Bullam, ſi alter det pro eo eleemoſynam?

℞. Affirmative. Vid. Tambur. *cit.* §. *6. n. 9.* Dian. *edit. coord. tom.* 4. *tr.* 3. *R.* 5. §. 1. fine, & *R.* 28. §. 6. Salmant. *c.* 1. *pu.* 10. *n.* 108. & dicta ſubſ. 2. qu. 1. Interrog. 1. n. 294. Et nota hic, quod Corduba, quem affert, & videtur ſequi Emmanuel Rodriquez in *Bull. Cruc.* §. 12. *dub.* 2. *n.* 16. docet; Religioſum videlicet etiam de Obſervantia S. Franciſci poſſe cum facultate Superioris procurare ſibi pecuniam pro Bulla hac accipienda, atque adeo poſſe Superiorem Ordinis prædicti dare ſuo ſubdito facultatem prædictam, eo quod ſit ſufficiens neceſſitas; non obſtante, quod Superiores dicti Ordinis non poſſint ſine urgenti, & gravi neceſſitate dare ſuis ſubditis facultatem accipiendi pecuniam. Ita Corduba contra Auctorem *Compendii tit. Crucis* §. 5. Verum non opus eſt, quod prædicti Ordinis Fratres accipiant pecuniam pro Bulla ſibi ſumenda; cum poſſint Bullam ſumere media aliqua perſona, eam rogando, nimirum, ut elargiatur pro ipſis eleemoſynam, ſaltem cum facultate Superioris, ſecundum dicta, cit. interrog. 1.

340 Qu. VI. An utiliter ſumat Bullam, qui pro eleemoſyna præbet pecuniam furto ſublatam?

℞. Negative, ſi nullam habeat pecuniam propriam, quam poſſet dare pro debita eleemoſyna. Si autem poſſideat tantam pecuniam, quanta ſaltem ſufficeret pro debita eleemoſyna, tunc etiamſi pro Bulla accipienda præberet illam ipſam numero pecuniam furto ſublatam, adhuc ea ſufficeret pro juſta eleemoſyna: æquivalenter enim daret eleemoſynam de bonis ſuis, quod tantum exigit Pontifex in largitione hujus eleemoſynæ. Vid. Bardi *par.* 2. *tr.* 1. *c.* 1. *ſect.* 3. Tambur. *c.* 3. §. 4. Salmant. *c.* 1. *pu.* 10. *n.* 105. & ita intelligendi ſunt Auctores communiſſime docentes ſimpliciter: inutiliter ſumi Bullam, ſi pro ea detur pecunia furto ſublata; ſecus, qui immenſas pecunias poſſideret, ſi tamen duo, vel octo realia furatus eſſet, dum ea non reſtitueret, non poſſet utiliter Bullam ſumere; quod dici nequit; Pontifex enim non excludit fures a beneficio Bullæ, ſed ſolum dicit: eleemoſynam pro Bulla fore largiendam de bonis ſibi a Deo collatis, hoc eſt de bonis propriis. Item ſecus dicendum eſſet, quod qui furatus eſt duo, vel octo realia argentea, non poſſet hanc numero pecuniam dare pro eleemoſyna Bullæ, licet prius reſtituerit in alia numero pecunia; quod ridiculum eſſet aſſerere.

Interrog. 1. Si noveris aliquem furatum abs te fuiſſe duo, vel octo realia, eaque dediſſe pro eleemoſyna ad Bullam accipiendam, cum non poſſideret tantum pecuniæ requiſitæ ad prædictum finem: an tu poſſes ab eo ſubripere, ſeu etiam ei vi abripere Bullam, tibique applicare, ejuſque privilegiis uti? 341

℞. Affirmative. Ita cum Ludovico a Cruce, & cum Trull. Bardi cit. ſect. 3. n. 21. Perinde enim eſſet, ac tu acceperis Bullam, largiendo eleemoſynam per manus alterius.

Interog. 2. An, ſi prædicto furi remitteres obligationem, reſtituendi pecuniam tuam, quod beneficium ille acceptaret, poſſet Bulla uti a puncto factæ remiſſionis? 342

℞. Affirmative. Ita cum laudatis Auctoribus Bardi l. cit.

343 Interrog. 3. An, ſi prædictus fur reſtituat Domino totam pecuniam ei furto ſublatam, poſſit a puncto factæ reſtitutionis uti Bulla intra annum?

℞. Affirmative. Ita cum Ludovico a Cruce Bardi n. 22. quia ab illo puncto verificatur, ex propriis bonis contribuiſſe ad Bullam capiendam.

Si autem non reſtituat totum, ſed partem, non poterit etiam poſt hujuſmodi imperfectam, ſeu incompletam, reſtitutionem frui Bulla: quia adhuc verificatur, eleemoſynam dediſſe de bonis non ſuis.

344 Qu. VII. An Bulla utiliter ſumatur, ſi præbeatur pecunia ex turpi lucro, e. gr. Meretricio, vel ex delicto acquiſita?

℞. Affirmative: dummodo dominium hujuſmodi pecuniæ tranſierit in delinquentem. Eſt communis Doctorum. Vid. Bardi *cit. c.* 1. *ſect.* 4. Salmant. *c.* 1. *pu.* 10. *n.* 106.

345 Qu. VIII. Utrum ad lucranda privilegia Bullæ, oporteat, capiendo, erogare eleemoſynam ex affectu interno, ſeu ex vera voluntate adimplendi conditionem iſtam requiſitam?

℞. Affirmat Bardi *cit. c.* 1. *ſect.* 7. *n.* 119. ubi proponit quæſtionem ſequentem: Si Titius per errorem exiſtimet, ſe furatum fuiſſe duo realia a Depoſitario, ſeu Diſtributore Bullarum, & capiat Bullam ſolvens totidem realia, putans decipere Depoſitarium, dando illa duo realia pro quatuor, in quibus ipſe Titius judicat, licet falſo, ſe eſſe debitorem in duobus pro furto putato, & in aliis duobus pro eleemoſyna Bullæ: an lucretur ejuſdem Bullæ indulta? Ad hujuſmodi autem quæſtionem reſpondet Bardi: ſe cenſere, Titium non lucraturum privilegia Bullæ: quia ad hoc ut Titius hujuſmodi privilegia lucretur, oportet, inquit, illam capiendo erogare eleemoſynam ex affectu interno, ſeu ex vera voluntate adimplendi conditionem iſtam requiſitam; ſed talis voluntas non reperitur, dum Titius ex conſcientia erronea putat decipere Diſtributorem, & habet intentionem illum decipiendi. Ita laudatus Auctor, qui etiam pro ſe allegat Cardinalem de Lugo.

SUBSECTIO IV.

De Receptione Bullæ.

OMNES, & ſinguli largientes eleemoſynam ad fruendum privilegiis Bullæ Cruciatæ, debent ejuſdem Summarium recipere: hæc enim habet Pontifex in Bulla originali latina. *Item mandatur, ut Summarium hoc per omnes Chriſtifideles ad prædictum Bellum contribuentes, qui hujuſmodi gratiarum participes eſſe voluerint, recipiatur &c.* Similiter in Summario Bullæ vulgari ſic loquitur Commiſſarius Generalis: *Dichiariamo, che quelli, che la pigliano, abbiano da ricevere, e conſervare queſto Sommario, o Bolla ſtampata ſuggellata col noſtro ſuggello, e firmata col noſtro nome; imperocchè d'altra maniera non guadagneranno le Grazie in eſſa eſpreſſate.* 346

Qu. I. An hujuſmodi Summarium eſſe debeat typis excuſum, & non ſufficiat, eſſe manuſcriptum? 347

℞. Eſſe debere typis mandatum, ſeu impreſſum, nec non ſigillo, nomineque Commiſſarii, vel ejus Delega-

legati firmatum. Conſtat ex Bulla originali latina, & Summario vulgari, cujus verba modo ſupra ſunt recitata. Tambur. in Bulla *cap.* 15. §. 1. *n.* 1. Bardi *in Bulla par.* 2. *tr.* 8. *c.* 1. *ſect.* 1. *n.* 11.

348 Qu. An Summarium Bullæ debeat actu, & phyſice recipi?

℟. Affirmative. Tamb. *cit. c.* 15. §. 3. *nu.* 1. Bardi *cit. ſect.* 1. *nu.* 9. & 10. & *ſect.* 3. *n.* 19. Ex Bardi, Em. Rodriqu. *in Bull. c.* 1. §. 5. *n.* 2. Salmant. *in append. tr.* 6. *de Bull. Cruc. c.* 1. *pu.* 9 *n.* 91. Unde habes 1. non ſufficere, tradere eleemoſynam pro Bulla, niſi item recipiatur Summarium prædictum, modo prædicto: in ſenſu autem explicando hic qu. 3. & ſubſ. 5. qu. 1. n. 360. Habes 2. multò minus ſufficere ſimplicem intentionem ſumendi Bullam; atque adeo non poteſt quis e. g. veſci lacticiniis diebus vetitis ex intentione accipiendi deinde Bullam. Tambur. *cit.* §. 3. *a n.* 2. Bardi *cit. nu.* 19. Rodriqu. *l. cit.* Henriqu. *in ſum. lib.* 7. *c.* 20. *num.* 5. Marc. Ser. *in Bull. Cruc. diſput.* 1. *difficult.* 4. §. 2. *qu.* 4. *n.* 12. Salmant. *l. cit.* Hujus autem diſpoſitionis rationes tres a Pontifice deſignantur his verbis: *Ne circa ſibi conceſſas gratias errare, neve alii illas uſurpare poſſint: & unuſquiſque qua facultate, eiiſdem gratiis, & facultatibus utatur, docere valeat.* Quas rationes breviter explicat Bardi *cit. ſect.* 1. *n.* 9. ubi etiam teſtatur: contra Depoſitarios Bullarum non dantes Summarium Bullæ ei, a quo recipiunt pro ea eleemoſynam; vel datum Summarium repetentes ſibi iterum; & ſimul unum, atque idem exemplar, ſeu folium pluribus conſignantes accepta nova eleemoſyna: contra Depoſitarios tale delictum committentes impoſitam eſſe pœnam excommunicationis majoris latæ ſententiæ, & triginta ducatorum pro quibuſque ſingulis Bullis, quas reſumant; & ex pecuniis prædictis tertiam partem præſcribi applicandam in ſubſidium expeditionis contra Infideles; reliquas vero duas partes Denuntiatori, & Judici ferenti ſententiam adjudicari; & rurſus contra eoſdem impoſitam eſſe pœnam inhabilitatis ad officia hujus Cruciatæ. Idipſum refert Em. Rodriqu. §. 12. *n.* 16. & videri etiam poſſunt dicenda ſubſ. ſequ. n. 361.

Interrog. hic: Utrum intentio accipiendi Bullam, abſque eo quod actu, & phyſice accipiatur Summarium prædictum, ſufficiat ſaltem in caſu, quo ipſe Depoſitarius Bullarum conſignet alicui petenti Bullam, & eleemoſynam pro ea largienti, aliam Scripturam ſimilem, vel Bullam veterem: ſive hoc ex errore, ſive ex malitia ipſius Depoſitarii eveniat: inſcio tamen eo, qui hujuſmodi Scripturam, vel Bullam accipiat veterem?

℟. Affirmat Trullſ. *in Bull. lib.* 1. §. 1. *dub.* 2. *n.* 3. quem ſequitur Bardi *cit. ſect.* 3. *a nu.* 20. ob præſumptam Ponticis voluntatem. Ego autem ſentio cum Salmanticenſibus, qui oppoſitum tenent *c.* 1. *pu.* 9. *n.* 93. Concedit quidem Trullench, & monet, eum, qui hujuſmodi Scripturam, vel Bullam veterem receperit, errore comperto, teneri accipere veram Bullam. Quod autem idem Trull. addit, dicens: ſi apud Depoſitarium nullum inveniat Summarium, adhuc poſſet uti privilegiis Bullæ, ac ſi eam accepiſſet, nam, inquit, cenſetur moraliter accepiſſe: hoc mihi minus probatur.

350 Qu. III. An ſit neceſſe accipere Bullam per ſeipſum, itaut non ſufficiat, per alium, ſeu media alia perſona?

℞. Sufficere per alium, & quidem, ſive uterque ſit in eadem Civitate, ubi accipitur Bulla, ſive in eodem Regno, ſed Civitate diverſa, ſive in diverſis Regnis, dummodo in utriſque Regnis promulgetur Bulla. Vid. Bardi *part.* 1. *tr.* 2. *c.* 3. *ſect.* 2. §. 1. Tambur. *c.* 15. 3. *n.* 7. & *duobus ſequ.* Coton. *to.* 1. *l.* 2. *Controverſ.* 13. *c.* 1. *num.* 16. Em. Rodrigu. §. 12. *fine*. Salmant. *cap.* 1. *pu.* 9. *num.* 94.

Utrum vero accipere poſſit Bullam per alium is, qui inveniatur in Regno, ſeu in loco, ubi non adeſt privilegium Bullæ? Examinavimus ſubſ. 1. qu. 10. & 11. Vid. ibi dicta.

351 Qu. IV. An poſſit quis in loco, in quo promulgatur Bulla, uti privilegiis Bullæ, antequam per litteras, vel per Nuncium certior fiet, quod accepta pro ſe fuerit Bulla, quam ſibi accipiendam commiſerat alteri fideli Amico, vel Servo, aut experientiam habeat, quod Pater ejus, vel Amicus accipere pro ſe conſuevit ſingulis annis?

℞. Alii affirmant, alii negant; ſententia negativa eſt tutior, quam in praxi ſuaderem. Vid. Tambur. *cit.* §. 3. *n.* 11. Coton. *l. cit. n.* 21. Dian. *edit. coord. to.* 4. *tr.* 3. *R.* 6. & 7. Tancredi *quæſt. moral. tom.* 4. *tr.* 1. *qu.* 18. Marc. Ser. *in Bull. Cruc. diſput.* 1. *diffic.* 4. §. 2. *qu.* 4. *n.* 11.

352 Qu. V. Utrum poſſint cogi fideles accipere Bullam?

℞. Negative, quia Bullæ acceptio debet eſſe voluntaria, ut ſignificatur in ipſa Bulla; atque adeo debet acceptari a ſumente illam, qui nimirum Bullam ſibi applicet. Vid. Tambur. *c.* 3. §. 7. *n.* 12. & *cap.* 15. §. 3. *n.* 1. Bardi *par.* 2. *tr.* 8. *cap.* 1. *ſect.* 3. *n.* 26. & 27. Non eſſe obligationem, ſumendi Bullam: docuimus ſect. 1. ſubſ. 9. qu. 7. n. 266. ſed recole animadverſionem ſubjectam ibidem.

Qu. VI. Utrum ita ſit neceſſaria acceptatio Bullæ, ut ſecus non poſſit quis frui ejus privilegiis? & ſic e. g. non poſſit tempore Interdicti ſepeliri in loco ſacro is, pro quo Bulla accepta fuit, dum viveret, qui tamen illam noluit acceptare. 353

℞. Affirmative. Ita communiter Doctores. Probatur. Donatio, & beneficium antequam acceptentur non ſunt efficacia; ergo neque Bulla antequam acceptetur, ſeu ſibi applicetur. Hinc ſi diſtributor ad majus lucrum acquirendum offerret fidelibus Bullas, eoſque cogeret ad illas ſumendas, & ad ſtipem ſolvendam, peccaret graviter, & Bulla inutiliter ſumeretur, quia deeſſet libera acceptatio, & applicatio. Vid. Bardi l. cit. Tambur. *cit.* §. 3. *nu.* 1. Videri rurſus poteſt idem laudatus Bardi *in comment. in reg. jur. in 6. regul.* 13. *c.* 11. ubi a n. 108. docet, eſſe rejiciendam omnino Roderici Arriagæ opinionem volentem, eum, pro quo ſolvitur eleemoſyna, & ſumitur Bulla ipſo inſcio, lucrari poſſe indulgentias in eadem Bulla contentas, ſi præſtet ea, quæ ad has indulgentias obtinendas exiguntur, prout eſt Eccleſiarum viſitatio, &c. & quamvis Sotus idem, quod Arriaga opinatur, videatur aſſerere: ut refert Marcus Serio *in Bull. Cruc. diſp.* 1. *difficult.* 4. §. 2. *qu.* 4 *n.* 8. nihilominus etiam Sotus ab ipſo Marco rejicitur.

Sed

354 Sed Obj. Utiliter ſumitur Bulla pro Amentibus, Phræneticis, ac Pueris uſu rationis carentibus, ſecundum dicta ſubſ. 2: qu. 2. & 3. & tamen hi non valent Bullam acceptare, ut patet. Ergo Bullæ acceptatio non eſt neceſſaria ad valorem ejus.

℞. Pro rationis uſu carentibus ſufficere voluntatem parentum, vel alterius, qui pro illis Bullam accipiat. Vide Bardi in *Bull. Cruc. par. 1. tr. 2. c. 4. ſect.* 5. ubi alios, alias rationes aſſignantes etiam affert; ſed hæc eſt verior, quam laudatus Auctor aſſignat, & probat. Adde voluntatem interpretativam ipſorum rationis uſu carentium; quia nemo præſumendus eſt malus, niſi poſitive probatur; ergo neque ſibi inimicus, ut nolit frui beneficiis Bullæ, cum commode poſſit.

355 Qu. VII Utrum, qui Bullam ſive per ſe, ſive per alium accepit, eamdemque ſibi applicavit, poſſit deinde eamdem alteri dare, ita ut ille alter valeat, ſibi illam applicare?

℞. Negative: etiamſi id fieret priuſquam uteretur ullo ex Bullæ privilegiis. Tambur. *c.* 15. §. 3. *n.* 20. Henriqu. *in ſum. lib.* 7. *c.* 20. *n.* 5. *fine*, Salmantic. *c.* 1. *qu.* 9. *n.* 92. Marc. Serio *in Bull. Cruc. diſp.* 1. *difficult.* 4. §. 2. *qu.* 4. *n.* 13. & apud eum Acoſta, & Ludov. a Cr. Tiull. Mendo, Caſtropalaus, quos citat, & quorum ſententiam, dicit, eſſe veriſſimam Bardi *in Comment. in reg. juris in* 6. Reg. 13. c. 11. n. 103. Idque etiam procedit in ſecunda Bulla, quam aliquis acciperet, ſibique applicaret; ut docet, & probat Tambur. *l. cit.* & Bardi *in cit. reg. juris cit. c.* 11. *n.* 107. Si autem Bulla accepta, & acceptata fuerit inutiliter, ut eſſet in caſu, quo quis acceperit tertiam Bullam, quia putavit, utiliter ſumi, cum ſolum utiliter ſecunda ſumatur, ex reſtrictione Pontificis; in hoc caſu Bullam poſſe alteri dari, & ab illo acceptari, utiliterque ſumi, etiam data ſtipe conſueta, concedit Bardi l. cit. fine; quia dum inutiliter fuit acceptata, cenſetur nullo modo fuiſſe acceptata; Poteſt ergo alteri applicari, quia ſolum valida acceptatio poteſt impedire applicationem & translationem in alium. Hoc ipſum probabile putat Tambur. l. cit. n. 21. quia, inquit, non eſt præſumendum Commiſſarium, qui jam habuit eleemoſynam velle ſibi eam retinere, & fructum privilegii Bullæ nulli concedere.

Conſequenter ad hæc admittenda eſt reſponſio affirmativa, quam laudatus Bardi dat ad quæſitum ſequens ab ipſo propoſitum cit. c. 11. ubi examinat: an poſſit Bullam communem pro ſe acceptam alteri tradere Princeps e. gr. qui pro hujuſmodi Bulla erogavit communem eleemoſynam duorum Realium: cum teneretur ratione Tituli erogare octo, ſecundum dicta ſubſ. 3. qu. 1. interrog. 1. & 2. atque adeo omnino inutiliter Bullam pro ſe ſumpſit, ſecundum dicta eadem ſubſ. 3. qu. 3. Ad hujuſmodi quæſitum reſpondet Bardi n. 104. dicendo; poſſe Principem Bullam illam, cui voluerit, applicare utiliter, ſi perſona cui fit applicatio, ſit capax fruendi Bullæ privilegiis. Idque late probat, & objectis reſpondet illo cap. 11. 356

Interrog. Quid? Si Bulla pro te accepta quidem fuerit per alium, ſed non acceptata a temetipſo: poterit ſaltem in hoc caſu ab eo, qui ac- 357

accepit, vel ſaltem a teipſo illam tradi alteri tertio, a quo utiliter acceptetur?

℞. Si tu acceperas duas Bullas, & deinde alius pro te accepit aliam Bullam, atque adeo tertiam, tunc reſponſio data eſt in præcedenti.

Si autem tu unicam Bullam, vel nullam acceperas: alii affirmant, alii negant, poſſe tradi, & acceptari ab aliquo tertio, etiam data ſtipe conſueta, & etiam deleto nomine, quod inſcriptum fuerat illius, pro quo prius accepta fuerat Bulla. Vid. Dian. *edit. coord. to.* 4. *tr.* 3. *R.* 9. 10. *&* 11. Tambur. *cit.* §. 3. *a n.* 12. Bardi *in Bull. Cruc. par.* 2. *tr.* 8. *c.* 2. *Sect.* 1. *n.* 9. Coton. *n.* 19. *&* 20. Henriqu. *cit. n.* 5. Em. Rodriqu. §. 12. *fine*. Marc. Ser. *diſput.* 1. *diffic.* 4. §. 2. *qu.* 4. *n.* 9. *&* 10. Salmant. *c.* 1. *qu.* 9. *n.* 92. *&* 95.

358 Qu. VIII. Utrum ad fruendum Bullæ privilegiis, opus omnino ſit, quod inſcribatur in illa nomen accipientis, ſeu acceptantis? Dubium oritur ex eo, quia in Bulla originali latina videtur exigi, ut deſcribatur in Summario Bullæ nomen proprium ſumentis Bullam, ſibique applicantis. Hæc enim habet: . . . . *receperint, receptumque penes ſe retinuerint præfatum typis excuſum Bullæ Summarium, deſcripto ibidem uniuſcujuſque nomine proprio &c.* Hoc ipſum habetur in Inſtructione pro adminiſtratione, & prædicatione ipſius Bullæ n. 12. & refertur a Perez de Lara in *lib. trium gratiarum fol.* 222. Item nominis in Bullæ Summario deſcripti mentio fit in ipſo Summario Italico, ubi ſic. *E perchè voi . . . . deſte tarì 2. e grana 12. e pic. 3., che è la limoſina, che noi abbiamo taſſato, e dichiarato, e riceveſte queſta ſanta Bolla, e ſcriveſte in eſſo il voſtro nome, dichiariamo, che avete conſeguito &c.*

℞. Ad acquirenda privilegia hujus Bullæ communis non eſſe neceſſarium, quod in Summario Bullæ inſcribatur nomen accipientis illud, ſeu ſibi applicantis Bullam; ita Henriqu. *in ſum. lib.* 7. *c.* 20. *n.* 5. *fine.* Bardi *par.* 2. *tr.* 8. *c.* 2. *Sect.* 1. *n.* 3. Dian. *R.* 10. §. 3. Coton. *n.* 18. Em. Rodriq. §. 12. *n.* 16. Lud. a Cr. Trull. Villal. Caſtrop. Vega. & eſt communis Doctorum, teſte Bardi l. cit.

Nihilominus Tambur. c. 15. §. 2. n. 3. fin. vult cum Gallego, ut inſcribatur nomen, ſaltem, inquit, quo ſecurius in re tanti momenti procedatur; idem dicunt Salmant. n. 99. Et quidem Auctores omnes fatentur expedire, ut inſcribatur proprium nomen, & cognomen in ipſomet Summario, & hoc, ut bene advertit Bardi n. 4. ad vitanda incommoda, quæ interdum contingerent: nam quandoque poſſent duo contendere, Bullam illam eſſe ſuam, præſertim ſi in eadem domo morentur; imo poterit quandoque amitti, & ab alio uſurpari in proprium commodum. Rurſus proderit inſcriptio iſta ipſi ſumenti, qui ſi forte in morbum incidens loquelam amittat, agnoſcatur, Bullam habere, ut poſſit illi indulgentia applicari, ſepultura eccleſiaſtica Interdicti tempore dari, &c.

Ex his autem primo colligit Bardi n. 6. quod ſi per errorem nomen, & cognomen falſum fuerit inſcriptum, poterit deleri, & ſcribi nomen, & cognomen verum.

Colligit ſecundo n. 7. ſatis eſſe exprimere nomen appellativum, & præſertim ſi proprium ignoretur; id-

que

que etiam admittit Tambur. n. 5. modo ſingularis, & determinata perſona ſignetur, e. g. *Dux talis*. *Princeps talis &c.* ſignando ſingularem, & determinatum Ducem, Principem &c. Concedit etiam Tambur. n. 4. nomen poſſe a quocumque ſcribi, nec opus eſſe, ut id fiat a Depoſitario Bullarum, quia, inquit in Summario vulgari Bullæ dicitur quidem, ut inſcribatur nomen; ſed non præſcribitur a quonam ſcribi debeat. Et vero, opus non eſſe nomen inſcribi ab ipſo Depoſitario Bullarum, clarius patet ex recentioribus exemplaribus Summarii Bullæ, non enim in prædicto Summario amplius legitur: *Eſſendoſi in eſſa ſcritto il voſtro nome*: ſed legitur: *riceveſte queſta ſanta Bolla, e ſcriveſte in eſſa il voſtro nome, &c.* Unde potius ſignificatur nomen ſcribendum ab eo, qui recipit Bullam. Sed adhuc dicendum eſt; nec opus eſſe nomen ſcribi ab eo, qui recipit Bullam, ſed poſſe a quolibet; etiamſi is, qui Bullam accipit, ſcribere ſciat.

SUBSECTIO V.

De Retentione, ſeu Conſervatione Bullæ Cruciatæ.

359 NON ſufficit Bullæ Summarium recipere, & acceptare, ſed etiam omnino opus eſt, illud retinere. Id enim præſcribit Pontifex ut retulimus ſup. n. 306. Cujus diſpoſitionis rationes etiam innuimus n. 308.

360 Qu. I. Utrum Summarium prædictum, debeat quiſque ſecum deferre, quocumque pergat?

℞. Negative, ſed ſatis eſt illud retinere, ſeu aſſervatum habere domi ſuæ, vel etiam in domo alterius, etiam in Civitate, aut Regno diverſo, ubi nomine ſuo aſſervetur, & retineatur. Eſt communis Doctorum. Vid. Bardi *par.* 2. *tr.* 8. *c.* 2. *ſect.* 2. Tambur. *c.* 15. §. 4. *n.* 2. Marc. Ser. *in Bull. Cruc. diſput.* 1. *diffic.* 12. *n.* 2. Henriq. *in ſum. lib.* 7. *c.* 20. *n.* 5. Salmant. *c.* 1. *pu.* 9. *n.* 97.

Interrog. Utrum relinqui poſſit, ſeu retineri etiam apud Theſaurarium, ſeu diſtributorem Bullarum? 361

℞. Affirmat Bardi *cit. tr.* 8. *c.* 1. *ſect.* 3. *n.* 25. ſi prius ſcribatur in Bulla nomen accipientis illam, eaque deſignetur ita, ut fraudes impediantur. At omnino negat Tambur. *cit. c.* 15. §. 3. *n.* 4. *&* §. 4. *n.* 2. dicens ex Seb. Acoſt. *in expl. Bull. qu.* 12. Commiſſarium Generalem in §. ult. inſtructionis editæ pro iis, qui de Bullæ privilegiis conciones apud populum habituri ſunt, prohibere ſub excommunicationis pœna, *ne ſuſcipiens Bullam Cruciatæ, illam relinquat apud Theſaurarium: ne ſcilicet inde ſubrepant aliquæ fraudes*. Videri etiam poſſunt dicta ſubſ. 4. qu. 2. n. 348.

Qu. II. Utrum, ſi folium, in quo eſt impreſſum Summarium Bullæ, amittatur, comburatur, vel laceretur, &c. poſſit deinceps quis uti Bullæ privilegiis? 362

℞. Abſolute affirmat Mendo, alii contra abſolute negant; ſed utraque hæc opinio communiſſime rejicitur. Dico itaque; ſi inculpabiliter amittatur, &c. poteſt quis etiam deinceps uti Bullæ privilegiis; ſecus autem ſi ex culpa, vel negligentia ipſius ſumentis Bullam, ſeu ipſius privilegiati; ita communiſſime Doctores. Vid. Bardi *par.* 2. *tr.* 8. *c.* 2. *Sect.* 3. Tambur. *c.* 15. §. 4. *n.* 3. *&* 4.

Dian.

Dian. *edit. coord. to.* 4. *tr.* 3. *R.* 8. & *R.* 10. §. 3. & 4. Henriq. *in ſum. lib.* 7. *c.* 20. *n.* 5. Marc. Serio *in Bul. Cr. diſp.* 1. *diſſ.* 12. *n.* 3. Coton. *l.* 2. *Controv.* 13. *c.* 1. *n.* 34. Salmant. *c.* 1. *pu.* 9. *n.* 97.

363 Interrog. An quælibet negligentia, etiam levis ſufficiens ſit ad extinctionem privilegiorum hujus Bullæ, ſi folium prædictum ob illam negligentiam amittatur?

℞. Bardi l. cit. n. 25. putat, debere eſſe craſſam, & ideo ſi negligentia erit tantum levis judicio prudentum, tunc putat, privilegiatum non amiſſurum jus ſuum ad fruendum privilegiis Bullæ amiſſæ. Ducitur autem ad hoc, quia non eſt præſumendum, quod pia mens Pontificis ſit talis, ut velit privare fideles tot privilegiis ob minimam, ſeu levem negligentiam ad recte cuſtodiendum Summarium prædictum. Salmanticenſes item cit. n. 97. docent: ad hoc, ut quis Bullam inculpabiliter amiſiſſe dicatur, ſufficere, mediocrem diligentiam in ea cuſtodienda, & ſervanda adhibuiſſe.

SUBSECTIO VI.

De tempore, quo incipit, durat, & expirat uſus privilegiorum Bullæ.

PRIVILEGIA Bullæ Cruciatæ Communis, ſeu Vivorum incipiunt a
364 promulgatione Bullæ in loco, in quo ſumitur, & durant ſolum per integrum annum: hoc eſt durante anno publicationis Bullæ; expirante autem anno, omnes Bullæ facultates, gratiæ, & indulta expirant; tantum poterunt cauſæ pendentes ad finem perduci. Conſtat ex declaratione Pontificis in ipſa Bulla originali, & ex ipſo Summario vulgari.

Qu. I. Utrum annus, pro quo 365
conceditur uſus privilegiorum Bullæ, ſit naturalis, & Civilis (de quo nos in Procem. tractatus 1.) hoc eſt duodecim menſium, ſeu trecentorum ſexaginta quinque dierum; vel ſit ſimpliciter Eccleſiaſticus, puta in hac re, a promulgatione Bullæ ad ſimilem novam ejuſdem Bullæ promulgationem?

℞. Non conveniunt Auctores; alii enim volunt eſſe naturalem, ſeu civilem; alii vero eccleſiaſticum ab una ad alteram Bullæ promulgationem, ſi iterum eodem loco, quo ſumitur, promulganda ſit Bulla proxime poſt annum ſaltem naturalem a priori promulgatione elapſum. Utramque ſententiam, dicit, eſſe probabilem Tambur. in *Bull. c.* 4. §. 2. *n.* 3. priorem vero probabiliorem putat eſſe Coronius *to.* 1. *l.* 2. *controv.* 13. *c.* 1. *qu.* 3. *n.* 28. Contra vero poſteriorem eſſe longe probabiliorem, & communiorem ab ipſamet praxi fidelium confirmatam, dicit Bardi *par.* 1. *tr.* 2. *c.* 6. *Sect.* 1. §. 1. *n.* 11., & 12. Verum Quæſtio videtur mihi facile dirimi poſſe, ſi attendamus verba Bullæ Latinæ, quæ ſic habet: *Qui intra annum a die publicationis præſentium in ſingulis locis prædictis faciendæ inchoandum &c.* ex quibus manifeſto apparet, epocham Bullæ ab una ad alteram promulgationem duci debere, ſi ſermo ſit de loco, ubi quotannis promulgari ſoleat. Si vero ſermo ſit de loco, pro quo conceditur Bulla ex aliqua extraordinaria gratia ſemel; tunc cum non liceat appellare ad aliam promulgationem faciendam, expirabit Bulla in recurſu ipſius diei, quo anno præterito promulgata fuit. Ratio utriuſque aſſerti facile ſeſe offert cuilibet,

libet, ex communi prudentum loquendi modo. Nam quemadmodum ſi quis pro gratia concedi quotannis ſolita, & ad annum duratura ſtatuat, Annum hujuſce gratiæ computandum a Paſchate vel ab Adventu; nemo eſt qui non intelligat a Paſchate ad Paſcha, & ab Adventu ad Adventum; ita cum Pontifex non appoſuerit diem fixum pro initio privilegiorum Bullæ, ſed vagum *Promulgationis*, idque pro locis in quibus quotannis ea promulgari conſuevit; communi intelligentiæ ſeſe accommodare velle cenſendus eſt, quæ Annum a promulgatione ad promulgationem ducit. Contra vero pro altero aſſerto; cum non detur extenſio ad aliam promulgationem pro loco, cui Bulla ſemel & non de more conceditur; & ex alia parte ipſam finiri anno oporteat, manifeſtum eſt, recurrente die promulgationis anno præterito factæ, ipſam concludi.

Intellige tamen, datam reſponſionem valere in caſu *Promulgationis de more faciendæ*. Nam ſi ea præter morem differri contingat; (niſi ſit locus epichiæ pro qua ad tract. de leg. me remitto) tunc Annus ad ipſum diem recurrentem ſolitæ promulgationis finiri cenſendus eſt, ex ipſa concedentis Pontificis intentione, & prudentum ſenſu, ut probatum eſt.

366 Ex his habes quod ſi anno civili præterito accepiſti Bullam in loco ubi promulgata eſt in Dominica Septuageſimæ, quæ e. g. inciderit in diem vigeſimam Januarii, præſenti autem anno civili eadem Dominica Septuageſimæ occurrat die decima Januarii, & eadem Dominica iterum eodem loco promulgetur Bulla; non poteris abſque nova Bulla frui privilegiis uſque ad diem vigeſimam Januarii. Eſt contra Tambur. Coton. Joan. Sanch. & Caſtrop. apud Salmantic. *in append. tr. 6. de Bull. Cruc.* c. 1. *pu.* 3. *n.* 32. qui cum aliis nobiſcum ſentiunt. Sicut e contra optime frui poteris, ſi elapſo anno fuerit Septuageſima die decima Januarii, & pro præſenti occurrat die prima e. g. Februarii.

367 Quid vero? inquies; ſi anno præterito accepi Bullam in loco, ubi promulgata eſt de more in Dominica Septuageſimæ, quæ tunc fuit die 30. Januarii, nunc autem inveniar in loco ubi ea promulgatur in die Cinerum e. g. ſeptima Martii?

In hoc caſu reſpondent Bardi *par.* 1. *tract.* 2. *c.* 6. *ſect.* 2. §. 3. *n.* 24. & Tambur. §. 3 *n.* 3. quod uti valeas privilegiis Bullæ uſque ad Septuageſimam hoc anno reccurrentem die 19. Februarii: quo nimirum die reccurrit Promulgatio in loco, quo Bullam accepiſti.

Putarem tamen, cum Loca, privilegio Bullæ donata, ſint in eadem exiſtimatione apud Pontificem concedentem, & modicus ſit exceſſus dierum, perinde eſſe promulgationis terminum in uno, atque in alio loco.

368 Interrog. I. Per quem actum intelligenda ſit, abſolute promulgari Bulla Cruciatæ; ita ut poſt talem actum liceat uti privilegiis ejus?

℞. Abſolute promulgatio Bullæ habetur per ſolam Proceſſionem. Profecto per duplicem actum ſolet Bulla promulgari, primo per ſolemnem Proceſſionem, & deinde per Concionatorem in Concione. Jamvero ſufficit promulgari per ſolam Proceſſionem. Conſtat ex praxi, & conſuetudine. Vid. Bard. *cit. ſect.* 1. *n* 3. Tambur. *cit.* §. 1. *n.* 5. Salmantic. *cit.*

pu. 3. *n.* 78. Hinc fit, ut ſi quis ſumat Bullam ante Concionem, ſed poſt Proceſſionem, poſſit ante Concionem uti privilegiis ejus. Tambur. *n.* 6. Salmantic. *l. cit.* Contra vero ſi quis ſumat Bullam ante Proceſſionem, non poteſt uti privilegiis, niſi poſt Proceſſionem. Tambur. *n.* 7. Salmantic. *l. cit.*

369 Interrog. 2. An ſufficiat promulgatio facta in Templo maximo, quamvis nondum facta ſit in aliis Parochiis?

℞. Sufficere: nam unam publicationem in uno loco requirit Pontifex, non vero aliam, & aliam in ſingulis Eccleſiis loci; ita Tambur. n. 8.

370 Qu. II. Utrum poſt diem promulgationis novæ Bullæ poſſit quis privilegiis veteris Bullæ uti adhuc per aliquot alios dies, puta per tres, aut octo, uſque dum accipiat novam; ſaltem ex aliqua difficultate, & vero impedimento accipiendi eam ipſo die promulgationis ejus; vel ſi Diſtributor negligat, aut non valeat diſtribuere Bullas omnibus, & ſingulis petentibus una, & eadem die prædicta?

℞. Negative, quidquid alii affirmaverint, qui non videntur audiendi. Vid. Bardi *cit. c.* 6. *ſect.* 2. §. 4. Tambur. *cit. c.* 4. §. 4. *n.* 1., *&* 2. Salmant. *cit. pu.* 3. *n.* 35. Recole *dicta ſup. n.* 365. *& ſeq.*

371 Qu. III. An qui aliquibus privilegiis Bullæ non eſt uſus intra annum, poſſit extra? Poterat e. g. quis intra annum promulgationis Bullæ petere virtute Bullæ commutationem voti, quod habet, & habebat, ſed non petiit commutationem hujuſmodi: an poſſit extra? Similiter poterat quis intra annum prædictum petere virtute Bullæ abſolutionem a reſervatis, quibus ligatur, & ligabatur, ſed non petiit: an poſſit extra?

℞. Negative. Eſt communis, & certa, & manifeſte conſtat ex Bulla.

Interrog. 1. An extra annum poſſint commutari vota, quorum commutatio petita fuit intra annum promulgationis Bullæ, ſed non fuit impetrata? Titius, e. g. pœnitens plura habens vota, & cupiens ut ſibi virtute Bullæ Cruciatæ a Confeſſario commutentur, id eidem Confeſſario manifeſtet, petens ab eodem commutationem: & Confeſſarius id admittat: ſed pro tunc non commutet, proponat tamen commutare: verum antequam hoc faciat, exſpiret Bulla præcedens ob publicationem novæ; vel quia expletus ſit annus naturalis a publicatione Bullæ inceptus: quæritur: num Titius vi antiquæ Bullæ poſſit prædictam commutationem a Confeſſario obtinere. 372

℞. Affirmat Mendo, quem ſequuntur Salmantic. *in append. tr.* 6. *de Bulla Cruc. c.* 6. *pu.* 5. *n.* 306.; ſed hanc opinionem non approbat Tambur. *c.* 13. §. 1. *diffic.* 5. fine; eamdem omnino rejicit Bardi *par.* 1. *tr.* 2. *c.* 6. *ſect.* 4. *a n.* 115. *& tr.* 7. *c.* 1. *ſect.* 12. §. 2.

Interrog. 2. Si Confeſſarius petenti commutationem alicujus voti intra annum publicationis Bullæ dicat: ſe votum nunc quidem commutare: ſed cum nequeat nunc ſe determinare de materia ſubroganda, nec conſulere valeat prudentes: ideo materiam ſubrogandam loco prioris non ſignet, ſed differat determinandam, etiam poſt elapſum annum Bullæ: an ſaltem in hoc caſu votum ſit valide commutatum? 373

℞. Aſ-

℞. Affirmative. Vid. Bardi *par.* 2. *tr.* 7. *c.* 1. *ſect.* 12. §. 1. 2. Tambur. *cit. diffic.* 5. Leand. a SS. Sacram. *par.* 1. *tr.* 5. *diſp.* 14. *qu.* 138. Salmant. *l. cit. n.* 307.

374 Interrog. 3. Si quis habens reſervata, confeſſionem ſacramentalem incipiat prope finem anni promulgationis Bullæ; & quia Confeſſionem perficere non poteſt intra annum, ſive ob prolixitatem confeſſionis; ſive ob aliquod rationabile impedimentum cogatur eam proſequi ultra annum durationis Bullæ, quam ſumpſerat: interrogabis: num abſolvi poſſit virtute illius Bullæ extra annum?

℞. Affirmative. Eſt communis, & certa. Vid. Bardi *par.* 1. *tr.* 2. *c.* 6. *ſect.* 3. *n.* 61. Tambur. *c.* 4. §. 4. *n.* 3. Em. Rodriqu. §. 5. *n.* 2. *fine*. Dian. *edit. coord. to.* 4. *tr.* 3. *R.* 15. §. 2. *& R.* 54. §. 9. Salmant. *to.* 1. *tr.* 6. *c.* 11. *pu.* 4. *n.* 71.

375 Interrog. 4. An dici poſſit confeſſio ſacramentaliter cœpta, ſi quis genuflexus ad pedes Confeſſarii, volentis confeſſionem ejus audire, confeſſionis formulam, puta *Confiteor* recitaverit, pectus ſuum percuſſerit, ſimiliaque pœnitentiæ ſigna dederit, nullum tamen peccatum expreſſerit?

℞. Probabile eſſe quod ſic, ſuſtinet Bardi l. cit. n. 62. quibuſdam tamen poſitis conditionibus. Idem docet etiam Tambur. l. cit. n. 5. Caſus vix eſt practicus. V. ipſos.

376 Interrog. 5. An dici poſſit Confeſſio ſacramentaliter cœpta, ſi quis intra annum promulgationis Bullæ ſimpliciter dixerit alicui Confeſſario, ſe velle ei confiteri?

℞. Negative. Tambur. n. 6. Hinc anno elapſo teneretur ſumere novam Bullam pro abſolutione a reſervatis.

377 Interrog. 6. Si quis incipiat valide confeſſionem in fine anni promulgationis Bullæ, ſed antequam illam perficiat, novo ſe obſtringat crimine reſervato poſt elapſum annum prædictum: interrogabis: an virtute præcedentis Bullæ poſſit amplius in hoc caſu a reſervatis abſolvi?

℞. Affirmat Mendo tanquam probabile, quem ſequitur Coton. *to.* 1. *lib.* 2. *Controv.* 13. *c.* 2. *qu.* 3. *n.* 48. *fine*. Negat Bardi §. 4. contrariam ſententiam appellans manifeſte falſam: in ſententiam negativam inclinat Tambur. n. 9. eidemque adhæret Dian. R. 54. §. 8. quibus omnino adhæreo.

Interrog. 7. An, ſi Confeſſarius, cum quo cœpta eſt confeſſio intra annum, deficiat, poſſit extra compleri cum altero; ſeu cum altero Confeſſario denuo confeſſio incipi extra annum; & abſolvi a reſervatis virtute Bullæ præteritæ? 378

℞. Affirmative. Vid. Bardi §. 5. Tambur. n. 10.

Interrog. 8. Utrum ſi quis aliqua confiteatur peccata reſervata: abſolutio vi Bullæ collata tollat reſervationem etiam ab oblitis; ita ut extra annum promulgationis Bullæ non indigant nova Bulla, ut abſolvatur ab illis, poſtquam meminerit? 379

℞. Affirmative. Vid. Bardi *par.* 2. *tr.* 6. *c.* 1. *ſect.* 11.

Interrog. 9. Si quis habens reſervata, intra annum promulgationis Bullæ confeſſus, non meminerit de illis; petierit autem a Confeſſario abſolutionem generalem vi Bullæ ab omnibus cenſuris, & caſibus reſervatis, ſecundum dicta ſect. 1. ſubſ. 3. §. 1. qu. 19. n. 55. fueritque ſic abſolutus: an per talem abſolutionem ſublata fuerit omnis reſervatio a prædictis oblitis? 380

pu. 3. *n.* 78. Hinc fit, ut ſi quis ſumat Bullam ante Concionem, ſed poſt Proceſſionem, poſſit ante Concionem uti privilegiis ejus. Tambur. *n.* 6. Salmantic. *l. cit.* Contra vero ſi quis ſumat Bullam ante Proceſſionem, non poteſt uti privilegiis, niſi poſt Proceſſionem. Tambur. *n.* 7. Salmantic. *l. cit.*

369 Interrog. 2. An ſufficiat promulgatio facta in Templo maximo, quamvis nondum facta ſit in aliis Parochiis?

℟. Sufficere: nam unam publicationem in uno loco requirit Pontifex, non vero aliam, & aliam in ſingulis Eccleſiis loci; ita Tambur. n. 8.

370 Qu. II. Utrum poſt diem promulgationis novæ Bullæ poſſit quis privilegiis veteris Bullæ uti adhuc per aliquot alios dies, puta per tres, aut octo, uſque dum accipiat novam; ſaltem ex aliqua difficultate, & vero impedimento accipiendi eam ipſo die promulgationis ejus; vel ſi Diſtributor negligat, aut non valeat diſtribuere Bullas omnibus, & ſingulis petentibus una, & eadem die prædicta?

℟. Negative, quidquid alii affirmaverint, qui non videntur audiendi. Vid. Bardi *cit. c.* 6. *ſect.* 2. §. 4. Tambur. *cit. c.* 4. §. 4. *n.* 1., *&* 2. Salmant. *cit. pu.* 3. *n.* 35. Recole *dicta ſup. n.* 365. *& ſeq.*

371 Qu. III. An qui aliquibus privilegiis Bullæ non eſt uſus intra annum, poſſit extra? Poterat e. g. quis intra annum promulgationis Bullæ petere virtute Bullæ commutationem voti, quod habet, & habebat, ſed non petiit commutationem hujuſmodi: an poſſit extra? Similiter poterat quis intra annum prædictum petere virtute Bullæ abſolutionem a reſervatis, quibus ligatur, & ligabatur, ſed non petiit: an poſſit extra?

℟. Negative. Eſt communis, & certa, & manifeſte conſtat ex Bulla.

Interrog. 1. An extra annum poſſint 372 commutari vota, quorum commutatio petita fuit intra annum promulgationis Bullæ, ſed non fuit impetrata? Titius, *e.* g. pœnitens plura habens vota, & cupiens ut ſibi virtute Bullæ Cruciatæ a Confeſſario commutentur, id eidem Confeſſario manifeſtet, petens ab eodem commutationem: & Confeſſarius id admittat: ſed pro tunc non commutet, proponat tamen commutare: verum antequam hoc faciat, exſpiret Bulla præcedens ob publicationem novæ; vel quia expletus ſit annus naturalis a publicatione Bullæ inceptus: quæritur: num Titius vi antiquæ Bullæ poſſit prædictam commutationem a Confeſſario obtinere.

℟. Affirmat Mendo, quem ſequuntur Salmantic. *in append. tr.* 6. *de Bulla Cruc. c.* 6. *pu.* 5. *n.* 306.; ſed hanc opinionem non approbat Tambur. *c.* 13. §. 1. *diffic.* 5. fine; eamdem omnino rejicit Bardi *par.* 1. *tr.* 2. *c.* 6. *ſect.* 4. *a n.* 115. *& tr.* 7. *c.* 1. *ſect.* 12. §. 2.

Interrog. 2. Si Confeſſarius petenti commutationem alicujus voti intra annum publicationis Bullæ dicat: ſe votum nunc quidem commutare: ſed cum nequeat nunc ſe determinare de materia ſubroganda, nec conſulere valeat prudentes: ideo materiam ſubrogandam loco prioris non ſignet, ſed differat determinandam, etiam poſt elapſum annum Bullæ: an ſaltem in hoc caſu votum ſit valide commutatum? 373

℟. Aſ-

℟. Affirmative. Vid. Bardi *par.* 2. *tr.* 7. *c.* 1. *ſect.* 12. §. 1. 2. Tambur. *cit. diffic.* 5. Leand. a SS. Sacram. *par.* 1. *tr.* 5. *diſp.* 14. *qu.* 138. Salmant. *l. cit. n.* 307.

374 Interrog. 3. Si quis habens reſervata, confeſſionem ſacramentalem incipiat prope finem anni promulgationis Bullæ; & quia Confeſſionem perficere non poteſt intra annum, ſive ob prolixitatem confeſſionis; ſive ob aliquod rationabile impedimentum cogatur eam proſequi ultra annum durationis Bullæ, quam ſumpſerat: interrogabis: num abſolvi poſſit virtute illius Bullæ extra annum?

℟. Affirmative. Eſt communis, & certa. Vid. Bardi *par.* 1. *tr.* 2. *c.* 6. *ſect.* 3. *n.* 61. Tambur. *c.* 4. §. 4. *n.* 3. Em. Rodriqu. §. 5. *n.* 2. *fine*. Dian. *edit. coord. to.* 4. *tr.* 3. *R.* 15. §. 2. & *R.* 54. §. 9. Salmant. *to.* 1. *tr.* 6. *c.* 11. *pu.* 4. *n.* 71.

375 Interrog. 4. An dici poſſit confeſſio ſacramentaliter cœpta, ſi quis genuflexus ad pedes Confeſſarii, volentis confeſſionem ejus audire, confeſſionis formulam, puta *Confiteor* recitaverit, pectus ſuum percuſſerit, ſimiliaque pœnitentiæ ſigna dederit, nullum tamen peccatum expreſſerit?

℟. Probabile eſſe quod ſic, ſuſtinet Bardi l. cit. n. 62. quibuſdam tamen poſitis conditionibus. Idem docet etiam Tambur. l. cit. n. 5. Caſus vix eſt practicus. V. ipſos.

376 Interrog. 5. An dici poſſit Confeſſio ſacramentaliter cœpta, ſi quis intra annum promulgationis Bullæ ſimpliciter dixerit alicui Confeſſario, ſe velle ei confiteri?

℟. Negative. Tambur. n. 6. Hinc anno elapſo teneretur ſumere novam Bullam pro abſolutione a reſervatis.

377 Interrog. 6. Si quis incipiat valide confeſſionem in fine anni promulgationis Bullæ, ſed antequam illam perficiat, novo ſe obſtringat crimine reſervato poſt elapſum annum prædictum: interrogabis: an virtute præcedentis Bullæ poſſit amplius in hoc caſu a reſervatis abſolvi?

℟. Affirmat Mendo tanquam probabile, quem ſequitur Coron. *to.* 1. *lib.* 2. *Controv.* 13. *c.* 2. *qu.* 3. *n.* 48. *fine*. Negat Bardi §. 4. contrariam ſententiam appellans manifeſte falſam: in ſententiam negativam inclinat Tambur. n. 9. eidemque adhæret Dian. R. 54. §. 8. quibus omnino adhæreo.

Interrog. 7. An, ſi Confeſſarius, cum quo cœpta eſt confeſſio intra annum, deficiat, poſſit extra compleri cum altero; ſeu cum altero Confeſſario denuo confeſſio incipi extra annum; & abſolvi a reſervatis virtute Bullæ præteritæ? 378

℟. Affirmative. Vid. Bardi §. 5. Tambur. n. 10.

Interrog. 8. Utrum ſi quis aliqua confiteatur peccata reſervata: abſolutio vi Bullæ collata tollat reſervationem etiam ab oblitis; ita ut extra annum promulgationis Bullæ non indigant nova Bulla, ut abſolvatur ab illis, poſtquam meminerit? 379

℟. Affirmative. Vid. Bardi *par.* 2. *tr.* 6. *c.* 1. *ſect.* 11.

Interrog. 9. Si quis habens reſervata, intra annum promulgationis Bullæ confeſſus, non meminerit de illis; petierit autem a Confeſſario abſolutionem generalem vi Bullæ ab omnibus cenſuris, & caſibus reſervatis, ſecundum dicta ſect. 1. ſubſ. 3. §. 1. qu. 19. n. 55. fueritque ſic abſolutus: an per talem abſolutionem ſublata fuerit omnis reſervatio a prædictis oblitis? 380

Kk 2 ℟. Af-

tineat iterum abſolutionem a reſervatis Summo Pontificiis; a quibus per Bullam ſemel acceptam nonniſi ſemel in vita, & ſemel in morte poſſe abſolvi conceditur. Vide dicta ſect. 1. ſubſ. 3. §. 5. n. 70., & ibidem qu. 5. n. 75.

387 Inſerviet 2. pro iteranda conſecutione Indulgentiæ plenariæ eodem anno acceptionis Bullæ in vita, & in mortis articulo. Profecto ſemel accipientibus Bullam conceditur ſemel indulgentia plenaria in vita, & ſemel in articulo mortis eodem anno promulgationis Bullæ. Vid. dicta ſect. 1. ſubſ. 4. n. 91.

388 Inſerviet 3. pro iterata conſecutione Indulgentiæ Stationum uno, eodemque die, ſi admittatur ſententia docens, per unam Bullam non poſſe niſi ſemel lucrari uno, eodemque die: quam ſententiam nos admiſimus quoad indulgentiam plenariam. Vid. dicta ſect. 1. ſubſ. 4. §. 2. qu. 5.

389 Pro valida, & utili acceptione ſecundæ Bullæ eleemoſyna iterum eſt eroganda, & quidem in eadem quantitate, quæ in priori. Recole dicta ſup. a n. 314.

390 Hæc ſecunda Bulla poterit accipi ſimul cum prima, vel poſtea, intra annum, quando libuerit: cum Gallego Tambur. l. cit. nu. 2. Inſerviet autem, & hæc ſecunda pro toto anno, ſi initio anni promulgationis Bullæ accipiatur; ſi autem poſt elapſam anni partem, valebit pro reliqua, a die acceptionis nimirum: quemadmodum de prima docuimus hac ſect. 2. ſubſ. 6. qu. 2. uſque dum abſolvatur annus promulgationis Bullæ juxta dicta cit. ſubſ. 6. qu. 1.

Et hæc ſatis quoad explicationem Bullæ Cruciatæ communis, ſeu vivorum. Jam gradum faciemus ad Bullam Cruciatæ pro Mortuis explicandam. Sit itaque

ARTICULUS II.

De Bulla Cruciatæ Defunctorum.

IN Bulla Cruciatæ præter Indulgentias Stationum conceſſas Viventibus, ſed applicabiles quoque Defunctis, alia quædam directe conceditur ſpecialis indulgentia plenaria per modum Suffragii determinato Defuncto, ad cujus intentionem erogatur certa quantitas eleemoſynæ pecuniariæ in ſubſidium Belli contra Infideles, quemadmodum capitis hujus initio diximus. Profecto in Bulla Cruciatæ latina ſic legitur: *Item eadem Indulgentia* (plenaria) *ſuffragabitur per modum Suffragii etiam Animabus Defunctorum, pro quibus in hujuſmodi ſubſidium* (belli contra Infideles) *proficiſci, vel Milites mitti contigerit; aut pro quibus non euntes, nec mittentes, tamen eleemoſynam de bonis ſuis juxta taxam per Commiſſarium, perſonarum qualitate inſpecta, faciendam, pro Religionis defenſione contulerint.* 391

Hujuſmodi autem beneficium in quantum eſt conceſſum defunctis pro erogatione eleemoſynæ, deſcribitur in particulari quodam folio, quod accipit, qui eleemoſynam tribuit ad intentionem prædictam: atque hæc *Defunctorum Bulla vocatur*: cum ſingulare contineat beneficium unice reſpiciens fidelium animas Defunctorum.

Qu. I. An hæc Bulla ſumi valeat pro eo, qui defunctus eſt in Regno, in quo non promulgatur Bulla Cruciatæ. Dubium oritur ex dictis art. 1. ſect. 2. ſubſ. 1. qu. 10. n. 286. 392

℞. Affirmative; dummodo is, qui eleemoſynam tribuit ad hujuſmodi inten-

tentionem, conſiſtat, & degat, ſeu commoretur in loco, ubi promulgatur Bulla Cruciatæ, vel ad illum declinet, ſeu veniat: quemadmodum neceſſariam eſt ad validam Bullæ acceptionem. Vid. dicta cit. ſubſ. 1. a qu. 6. & deinceps. Sententiam vero hanc affirmativam expreſſe ſubſtinet Tambur. *in Bull. Cruc. c.* 17. §. 2. *nu.* 9. eamque colligit ex Ludov. a Cruc. *de Bull. in ipſo Proemio*, ubi inquit: *Concedit S. Pontifex, ut qui hanc Defunctorum Bullam ſumpſerit, poſſit cuicumque Animæ in Purgatorio exiſtenti applicare*. Et bene: nam licet Bulla quoad acceptionem patiatur limitationem Perſonarum a Pontifice expreſſam, tamen in præſenti pro applicatione nullam habet limitationem.

Verum nota hic: quemlibet etiam non conſiſtentem, non commorantem in Regno, ubi promulgatur Bulla, facile poſſe & ipſum pro Defunctis, quibus voluerit, hanc Bullam procurare, ſi nimirum roget Amicum e. g. conſiſtentem, ſeu commorantem, ec. in Regno, in quo Bulla promulgatur, ut ille nomine ſuo ſcilicet ipſius commorantis, in Regno prædicto privilegiato eleemoſyna largiatur ad prædictam intentionem, ſeu Bullam Defunctorum ſumat pro tali Defuncto, eidemque applicet indulgentiam hujus Bullæ modo inferius explicando qu. 9. n. 402.

393 Qu. II. An Bulla Defunctorum ſumi poſſit pro Defuncto Catheeumeno?

℞. Solutionem huius quæſtionis pendere ex illa generali quæſtione: utrum videlicet Catechumeni Defuncti ſint capaces indulgentiæ per modum Suffragii? In qua vero quæſtione non conveniunt Doctores, alii affirmantes, alii vero negantes. Sententia negativa reputatur probabilior a Bardi in Bulla *par.* 4. *tr.* 4. *c.* 3. *ſect.* 5. *n.* 36. unde n. ſequenti reſpondet negative ad quæſitum hic propoſitum. Eamdem ſententiam ſuſtinet Marcus Serio in *Bull. diſput.* 2. *diffic.* 1. *qu.* 19. *a n.* 3. Contra vero Salmant. *in append. tract. 6. de Bulla Cruc. c.* 1. *pu.* 7. *a nu.* 68. tuentur tamquam probabiliorem ſententiam affirmativam.

Qu. III. Utrum unica Bulla applicari poſſit Defunctis pluribus, applicando ſingulis aliquam ſaltem partem unius, & ejuſdem Indulgentiæ plenariæ in Bulla Defunctorum conceſſæ? 394

℞. Negative. Vid. Bardi *par.* 4. *tr.* 4. *c.* 4 *ſect.* 2. *n.* 9. & in eadem *ſect. in Vindicat. a n.* 18. Coton. *tom.* 1. *lib.* 2. *Controverſ.* 13. *c.* 2. *qu.* 1. *n.* 39. Dian. *edit. coord. tom.* 4. *tr. R.* 177. Tambur. §. 2. *nu.* 26. Marcus Serio *in Bull. Cruc. diſput.* 2. *diffic.* 1. *qu.* 18. *num.* 8.

Qu. IV. An poſſit Bulla Defunctorum bis ſumi pro uno, & eodem Defuncto: quemadmodum Bulla Vivorum pro Vivis. 395

℞. Affirmative. Conſtat ex conceſſione Gregorii XIII. verbis allegatis ſup. num. 385.

Qu. V. Quænam quantitas eleemoſynæ largienda ſit pro Bulla Defunctorum? 396

℞. Eſſe ſummam duorum realium, quæ in noſtro Siciliæ Regno ſunt duo tareni, & grana duodecim cum dimidio. Hæc quidem eſt taxa præſcripta a Commiſſario, uti ab eodem in ipſamet Bulla mortuorum declaratur. Vid. Bardi cit. ſect. 2. nu. 6. Ser. n. 8. Tambur. n. 8. Salmantic. cit. c. 1. pu. 10. n. 102. fine.

In-

397 Interrog. An perſonæ qualificatæ, accipiendo Bullam Defunctorum, debeant erogare majorem eleemoſynæ quantitatem præ perſonis communibus: quemadmodum pro Bulla vivorum ſtatutum eſſe diximus, art. præced. ſect. 2. ſubſ. 3. qu. 1. Interrog. 1. & ſequentibus?

℟. Negative. Sed æqualis eſt pro omnibus quoad Bullam Defunctorum Vid. Bardi *cit. ſect.* 2. *n.* 7. Tambur. *n.* 8. Verum etiam quoad eleemoſynam hujus Bullæ obſervanda ſunt cætera omnia, quæ de eleemoſyna Bullæ vivorum, docuimus cit. ſubſ. 3.

398 Qu. VI. An Bulla Defunctorum accipienda ſit ab eo, qui dat eleemoſynam, ad hujuſmodi intentionem? item an acceptanda, retinenda, ſeu aſſervanda? quemadmodum de Bulla vivorum docuimus, & explicavimus artic. præc. ſect. 2. ſub. 4. & 5.

℟. Affirmative. Vid. Bardi *n.* 8. Tambur. *nu.* 2. Ser. *n.* 8. Sed nota hic: retenſionem, ſeu aſſervationem Bullæ Defunctorum non eſſe adeo neceſſariam, quemadmodum Bullæ vivorum; & quidem non poteſt dici neceſſaria ad hoc, ut ipſa Bulla ſit utilis Defunctis; enimvero tota ejus utilitas unico in puncto percipitur, nec non niſi ſemel; nimirum in eo tantummodo puncto, in quo ipſa applicatur Defuncto, in cujus ſumitur beneficium: ſecundum dicenda qu. 9. interrog. 3. Ergo poſtquam utilitas Bullæ hujus, ſeu Indulgentia ejus ſemel fuerit determinato applicata Defuncto, non poteſt dici retentio, ſeu aſſervatio ejuſdem eſſe neceſſaria ad hoc, ut proſequatur eſſe utilis, quia eſt de ſubjecto non ſupponente, ſeu de falſo ſuppoſito. Neque poteſt dici neceſſaria, ne revocetur Indulgentia ſemel applicata; hoc enim nemo unquam dixerit. Et ſic nemo unquam dixerit: inutiliter applicaſſe Defuncto Bullam heri eum, qui hodie Bullam etiam conſulto laceravit, vel combuſſit, vel alio quovis modo a ſe abjecit. Et hæc admittere debet Bardi, qui ſimili quoque modo diſcurrit in ſimili quæſtione de aſſervatione Bullæ Compoſitionis, ut videbimus art. ſeq. ſect. 2. ſubſ. 2. §. 4. n. 443.

Qu. VII. Utrum etiam in hac Bulla ſcribendum ſit nomen? 399

℟. Affirmative. Tambur. n. 3. & quidem, ut notat idem Tambur. n. 4. praxis eſt in hac Bulla ſcribi nomen tum ejus, qui Bullam accipit, tum illius, pro cujus anima accipitur.

Interrog. An id ſit omnino neceſſarium?

℟. Eodem modo diſcurrendum ac pro Bulla vivorum. Tambur. nu. 3. De inſcriptione autem nominis in Bulla vivorum egimus art. præced. ſect. 2. ſubſ. 4. qu. 8. n. 358.

Qu. VIII. An, qui Bullam accipit pro Defuncto, debeat eſſe in gratia, ut Bulla utiliter ſumatur? 400

℟. Solutionem factæ quæſtionis pendere ex illa generali quæſtione: utrum videlicet, in lucrante Indulgentiam pro animabus Purgatorii exigatur gratia ſanctificans eo momento temporis, quo completur opus impoſitum; atque adeo quo Indulgentia animabus prædictis applicatur? in qua autem quæſtione non conveniunt Doctores, affirmantes alii, alii negantes. Sententia negativa probabilior videtur Bardi *par.* 4. *tr.* 3. *cap.* 2. *ſect.* 3. *n.* 23. Eſt utique hæc ſententia S. Thomæ.

Qu. IX. Utrum qui Bullam accipit Defunctorum, opus ſit, ut illam 401

ac-

ARTICULUS III.

De Bulla Compoſitionis.

407 SUMMUS Pontifex Fidelibus erogantibus eleemoſynam in ſubſidium Belli ſancti præbet Indultum, ſeu remittit obligationem reſtituendi nonnulla debita, & compenſandi nonnulla damna aliis in quibuſdam fortunæ rebus illata. Hujuſmodi vero Indultum, ſeu Compoſitio deſcribitur in quodam folio, quod *Bulla Compoſitionis* appellatur. Hanc Bullam explicabimus hic Sectionibus II. in quarum prima agemus de Requiſitis neceſſariis ad fruendum privilegio Bullæ Compoſitionis: in ſecunda de caſibus particularibus, in quibus conceditur Compoſitio.

SECTIO I.

De Requiſitis neceſſariis ad fruendum privilegio Bullæ Compoſitionis.

AD fruendum Bullæ Compoſitionis privilegio, varia requiruntur, quorum alia ſunt communia Bullæ Cruciatæ communi, de qua diſputavimus articulo primo; alia vero propria Bullæ hujus. Ea autem omnia explicabimus ſubſectionibus II. in priori agemus de requiſitis propriis Bullæ Compoſitionis; in poſteriori de requiſitis communibus ejuſdem Bullæ

SUBSECTIO I.

De Requiſitis propriis Bullæ Compoſitionis.

Agitur §§. IV.

§. I. *De qualitate debitorum, in quibus admittitur Compoſitio.*

§. II. *De quantitate debitorum, ſuper qua Compoſitionis Bulla conceditur.*

§. III. *De Ignorantia Dominorum, quibus reſtitutio, ſive ſolutio debeatur.*

§. IV. *De confidentia prava a Compoſitionis beneficio removente.*

§. I.

De qualitate debitorum, in quibus admittitur Compoſitio.

IN Bulla Cruciatæ originali latina datur facultas Commiſſario, & Receptori Generali hujus Expeditionis deputato, & conſtituto ut . . . *ſuper illicite habitis, nec non ſuper medietate Legatorum omnium, quæ propter male ablata facta ſunt, ſi Legatarii per annum in exactione negligentes fuerint, ac ſuper illis, quæ facta erant, & quæ dicto anno durante fient, ſi legatarii inveniri non poterunt; nec non ſuper male ablatis, & per uſurariam pravitatem, aut aliter male acquiſitis, ſi in omnibus præmiſſis caſibus (præterquam dictæ annualis negligentiæ) perſonæ, quibus reſtitutio, ſeu ſolutio facienda eſt, (præſtito per reſtitutorem juramento de diligentia per eum facta pro inveniendo legatario, ſeu creditore, & minime invento): non reperiantur, componere valeat, &* 408

ita debitores liberari poſſint .... Item etiam datur facultas eidem Commiſſario componendi cum iis, qui ad reſtitutionem fructuum ex omiſſione Horarum Canonicarum tenentur; ita ut quantitas compoſitionis pro medietate Eccleſiis, vel aliis locis, quarum, vel quorum ratione Horas prædictas recitare debent, & pro altera medietate in ſubventionem hujus negotii detur. Ita Pontifex in Bulla Latina.

In Summario autem vulgari italico Bullæ compoſitionis ſic loquitur Commiſſarius Generalis: *Puoſſi comporre per il mal guadagnato, ed avuto, per lo mal preſo, ed acquiſtato per guadagno illecito, ed uſura, ed in qualſivoglia altra maniera .... Di più ſopra tutte le coſe ritrovate ... Di più ſi può comporre de i danni fatti nell' andare a caccia, o con l' armento, o in altra maniera, così ne' paſcoli, e nelle vigne, o in qualſivoglia altri beni, non ſapendo &c.* Hæc Commiſſarius, qui etiam hæc ipſa explicat ibi per varios caſus, quos infra exponemus, & examinabimus.

Ex his autem videntur aliqui explicare velle perfectam, & adæquatam qualitatem debitorum, quæ per hanc Bullam componere liceat, dicendo: ex beneficio hujus Bullæ compoſitionem generaliter fieri poſſe in omni eventu, in quo conſtat reſtitutionem faciendam eſſe ratione rei male acceptæ, vel injuſtæ retentionis: quibus non repugno, dummodo ſub *re male accepta* intelligatur venire etiam *injuſta damnificatio* prout explicat Commiſſarius in Bulla vulgari.

§. II.

De quantitate debitorum ſuper qua Compoſitionis Bulla conceditur.

In Bulla Cruciatæ originali latina 409
a Summo Pontifice conceditur Commiſſario Generali ejuſdem Bullæ, ut poſſit componere ſuper illicite habitis &c. & quidem nulla limitatio fit quoad quantitatem hujuſmodi debitorum. Ipſe nihilominus Commiſſarius iis, qui hujuſmodi debita contraxerunt, ſi ſe per Compoſitionis Bullam componere velint, limitat compoſitionem uſque ad certam quantitatem; qui autem in majori ſeſe componere velint, licet eos etiam ad Compoſitionem admittat hujuſmodi majoris quantitatis: id tamen non per Bullam, ſed per recurſum ad ſeipſum Commiſſarium Generalem, ut infra explicabitur.

Dico itaque primo: Quantitatem debitorum, ſuper qua conceditur compoſitio per Bullam Compoſitionis, eſſe quantitatem duorum millium marapetinorum, vel, ut alii loquuntur, maravediſorum monetæ hyſpanicæ; hoc eſt, monetæ ſiculæ unciarum duarum, & tarenorum decem ſupra ſeptem, & granorum quatuor; ſeu ſcutorum ſex, ac tarenorum quinque, & granorum quatuor. Quod ſi major ſumma urgeat; poterit ſuper ipſa componi accipiendo aliam, & aliam Bullam, quouſque ſingularum beneficio expleta fuerit ſumma centum millium marapetinorum h. e. Unciarum centum viginti octo, & tarenorum viginti, ſeu ſcutorum trecentorum, viginti unius, & tarenorum octo. Hinc ad extinguendam dictam quantitatem per Bul-

las

las compoſitionis, oportebit ſumere, vel ſimul, vel ſucceſſive intra annum publicationis Bullæ, Bullas quinquaginta.

Dico 2. Si quis velit, ſe componere ſuper quantitate debitorum excedente prædictam; debet recurrere ad ipſummet Commiſſarium Generalem delegatum Bullæ Cruciatæ, qui reſidet in qualibet Provincia, ubi hæc promulgatur.

Conſtant hæc ex Summario vulgari Bullæ compoſitionis, ubi ſic loquitur Commiſſarius: *Qualſivoglia perſona, che pigliando queſta ſanta Bolla daſſe tari due, grana dodici, e piccioli tre per l'ajuto &c. ſia libero, e perdonato di tutto il reſtante, che doveſſe a Padrone, o Padroni incerti fino alla ſomma di tarì ſettantaſette, e grana quattro, che ſono ſcudi 6. 5. 4. di tari 12. l'uno, e non ſia neceſſario fare altra reſtituzione ec. E ſe la ſomma, o quantità da comporre, montaſſe più de' ſuddetti tarì ſettanta ſette, e grana quattro, ſei ſcudi 6. 5. 4. in virtù della ſteſſa autorità, quante volte pigliaſſe queſta S. Bolla, e daſſe l'elemoſina de' ſuddetti tarì due, grana dodici, e piccioli tre, tante volte ſia compoſto a ragione di tarì ſettanta ſette, e grana quattro, ſeu ſcudi 6. 5. 4. fino alla ſomma di tari tremila ottocento ſeſſanta, che ſono ſcudi 321., 8. di tarì 12. l'uno, e non più; perchè eccedendo così fatta ſomma, deve venire, o mandare avanti di Noi, ad effetto che conforme alla relazione, che ci foſſe fatta, provedeſſimo in particolare di congrua, e corriſpondente compoſizione.* Hæc Commiſſarius in prædicto Summario.

410 Qu. hic I. Utrum, qui velit ſe componere ſuper quantitate debitorum excedente ſummam centum millium marapetinorum, hoc eſt, unciarum centum viginti octo, ac tarenorum viginti: nimirum ſcutorum trecentorum viginti unius, ac tarenorum octo; poſſit, ſe componere per Bullas uſque ad hanc quantitatem, ſuper reliqua vero quantitate excedente prædictam ſummam, poſſit ſe componere per recurſum immediatum ſupradictum ad Commiſſarium Generalem? An vero teneatur pro tota ſumma integra recurrere ad Commiſſarium?

℞. Utroque modo poſſe ad libitum. Vid. Bardi *par.* 3. *tr.* 5. *diſſert.* 1. *c.* 3. *ſect.* 1. *n.* 5, Tambur. *c.* 18. §. 6. *n.* 3. & 4.

Qu. II. Debeat quis quantitatem 411 excedentem centum mille marapetinos, ſed id ignorans, ac putans, ſe non debere, niſi tantum centum mille marapetinos, volens ſe componere per Bullas, ſumat tot Bullas, quot ſufficiunt ad extinctionem prædicti debiti. Hac autem facta compoſitione, advertat, & videat, ſe adhuc remanere debitorem in alia quantitate: quæres: utrum hic poſſit iterum hoc eodem anno ſe componere per alias Bullas ſuper iſta quantitate?

℞. Negative; ſed debet habere recurſum ad Commiſſarium pro compoſitione ſuper illa quantitate excedente. Vid. Bardi l. cit. a n. 6. Tambur. l. cit. n. 5.

Qu. III. Non debeat quis, niſi 412 ſolum centum mille marapetinos, volenſque ſe componere, ſumat tot Bullas, quot requiruntur ad extinctionem prædicti debiti. Deinde vero in decurſu ejuſdem anni promulgationis Bullæ contrahat novum debitum, puta aliorum centum millium marapetinorum; utrum poſſit

hoc alterum debitum componere per alias Bullas?

℞. Negative, ſed in hoc novo debito debet recurrere ad Commiſſarium Generalem; uno enim, & eodem anno promulgationis Bullæ, non conceditur compoſitio per Bullas compoſitionis, uſque ad extinctionem debiti centum millium marapetinorum; atque adeo poſtquam quis uno, & eodem anno promulgationis Bullæ, ſive ſimul, ſive ſucceſſive intra annum ſumpſit tot Bullas, quot ſufficiant ad extinctionem debiti centum millium marapetinorum; nimirum ſumpſit quinquaginta Bullas, quibus extinxit debitum prædictæ Summæ, non poterit amplius eodem anno iterum ſe componere per Bullas, ſi nova contrahat debita.

413 Qu. IV. An Bulla Compoſitionis valeat pro debitis contractis poſt ejus acceptionem? Debeat. e. g. quis ſcuta tria, volenſque ſe componere, Bullam accipiat, atque adeo extinguat prædictum debitum. Deinde vero contrahat novum debitum eodem anno promulgationis Bullæ aliorum trium ſcutorum: Utrum indigeat altera Bulla, ut ſe componat ſuper his aliis tribus ſcutis; vel poſſit hoc novum debitum extinguere, applicando ſibi eamdem illam Bullam acceptam? Porro per unicam Bullam conceditur compoſito ſuper ſcutis ſex & amplius, ut ſupra explicatum eſt.

℞. Bullam Compoſitionis non valere pro componendis debitis contractis poſt ejus acceptionem, ſed pro contractis ante; atque adeo in prædicto caſu opus eſt altera Bulla. Salmant. *in append. tr. 6. de Bul. Cr. c. 7. pu. 2. n. 7.*

§. III.

De ignorantia Dominorum, quibus reſtitutio, ſive ſolutio debeatur.

Debita, ſuper quibus ex beneficio Cruciatæ, ſive per Bullam Compoſitionis, ſive per recurſum immediatum ad Commiſſarium Generalem Cruciatæ modo explicato, ſeſe componere licet, ſunt debita ſolum incerta, ſeu quorum creditor & dominus ignoratur, etſi diligenter fuerit requiſitus. Conſtat ex Bulla latina, in qua dicitur: beneficium compoſitionis concedi ſuper illicite habitis, nec non ſuper legatis, *ſi Legatarii inveniri non poterunt*; nec non ſuper male ablatis, & per uſurariam pravitatem, aut aliter male acquiſitis, *ſi in omnibus præmiſſis caſibus perſonæ, quibus reſtitutio, ſeu ſolutio facienda eſt, (præſtito per reſtitutorem juramento de diligentia per eum facta pro inveniendo Legatario, ſeu Creditore, & minime invento) non reperiantur*. Id ipſum ſæpius etiam monetur in Summario vulgari Bullæ Compoſitionis, in quo primum Commiſſarius teſtatur, ſe a Pontifice Summo facultatem habere componendi debita *de' quali il proprio, e legitimo Padrone (fatta la dovuta diligenza) non coſta*. Deinde ibidem hæc leguntur: *Qualſivoglia perſona, che pigliando queſta ſanta Bolla, daſſe tarì due, grana dodeci, e piccioli tre per l'ajuto ec. ſia libero, e perdonato di tutto il reſtante, che doveva a Padrone, o Padroni incerti ſino alla ſomma ec.* & inferius, ubi exprimuntur ſingulares caſus, in quibus conceditur compoſitio, ſic dicitur cap. 1. *Primieramente puoſſi comporre per il* 414

mal

mal guadagnato, *ed avuto*, *per lo mal preſo*, *ed acquiſtato per guadagno illecito*, *ed uſura*, *ed in qualſivoglia altra maniera; non coſtando de' Padroni*, *ai quali far ſi dovrebbe la legittima reſtituzione*, *previa però la dovuta diligenza*. Rurſus caſu 4. *Di più ſi può comporre ſopra i legati fatti avanti d'ora*, *o che ſi faceſſero in tempo della predicazione della preſente Bolla*, *i di cui Legatarii non ſi trovaſſero dopo la debita diligenza*. Rurſus caſu 14. *Di più ſopra tutte le coſe ritrovate*, *fatta prima ſufficiente diligenza*, *e non ritrovandoſi il Padrone*, *ſi può comporre*. Similiter caſibus 15. 16. & 19.

Hinc etiam ſatis patet convenientia, & honeſtas compoſitionis hujuſmodi, quæ in Bulla Cruciatæ a Pontifice Summo conceditur; Videri etiam poſſunt dicenda ſequenti §. 4. poſt initium. Debita vero incerta, ſeu bona, quorum Dominus ignoratur, ſunt in triplici differentia, ut notat Bardi *tr.* 5. *diſſert.* 1. *c.* 1. *ſect.* 1. *n.* 2., nam quædam ſunt ex delicto, nempe ex uſuris, aut ex furto, aut ex quacumque alia injuſta actione. Quædam ex contractu, aut ex emptione, venditione, mutuo, depoſito &c., quædam denique ſunt ex caſuali, & fortuita inventione. Inventa vero ſunt in alia triplici differentia, ut idem Bardi obſervat *diſſert.* 2. *c.* 5. *ſect.* 2. nam quædam numquam ſub alicujus dominio fuerunt, ut ſunt lapilli pretioſi, gemmæ, cæteraque mineralia, & quæ in littore maris reperiuntur, & pariter Inſulæ, quæ numquam habitatorem habuerunt, aut ſub dominio alicujus extiterunt; & circa iſta non verſatur compoſitio, quia ſecundum jus commune ſunt primo occupantis; niſi in aliqua Regione ſit jus aliquod ſpeciale, per quod Princeps, aut Reſpublica ob commune bonum illius univerſitatis alio modo diſpoſuerit de hujuſmodi Bonis.

Alia autem ſunt inventa earum rerum, quæ aliquando ſub determinatæ perſonæ dominio fuerunt, ſed ob temporis diuturnitatem deſierunt poſſideri; atque adeo ſub nullius dominio actu manent. Hujuſmodi ſunt theſauri, quorum nomine hic intelligitur depoſitio pecuniarum auri, vel argenti ita antiqua, ut de ejus domino notitia haberi non poſſit; de quibus theſauris, & ſimilibus inventis idem eſt aſſerendum, ac de bonis, de quibus modo ſupra dictum eſt; perinde enim ſe habent hujuſmodi theſauri, ac ſi numquam extitarint ſub alterius dominio; proinde ii, & ſimilia non ſunt materia compoſitionis, ſed primo invenienti acquiruntur; niſi aliter per legem aliquam municipalem ſtatutum ſit. Sed de his theſauris videri poteſt La-Croix *l.* 3. *par.* 2. *qu.* 28. Tertia denique differentia rerum inventarum verſatur circa res illas, quæ ſub alicujus dominio actu manent, & quamvis earum dominus ignoretur hic, & nunc; nihilominus cognitio de illo non excedit facultatem humanam; facta enim ſufficienti, ut inferius explicabitur, inquiſitione, poterit inveniri.

Jam vero ſuper hujuſmodi tertii generis rebus inventis locum habere poterit compoſitio: in eo nimirum caſu, quo, non obſtante ſufficienti diligentia pro inveniendo earum Domino, hic non potuerit inveniri. 415

Nihilominus excipiendi ſunt caſus duo, in quibus conceditur compoſitio, etiamſi ſatis conſtet, cuinam reſtitu-

ſtitutio, ſeu compenſatio ſit facienda. Hi autem exponuntur in Bulla latina, & in ipſa etiam explicantur vulgari Bulla compoſitionis.

Et quidem in Bulla Cruciatæ latina datur facultas Commiſſario Generali, ut valeat componere *ſuper medietate legatorum omnium, quæ propter male ablata facta ſunt, ſi Legatarii per annum in exactione negligentes fuerint* Qui caſus ſic explicatur in Bulla vulgari: *Si può comporre ſopra la metà de' legati pii, che foſſero fatti in diſcarico del mal riportato, eſſendo le perſone, in beneficio delle quali ſi foſſero fatti i legati, negligenti per un' anno nell' eſazione, ed in tal caſo ſi può componere, ancorchè ſi ſappiano le perſone, alle quali furono laſciati li ſopradetti legati.*

Alter caſus, in quo conceditur Compoſitio, etiamſi conſtet cuinam facienda ſit reſtitutio, ſic exponitur in Bulla latina: *Item etiam datur facultas eidem Commiſſario, componendi cum eis, qui ad reſtitutionem fructuum ex omiſſione Horarum canonicarum tenentur.* Qui caſus ſic explicatur in Bulla vulgari: *Di più ſi può comporre ſopra i frutti de' beneficii, e rendite eccleſiaſtiche mal percette, ed avute per difetto di non aver recitato le ore Canoniche.* Qui quidem caſus Reſpicit Beneficiarios, quibus nimirum conceditur ſeſe componere poſſe ſuper fructibus ex Beneficiis, aut aliis eccleſiaſticis redditibus male perceptis, vel ob malam ipſorum Beneficiorum, adeptionem, vel ob omiſſionem Horarum Canonicarum, ad quas Beneficiarius tenebatur, vel ob excomunicationem majorem, aut ſuſpenſionem, vel Irregularitatem. Quod dicitur de Beneficiario non recitante Horas, intelligatur etiam de Penſionario non recitante Officium B. Virginis. Sed de his caſibus V. inf. ſect. 2. ſubſect. 2. & 3.

Qu. I. An poſſit ſe componere is, cui ſola quantitas debiti ſit incerta, non autem Dominus? 416

℞. Negat Trullench, quem ſequitur Bardi *par. 3. tr. 5. diſſert. c. 1. ſect. 3. qu. 4. n. 19.* ubi hanc rationem aſſignat, quia, videlicet, incertitudo in tali caſu non cadit ſupra creditorem, neque ſupra ſubſtantiam debiti, ſed ſolum ſupra circumſtantiam, nempe ſupra ſummam: at Bulla concedit compoſitionem, quando incertitudo verſatur circa ipſum creditorem.

Contra vero affirmat Henriquez in ſum. lib. 7. c. 33. initio, ubi docet: eſſe locum compoſitionis ſi quantitas debiti ſit ignota, licet creditor ſit notus; & ibidem in gloſſa marginali dicit, id in Bulla explicari: addit tamen, partem quamdam deberi Domino, ſi ſit notus. Putat itaque Henriquez in poſito caſu debere dari aliquid juxta prudentis judicium, ſpectato dubio, & ſpectata rei quantitate, de reliquo autem poſſe componi. Hujuſmodi ſententiam videtur approbare Tambur. §. 5. *n.* 5. cujus ratio illi eſſe videtur, quia de eo, quod eſt reliquum, vere neſcitur Dominus.

Ego autem dico 1. Si dubium ſit de tota quantitate debiti, atque adeo cadat directe ſupra exiſtentiam debiti, ut ſi quis dubitet poſt diligentem inquiſitionem, an debeat Titio aliquam determinatam rem, vel non, aut certam quantitatem pecuniæ, vel nihil? In hoc caſu non eſt locus compoſitioni; ſeu rectius loquendo, non eſt opus compoſitione ulla; enim vero in actu ſecundo nullum

exi-

exiſtit debitum, ſeu nulla datur obligatio reſtituendi Titio; conſtat enim apud omnes, neminem teneri ad ſolutionem certam pro debito incerto.

Dico 2. Quod, ſi quis certus ſit, ſe debere Titio, e. g. viginti: dubitet autem, an ſupra viginti debeat adhuc decem; neque in hoc caſu eſt locus compoſitioni. Et vero non eſt locus compoſitioni pro illis viginti; idque omnes fateri debent, cum debitum ſit certum, & Dominus item certus. Neque eſt locus compoſitioni: ſeu rectius loquendo, non eſt opus compoſitione ulla pro aliis decem, quia dubium etiam hic revera cadit ſupra exiſtentiam debiti: ut conſideranti facile patebit; atque adeo etiam hic in actu ſecundo nullum exiſtit debitum, ſeu nulla exiſtit obligatio reſtituendi; cum, ut ſupra dictum eſt, apud omnes conſtet, neminem teneri ad ſolutionem certam pro debito incerto.

Dico 3. Si quis aliquam rem ſibi uſurpavit bona fide, judicans eſſe ſuam, ſed deinde dubium ei ſuboriatur, an revera ſit Petri? Non eſt locus compoſitioni; vel non eſt opus eadem. Et qui iem ſi dubium oriatur ex rationibus moraliter convincentibus, hoc eſt ex rationibus ejus generis, quæ omnem probabilitatem contrariam depellunt: rem reſtituere tenetur; quia incipit eſſe poſſeſſor malæ fidei: atque adeo debitum jam eſt certum; & cum ex alia parte non ignoretur verus Dominus, ſequitur quod non ſit locus compoſitioni.

Si autem dubium ſuboriatur ex rationibus levibus, aut ad ſummum mere probabilibus, & requiſita veritate, ſeu facta meliori, & ſufficienti diligentia, adhuc perſeveret idem dubium, non tenetur reſtituere rem; poſſeſſio enim ei ſuffragatur contra omnes rationes non convincentes. Ita ipſe Tambur. *in Decal. lib.* 1. *c.* 3. §. 7. *litt. R.* V. *Reſtitutio* nu. 2. Cum itaque ipſe ſit Dominus rei, nullum adeſt debitum in eo, atque adeo non eſt ei opus compoſitione.

Unde nota hic, quod in hoc ultimo exemplo, & duobus aliis prioribus ſimilibus in præcedentibus dictis expoſitis, licet directe ſit dubium de exiſtentia debiti, reflexe tamen non adeſt hujuſmodi dubium, ſed certitudo de carentia debiti. Qui ergo eſt certus, ſe nihil debere alteri, quid ei opus eſt compoſitione, quæ ſupponit debitum?

Qu. II. An creditor abſens haberi poſſit tamquam incertus, atque adeo ſit locus compoſitioni, ſi debitor non teneatur, illi mittere debitum, aut illius hæredibus; neque moraliter appareat ſpes, illud umquam mittendi, ſeu reſtituendi? 417

℞. Alii negant, volentes debitum elargiendum Pauperibus; alii affirmant, eſſe locum compoſitioni. Videatur Bardi *par.* 3. *tr.* 5. *diſſert.* 1. *c.* 1. *ſect.* 3. *nu.* 17. *& in Vindic. a* 22. Heriquez *in ſum. l.* 7. *c.* 33. *n.* 1. *initio*, *& c.* 34. *n.* 3., (alias per errorem 2.) Em. Rodriq. in hanc Bull. *dub.* 2. *n.* 3. *&* 4. Tambur. *in hanc Bull.* §. 5. *n.* 4. Dian. *edit. coord. tom.* 4. *tr.* 3. *R.* 175. §. 4. ſententiam negativam eſſe probabiliorem, & juri conformiorem judicat Bardi loc. cit. Niſi tantum temporis fuerit elapſum, ut Dominus jam mortuus judicetur, & hæredes evaſerint ignoti. Quandonam vero debitor excuſetur debitum mittere creditori abſen-

ſen-

ſenti? videatur apud Theologos morales in tractatu de Reſtitutione; & ſufficienter etiam ad præſentem quæſtionem videri poteſt apud Rodriquez *cit. n.* 4. Tambur. *in Decal. l.* 8. *tr.* 4. *c.* 1. §. 8. *n.* 5. & apud alios ex laudatis Auctoribus.

418 Qu. III. Si poſt diligentiam ad inveniendum verum Dominum, conſtet eſſe unum ex duobus, vel tribus; maneat tamen ignorantia certi, ac determinati Domini: an dici poſſit Creditor eſſe ignotus: atque adeo fieri valeat compoſitio?

℞. Negative. Videatur Henriquez *in ſum. lib.* 7. *c.* 35. *n.* 1. Bardi *cit. ſect.* 3. *n.* 18. Tambur. *cit.* §. 5. *n.* 2. Rodriguez *dub.* 7. *n.* 9.

419 Interrog. Quid? ſi dubium verſetur inter decem, quindecim, viginti, centum?

℞. Tambur. nu. 3. ad hujuſmodi interrogationem dicendo: quod cum hæc res debeat morali, & humano modo penſari; ideo debet prudenti judicio, ſpectata qualitate perſonarum, reique quantitate decerni, an ſit tantum dubium, ut res illa ad certitudinem potius, quam ad incertitudinem vergat.

420 Qu. IV. Quanta debeat eſſe diligentia in inquirendo vero Domino.

℞. Non poſſe præſcribi regulam unam, ac firmam pro omni caſu; enim vero nunc major, nunc minor eſt adhibenda inquiſitio pro qualitate rei debitæ, creditoris, loci, temporis &c. & ideo in caſibus particularibus arbitrio boni, ac prudentis Viri, penſatis omnibus, eſt menſuranda; ita paſſim Auctores in tractatu de Reſtitutione.

421 Qu. V. An requiſita diligentia prædicta acceptioni Bullæ ſit præmittenda, vel ſufficiat, ſi ſubſequatur?

℞. Tutius eſt, ſi præmittatur; cæterum non videtur id omnino neceſſarium; legantur dicenda ſubſect. 2. §. 1. licet effectus Bullæ non dabitur, niſi prius facta fuerit diligentia prædicta: quia etiam hoc eſt requiſitum omnino neceſſarium: ut ab initio hujus §. dictum fuit; etiam pro hac altera parte reſponſionis datæ videri poſſunt dicenda l. cit.

Qu. VI. In Bulla latina originali exigitur juramentum ab eo, qui ſe componere velit ſuper debitis incertis, de diligentia per eum facta pro inveniendo Legatario, ſeu creditore, & minime invento: ut patet ex verbis laudatæ Bullæ initio §. hujus recitatis. Jam vero hic quæres: an juramentum hujuſmodi præſtandum ſit, tum ſi compoſitio fiat per Bullam; tum ſi fiat per ſimplicem immediatum recurſum ad ipſummet Commiſſarium Generalem ſuperius explicatum? 422

℞. De ſufficienti diligentia exhibita debet a debitore fieri juramentum, quando fit compoſitio immediate cum Commiſſario; quando autem fit per acceptionem Bullarum, ſatis eſt, ut ipſe debitor ſit certus illam feciſſe. Tamb. §. 3. *n.* 2. & hanc eſſe praxim, teſtatur cum Trull. idem Tambur. §. 5. *n.* 1. & confirmari poſſet ex eo, quod in Summario vulgari italico Bullæ compoſitionis, quod ſummarium per ſe dirigitur ad volentes ſe componere per Bullam, & in quo traditur inſtructio de iis, quæ præſtanda ſunt, ut rite compoſitio fiat per Bullam: in hujuſmodi, inquam, ſummario nulla fit mentio de juramento aliquo præſtando a debitore.

Qu. VII. Si Dominus de ignoto notus evadat, an ſit obligatio reſtituen- 423

tuendi integrum debitum, aut ſaltem id, in quo factus eſt ditioris, qui rite ſe compoſuerat?

℟. Alii docent, nihil teneri reſtituere; alii obligant ad reſtituendum id, in quo factus eſt ditior. Prior ſententia eſt ſatis probabilis, & ſecura. Vide Bardi *par.* 3. *tr.* 5. *diſſert.* 1. *c.* 3. *ſect.* 2. Tambur. §. 5. *n.* 9. & 10. Dian. *edit. coord. to.* 4. *tr.* 3. *R.* 174.

424 Interrog. An id procedat ſolum pro foro interno?

℟. Alii affirmant, alii negant: melius Bardi, & Tambur. ſentire, & utramque oppoſitam ſententiam conciliare, videntur, dicendo: quod ſi poſſet conſtare in foro externo, compoſitionem legitime factam fuiſſe, tunc etiam pro eodem foro faveret debitori: at non videtur, quomodo id conſtare valeat? quia dum fit per Bullas, eſt omnino impoſſibile; cum nequeat ab aliis ſciri, qua intentione, & pro quo debito ſumptæ fuerint Bullæ? ſi vero facta fuerit compoſitio per recurſum immediatum ad ipſum Commiſſarium: licet conſtet de ipſa compoſitionis ſubſtantia per aſſertionem voce, aut ſcripto factam ab ipſo Commiſſario; tamen neque pro quo debito facta fuerit, ſciri poteſt: neque an legitime facta fuerit; ſemper enim dubitari poterit: an fuerint omnes conditiones requiſitæ? ſcilicet an diligentia ſufficiens adhibita fuerit? utrum in debitore fuerit ſpes agnoſcendi verum Dominum? &c. Ita Bardi diſſert. 1. c. 1. ſect. 3. nu. 21. quem laudat, eique adhæret Tambur. §. 5. n. 13.

§. IV.

De confidentia prava a compoſitionis beneficio removente.

In Summario vulgari Bullæ compoſitionis Commiſſarius Generalis monet expreſſe, compoſitionem ex beneficio Cruciatæ nequaquam prodeſſe iis, qui aliena bona ſibi uſurpaverint ex confidentia compoſitionis hujuſmodi; ſed eos teneri univerſum incertum explicatum debitum reſtituere, illudque applicare in beneficium Cruciatæ, ſeu in ſubſidium Belli contra Infideles. 425

Conſtat ex verbis allegati Summarii ſive hyſpanici, ſive italici; & quidem in Summario Bullæ compoſitionis italico ſic legitur .... *Ben inteſo però, che li tali debitori non ſianſi uſurpati l' altrui ſotto la ſperanza, e fiducia della facilità di comporſi; perchè in queſto caſo non ſerve, e non ſi può*. Et iterum ibidem inferius ſic: *Di più generalmente poſſi comporre ſopra qualſivoglia genere d' Azienda illecita, e malamente avuta, mal guadagnata, ed acquiſtata, così per uſura, o ingordo premio, come in qualſivoglia altra maniera, o traffico, o uſficio, non ſapendo il padrone, cui legittimamente poſſa reſtituirſi: ben inteſo però, che non ſiaſi meſſo a così fatti guadagni con la fiducia di acquietare il rimorſo della ſua coſcienza, mediante queſta compoſizione; perchè in tal caſo deve reſtituire tutto intieramente alla S. Cruciata in ſuſſidio delle Guerre contro gli Infedeli*. Hæc in allegato Summario.

Quam quidem conditionem, etiam ut omnino neceſſariam, licite, & efficaciter potuit Commiſſarius Generalis exquirere, & apponere in Summa-

rio vulgari, quamvis expreſſe non habeatur in Bulla originali latina; ex facultate nimirum generali ſibi in eadem Bulla Cruciatæ conceſſa a Summo Pontifice, illam interpretandi, ſeu declarandi. Per ſe autem patet, congruum valde fuiſſe, ſic ſtatuere, ne ſpe compoſitionis pararetur via ad furta, & injuſtitias. Hinc etiam iterum apparet convenientia, & honeſtas compoſitionis hujuſmodi, quæ in Bulla Cruciatæ a Pontifice Summo conceditur: & licet cum Mendo Salmantic. *in append. tr. 6. de Bulla Cruciatæ c. 7. pu. 2. nu. 11.* fine dicant: quod ille, qui ex hac confidentia ſurripuit aliena bona, poſſit Commiſſarium adire, & explicata ſua confidentia, ex qua deliquit, ab eo compoſitionem accipere, ſi velit in hac clauſula diſpenſare; cum ille hanc clauſulam appoſuerit, & alias a Pontifice abſolutam poteſtatem acceperit circa modum componendi omnia debita incerta: non videtur, ajunt, poſſe negari, quod ſuper hac conditione diſpenſare valeat, & compoſitionem erga bona ex confidentia Bullæ ſublata concedere, licet, inquam, ita ſentiant Auctores laudati: mihi autem hujuſmodi aſſertio non ſatis probatur: quia, ut innuimus, prædictam clauſulam Commiſſarius non appoſuit tamquam aliquid a ſe conſtitutum, ſed tamquam aperiendo mentem Pontificis, ſeu declarando quid per Pontificem fuerit conſtitutum? nimirum, non eſſe Pontificis mentem, concedere beneficium Bullæ compoſitionis iis, qui aliena bona ſibi uſurpaverint ex confidentia compoſitionis hujuſmodi. Deinde licet dicamus: diſpenſationem hanc pertinere ad modum compoſitionis, adhuc non expedit impertiri hujuſmodi compoſitionem, ut præcludatur omnino via prædicta ad furta, & injuſtitias.

Qu. I. Quid ſit aliena bona ſibi uſurpare *ex confidentia* compoſitionis hujuſmodi? 426

℞. Eſt, bona aliena ſibi uſurpare ſub ſpe, ſe poſtea componendi; ita ut prava confidentia, quæ hujuſmodi compoſitionem impedit, debet eſſe antecedens, & poſitiva, atque adeo influere in lucrum injuſtum, ut ejuſdem cauſa; ſeu talis, ut homo moveatur ad lucrum illicitum ex eo, quod ſperet illud mediante compoſitione.

Non removet autem ab hujuſmodi beneficio Cruciatæ confidentia ſubſequens, quæ datur in eo, qui prius ſe determinet ad injuſta lucra, & poſtea fiduciam concipiat ſe liberandi a reſtitutione beneficio compoſitionis; ita ut ſpes compoſitionis inveniat voluntatem furandi, ſeu injuſte aliena bona ſibi uſurpandi, non autem voluntatem moveat ad furandum, ſeu ad prædicta bona ſibi uſurpandum.

Nec quidem impedit fiducia concomitans voluntatem prædictam, quæ quippe datur in eo, qui illicite acquirens bona aliena, non excitetur ad injuſtam acceptionem ſpe compoſitionis, ſed ex alio motivo, licet tunc actu cogitet de compoſitione ipſa. Profecto hujuſmodi fiducia nullum habet influxum ad lucrum injuſtum; ut ſic enim non comparabitur ut cauſa, ſed mere per accidens ſe habebit ad actionem injuſtam; ita communiter Auctores de hac re diſputantes. Vid. Bardi *par. 3. tr. 5. diſſert. 1. cap. 2. ſect. 2. n. 21.* Em. Rodriqu. *in hanc Bull. nu. 75.* Tambur. *hic §. 7. n. 3.* Enriqu. *in ſum.*

lib.

lib. 7. c. 34. n. 3. Dian. *edit. coord. to. 4. tr. 3. R. 175. §. 3.*

427 Qu. II. An ſit confidentia prava antecedens & poſitiva, ſi quis quid furetur ab aliquo ſperans fore, ut illum quem nunc cognoſcit, ſit fluxu temporis ignoraturus; atque adeo ubi hujuſmodi tempus advenerit, fore ut poſſit ſe componere ſuper hoc furto, tamquam ſuper debito ignoti Domini: quæ ignorantia in primis exigitur, ad fruendum beneficio compoſitionis hujuſmodi ſecundum dicta §. præc.?

℞. Eſſe utique in dicto caſu confidentiam pravam a compoſitionis beneficio removentem, putat cum Mendo Tambur. §. 7. n. 3. fine.

428 Qu. III. Utrum alienorum bonorum retentio, ſeu reſtitutionis longa dilatio ex prava confidentia compoſitionis hujuſmodi, etiam compoſitionis beneficio privet, quemadmodum uſurpatio?

℞. Negant Auctores infra laudandi, docentes, ſine prava confidentia aliena bona uſurpantem, ut ex eadem confidentia culpabiliter omittentem reſtitutionem prædictorum bonorum, per diuturnum tempus retinendo injuſte bona illa, peccare quidem mortaliter; quia unuſquiſque obligatur ſtatim reſtituere, dum poteſt; nihilominus poſſe componere ſe; ita ut ſi deinde expediet legitime compoſitionem, compoſitio valebit; quia, dicunt, Pontifex excludit tantummodo confidentiam in uſurpatione, ſeu acceptione injuſta, non item in retentione; & licet habeant eamdem ſpecie malitiam: attamen receptio non eſt formaliter retentio: ideoque excluſio a compoſitionis hujuſmodi beneficio non eſt extendenda ad retentionem; ita Bardi *nu.* 22. Diana *Ar.* 175. §. 3. Henriquez *cit. nu.* 3. & Tambur. *n.* 4. qui ſequ. n. 5. animadvertit, quod ſi tamen hæres ſpe hujus compoſitionis retineat legata, de quibus mentionem fecimus §. 1. initio; non poteſt uti compoſitione; quia hoc in hærede non eſt ſolum retinere, ſed in radice eſt, furari. Idem dicendum de ſimilibus.

Qu. IV. Ex dictis §. hujus initio aliena bona uſurpata in confidentiam compoſitionis hujuſmodi reſtituenda ſunt non quidem pauperibus, vel locis piis, ut per ſe deberent; ſi quis enim ex delicto habeat bona incerta, debet reſtituere Locis ſacris, vel pauperibus ex jure communi, communique Doctorum conſenſu; ac recepta conſuetudine. Vide La-Croix *lib. 3. par. 2. qu. §. 3 num.* 94. ſed ex ſpeciali præcepto Pontificii Delegati, ſeu Commiſſarii Generalis Cruciatæ aliena bona uſurpata in confidentiam compoſitionis hujuſmodi reſtituenda ſunt in totum, & integra ſunt applicanda in ipſiuſmet beneficium Cruciatæ. Jamvero quæres: utrum invalida ſit reſtitutio in hoc caſu facta pauperibus; aut ſaltem peccetur graviter contra præceptum, ac diſpoſitionem prædictam Commiſſarii Generalis? 429

℞. Peccari graviter, ubi vigeat conſuetudo applicandi in beneficium Cruciatæ, affirmat Ægydius Trullench *lib. 2. dub. 2. n. 19.* quem ſequuntur Salmantic. *in append. tr. 6. de Bull. Cruc. c. 7. pu. 2. n. 11.* prope finem, fit enim, inquit Trullench, contra præceptum datum a Commiſſario in re gravi. At vero Bardi *diſſert. 2. ſect. 1. nu. 7.* cui adhærere videtur Tambur. *nu.* 8. circa hanc Ægydii ſententiam difficultatem habet, quia

in Bulla non eſt verbum inducens obligationem ſub mortali, ex una parte; & ex alia parte mutare unum opus pium in aliud item pium, & cæteroqui etiam conforme ipſi juri communi, non eſt materia gravis, ſaltem ut plurimum.

Conveniunt autem Trullench, Salmantic. & Bardi in affirmando: applicationem factam pauperibus tenere, & eſſe validam, ex eo quod Commiſſarius illam non irritet. Inter quos pauperes Tambur. *num.* 7. Marc. Serius *in Bull. Cruc. diſp.* 3. *diffic.* 1. *qu.* 7. *n.* 4. Mendo, aliique adſcribunt Purgatorii Animas, utpote quæ maxime indigent, Miſſis nimirum, & ſuffragiis; Monaſteria quoque, & ipſos etiam Religioſos in particulari adſcribunt laudati Mendo, Tambur. hi enim ſunt vere pauperes voto paupertatis adſtricti, ſi illud rite ſervaverint; illa ſunt loca pia, quæ ſub pauperum nomine ſemper intelliguntur in hac, ſimiliq. materia, ut idem Tambur. teſtatur. *in Decal. lib.* 8. *tr.* 4. *c.* 1. §. 3. n. 20.

SUBSECTIO II.

De Requiſitis communibus Bullæ Compoſitionis.

BULLA Compoſitionis præter nonnulla requiſita ſua propria hactenus explicata, habet & alia, quæ ſunt communia Bullæ Cruciatæ communi vivorum, quæque explicavimus art. 1. ſect. 2. Hujuſmodi autem requiſita comunia oportet hic tangere, & huic Bullæ Compoſitionis applicare, nonnullas quæſtiones hujus Bullæ proprias agitando: præſtabimus autem § §. IV.

§. I. *De locis, in quibus frui quis poteſt privilegio Bullæ Compoſitionis.*

§. II. *De iis, qui poſſunt Compoſitionis Bullam accipere, ejuſque privilegio frui.*

§. III. *De eleemoſyna largienda pro Compoſitione facienda ex beneficio Cruciatæ.*

§. IV. *De receptione Summarii Bullæ Compoſitionis.*

§. I.

De locis, in quibus frui quis poteſt privilegio Bullæ Compoſit.

EA, quæ dicta ſunt art. 1. ſect. 2. ſubſ. 1. quo ad loca, in quibus frui quis poteſt privilegio Cruciatæ per Bullam communem vivorum, intelligantur etiam procedere pro Bulla Compoſitionis, quæ eſt pars Bullæ Cruciatæ, quemadmodum prædicta Bulla communis. Hic autem ſpecialiter 430

431 Qu. Utrum, ſi quis Bulla Compoſitionis accepta in Sicilia e. g. poſtea recedat ex Sicilia ad alia Regna, e. g. in Italiam, ubi non eſt hæc Bulla, & facta diligentia morali, modo ſupradicto, tempore, quo durat Bulla, ubi eam accepit; poſſit Compoſitionem facere de debitis incertis modo in præcedentibus explicato?

℞. Hujuſmodi quæſtionem proponit Marcus Serius *in Bull. Cruc. diſp.* 3. *diffic.* 1. *qu.* 5. *n.* 4. & ad illam affirmative ſibi videtur reſpondendum: quia, inquit, Bulla eſt privilegium perſonale, quamvis conceſſum intuitu Regionis Hyſpaniæ, & aliarum, & in gratiam Regis Catholici: privilegium autem perſonale ſequitur perſonam, ubicumque fuerit: niſi con-

contrarium diſponatur: ut in Bulla communi, ubi conceditur accipienti, poſſe frui omnibus Bullæ privilegiis extra Regna, præter illud comedendi ova, & lacticinia tempore Quadrageſimæ, ut ſuo loco explicavimus. Secundò patet etiam, quia conceſſio indefinita procedens ab habente univerſalem poteſtatem, univerſalis eſt, ſi ab ipſo concedente non limitetur, vel determinetur ad aliquod particulare; ſed poteſtas Papæ univerſalis eſt ad concedendum hoc privilegium pro omni loco; ergo ſi abſolute non limitat locum expreſſe, neque ex circumſtantia; certe tale privilegium univerſale eſt ex parte locorum; nam Summus Pontifex in Bulla latina concedit facultatem non pro hoc, vel illo loco, ſed abſolute Commiſſario Generali Cruciatæ, ut poſſit compoſitionem facere ſuper male ablatis, & certis Legatis, data aliqua eleemoſyna ad arbitrium ipſius Commiſſarii in belli ſancti ſubſidium: cui facultati innixus ipſe Commiſſarius, Bullam compoſitionis ordinavit, aſſignatis caſibus, in quibus dicta compoſitio locum habeat, nulla facta locorum mentione. Maneat igitur dicendum: licet requiratur ut conditio, quod illam recipiens extet in illis Regnis, quibus ipſa conceditur: non tamen præſcribitur, ut permaneat in iiſdem Regnis, ſi talis compoſitionis privilegio frui velit; igitur recedenti ex Sicilia prodeſt hæc Bulla. Ita argumentatur Serius.

Verum circa hujuſmodi aſſertionem poſſet quis difficultatem habere ex eo, quod manifeſte concedat, diligentiam requiſitam pro inveniendo Domino, poſſe a debitore fieri poſt acceptionem Bullæ. At contra videtur eſſe faciendum: nimirum videtur diligentia prædicta debere acceptionem Bullæ præcedere, ſi ſpectentur verba Commiſſarii Generalis in Summario vulgari; in eo enim Commiſſarius teſtatur, ſe facultatem habere, componendi debita, *De' quali il proprio, e legitimo Padrone (fatta la dovuna diligenza) non coſta*. Et clarius iterum inferius ſic legitur... *non coſtando de' Padroni a' quali far ſi dovrebbe la legittima reſtituzione: previa però la dovuta diligenza*. Ergo quando quis accipit Bullam compoſitionis in Regno, ubi hæc promulgatur, jam ſupponitur feciſſe diligentiam pro inveniendo Domino. Ex alia parte vero diligentia prædicta præmiſſa, & deinde Bulla accepta in Regno privilegiato ſtatim datur totus, & integer effectus Bullæ hujus, ut videbimus §. 4. n. 443. Ergo extra Regnum privilegiatum non datur caſus quod quis gaudere poſſit beneficio Bullæ compoſitionis.

Ad hæc autem reſpondere poſſet: diligentiam requiſitam pro inveniendo Domino, non eſſe neceſſario præmittendam acceptioni Bullæ, licet per ſe ita expediat fieri; ad valorem itaque compoſitionis ſufficere, ſi diligentia ſubſequatur; effectum vero Bullæ ſuſpendi uſque dum peracta fuerit debita diligentia prædicta, ſive in ipſo loco privilegiato, ſive extra. Porro requiſita neceſſaria pro conceſſione Beneficii hujus plura ſunt, nec ſimul poni poſſunt, ſed ſucceſſive; nec eſt unde dicatur, ponenda omnino cum aliquo certo ordine; multo minus dici poteſt, diligentiam pro inveniendo Domino ponendam omnino eſſe in ipſo loco, in quo accipitur Bulla; ſi enim res uſurpata fuerit in altero loco longe di-

diſtanti, ibique probabiliter judicetur, inveniri poſſe Dominum rei, non videtur poſſe fieri requiſita debita moralis diligentia pro dicto Domino inveniendo, niſi in illo altero loco longe diſtanti. Poterit ergo quis accipere Bullam compoſitionis, & deinde pergere ad locum, etiam in quo non promulgatur Bulla, ibique diligenter inquirere de Domino incerto debiti ſui; eoque ibi non invento poſt factam moralem diligentiam intra annum promulgationis Bullæ factæ in illo loco, in quo illam accepit, poteſt debitum retinere virtute Bullæ Compoſitionis.

Verba autem allegata in contrarium, quæ leguntur in Summario vulgari, dici poſſunt, ſignificare: effectum Bullæ Compoſitionis non conſequi, niſi prius fiat moralis diligentia, pro inveniendo Domino incerto debiti; ita ut antequam fiat hujuſmodi diligentia, maneat debitor cum eadem obbligatione reſtituendi totum, & integrum debitum, qua ligabatur ante acceptionem Bullæ; quod verum eſt, & non negatur hic; ſed nihil obſtat aſſertioni præſenti; quemadmodum etiam facta diligentia pro inveniendo Domino, eoque non invento, & data eleemoſina pro Bulla accipienda, & compoſitione facienda, non datur effectus Bullæ, niſi prius Bulla accipiatur, ut §. 4. dicetur; atque adeo effectus Bullæ ſuſpenditur uſque dum hoc etiam neceſſarium requiſitum poſitum fuerit.

Ex his equidem puto, ſatis probabilem ſententiam Marci Serii; nihilominus tutius erit, ſi ſemper diligentia prædicta acceptionem Bullæ præcedat, quemadmodum ſtatuimus ſubſ. præced. §. 3. qu. 5.

Stando itaque in ſententia Marci Serii dicenda eſſet valida compoſitio per Bullam in ſequenti, & ſimili caſu. Titius habens dubitum incerti Domini ex Gallia, v. g. in qua Bulla non promulgatur, venit in Siciliam, ubi intelligens, quod poterat ſe liberare ab obligatione reſtituendi integrum illud debitum, ſi facta morali diligentia pro illius Domino inveniendo, eoque non invento, Bullam compoſitionis acciperet: decrevit hæc requiſita præſtare; ſed quia debitam moralem diligentiam pro Domino inveniendo præmittere acceptioni Bullæ non poterat, in Galliam mox reverſurus; ideo Bullam compoſitionis accepit in Sicilia, animo faciendi diligentiam requiſitam pro Domino debiti inveniendo, reverſus in Galliam; ubi prædicta diligentia facta, Dominoque rei non reperto, debitum retinuit integrum, tamquam ex privilegio, & virtute Bullæ compoſitionis. In hujuſmodi, inquam, caſu, dicenda eſſet valida compoſitio juxta ſententiam Auctoris laudati. Nota tamen quod ubicumque locorum te componas, non valet Bulla Compoſitionis pro debitis factis poſt illius acceptionem, ut ſupra dictum eſt.

§. II.

De iis, qui poſſunt compoſitionis Bullam accipere, ejuſque privilegio frui.

BULLAM compoſitionis accipere utiliter poſſunt omnes illi, qui ſumere poſſunt Bullam Cruciatæ communem, ſeu vivorum. Bardi *par.* 3. *tr.* 5. *diſſert.* 1. *c.* 2. *n.* 17. Tambur. *in hanc Bull. initio*; & ſignificant Rodriqu. n. 12. Henriqu. *in ſum. lib.* 431

7. c.

7. c. 34. n. 3. & alii. De iis autem, qui in Regnis, ubi publicatur Bulla Cruciatæ, poſſint, vel non, illam accipere, egimus art. 1. ſect. 2. ſubſ. 2.

433 Qu. I. An ergo etiam Religioſi poſſint utiliter compoſitionis Bullam accipere?

℟. Affirmat Caſtropalaus, quem citat, & ſequitur Tambur. in hanc Bullam initio.

434 Qu. II. Utrum Catechumeni, ſeu fideles nondum baptizati poſſint frui beneficio compoſitionis per Bullam?

℟. Negant Bardi *par.* 1. *tr.* 2. *c.* 4. *ſect.* 1. §. 3. & *par.* 3. *tr.* 5. *diſſert.* 1. *c.* 2. *ſect.* 2. *n.* 16. Tambur. *in Bull. Cruc.* c. 3. §. 1. *n.* 8. & 9. & alii contra Henriq. *in ſum. lib.* 7. c. 20. *n.* 8. & Salmantic. *in append. tr.* 6. *de Bull. Cruc.* c. 1. *pu.* 7. *n.* 75.

435 Qu. III. An Catechumeni poſſint ſe componere per recurſum immediatum ad Commiſſarium Generalem?

℟. Negat Bardi cit. §. 3. n. 24. Affirmat Henriqu. c. 34. n. 3.

436 Qu. IV. An Bulla Compoſitionis proſit Fidelibus Defunctis; ita ut, ſi aliquis Defunctus debita incerta reliquit: poſſit pro hujuſmodi illius debitis Bulla Compoſitionis accipi ipſius defuncti nomine ab aliquo vivente, ejuſdem conjuncto vel amico?

℟. Si defunctus mandaverit ante mortem ſuo hæredi, vel alteri, ut ſumeret compoſitionis Bullam, vel ut faceret Compoſitionem cum Commiſſario nomine ipſius; utilis ei Bulla, ſeu compoſitio erit. Id, quod rite fieri ſolet, quando, dum quis eſt morti proximus dubitat, an aliquid ex male ablatis habeat? unde mandat hæredi, ut habita conſultatione cum Theologis, ſi ipſe debeat, hæres ſumat pro eo Bullam, ſeu Bullas compoſitionis, aut cum Commiſſario nomine ſuo compoſitionem faciat, ſi oportuerit. Quod ſi tamen is nihil hujuſmodi mandaverit, utilis ei Bulla non erit, quia Bulla accipi debet nomine, & mandato illius, cui ea profutura eſt: ut non poteſt fieri nomine defuncti, id, quod defunctus, dum viveret, minime mandavit. Ita Tambur. §. 7. *n.* 6. Diana *edit. coord. to.* 4. *tr.* 3. *R.* 175. §. 2. Serius *in Bull. Cruc. diſp.* 3. *difficul.* 1. *qu.* 5. *n.* 2. Henriqu. *in ſum. lib.* 7. *c.* 34. *n.* 3. Trull. Eſcob. & alii.

Qu. V. An poſſit ſe componere hæres ſuper illis bonis defuncti, quæ cum hæreditate ei advenerunt: quæque ipſi conſtat eſſe aliena, dominumque inveniri non poſſe? 437

℟. Poterit hæres hujus defuncti frui compoſitione, ſi adhuc maneat illa incertitudo de vero Domino, & non ſit ſpes, ut compareat poſt adhibitam requiſitam inveſtigationem. Ratio eſt, quia ex una parte, poſt acceptam hæreditatem debita illa effecta ſunt propria ipſius hæredis; & ex alia parte, ad hæredem proveniunt bona defuncti iiſdem qualitatibus affecta, quibus apud defunctum inveniebantur; ergo in dicto caſu poterit hæres ſeſe componere ſive per Bullas, ſive per recurſum ad Commiſſarium. Tambur. §. 4. *n.* 13. & §. 7. *n.* 6. *fine*. Bardi *par.* 3. *tr.* 5. *diſſert.* 2. *c.* 5. *ſect.* 3. *n.* 14. Serius *cit. n.* 2.

Animadvertendum vero hic eſt: quod facta diſpoſitione, per quam defunctus ad ſuam exonerandam conſcientiam pro debitis incertis, aliqua fecit legata loco pio determinato, aut pauperibus ſignatis; non poteſt, abſolute loquendo, ſuper iſtis legatis hæres ſe componere: quia ſequuta morte teſtatoris, locus pius, aut pau-

pauperes illi acquiſierunt jus; cui quidem juri noluit Pontifex præjudicare; atque adeo ſuper his legatis compoſitionem non conceſſit. Bardi n. 15. Serius n. 2. fine. Dictum eſt: *abſolute loquendo:* nam ſi Legatarius per annum negligens fuerit, ad legatum hujuſmodi petendum: poterit hæres compoſitionis privilegio frui ſuper medietate prædictorum legatorum: ut dictum eſt ſubſ. 1. §. 3. n. 415. quod notavit etiam cum Cardinali de Lugo Bardi loc. cit. Excipe etiam ab hac facultate hæredem, ſi forte ſit alienigena, & non moretur in loco, cui conceſſum ſit privilegium Bullæ Cruciatæ: patet ex dictis.

§. III.

De Eleemoſyna largienda pro compoſitione facienda & beneficio Cruciatæ.

438 ELEEMOSYNÆ erogatio in ſubſidium Cruciatæ eſt unum ex requiſitis neceſſariis, quæ Bulla Compoſitionis habet communia cum communi Bulla vivorum. Quæ etiam eleemoſynæ largitio exigitur pro compoſitione facienda per recurſum immediatum ad ipſum Commiſſarium Generalem.

Quæſtiones, quæ ſuper hujuſmodi eleemoſyna poſſent moveri reſolutæ, manent art. 1. ſect. 2. ſubſ. 3. Hic autem ſpecialiter.

439 Qu. I. Quantum decreverit erogandum Commiſſarius pro ſingulis Bullis Compoſitionis?

℞. Decrevit eamdem quantitatem, quam pro Bulla communi vivorum, pro qua, ut diximus cit. ſubſ. 3. qu. 1. interrog. 1. n. 314. fuit in Regnis Hyſpaniarum, & in reliquis, qui in Europa exiſtunt, taxata quoad communes perſonas ſumma duorum Realium, quæ in noſtro Regno Siciliæ ſunt duo Tareni, & grana duodecim cum dimidio, ut declaratur in ipſo Bullæ Summario italico.

Interrog. An perſonæ qualificatæ, ſeu in dignitate conſtitutæ debeant erogare pro Bulla Compoſitionis majorem quantitatem eleemoſynæ, quemadmodum ipſas pro Bulla communi debere diximus cit.? 440

℞. Negative: quia in taxatione Commiſſarius nullam diverſitatem quoad quantitatem ponit: ut obſervat Bardi *par. 3. tr. 5. diſſert. 1. c. 3. ſect. 1. n. 3.* Tambur. *§. 6. n. 1. fine*.

Qu. II. Quænam eleemoſynæ quantitas ſit eroganda, ſi compoſitio fiat per recurſum immediatum ad Commiſſarium Generalem? 441

℞. Non eſſe unam pro omnibus definitam, ſed in ſingulis caſibus occurrentibus juxta perſonarum qualitatem, & quantitatem debitorum a Commiſſario deſignatur. Cæterum pro ſingulis Centenariis ſolent exigi decem, quæ a debitore erogentur in ſubſidium Cruciatæ, ut dicit Henriq. *in ſum. lib. 7. c. 33. n. 1.* & poſt eum Bardi *c. 3. ſect. 1. n. 5. fine.* Tambur. *§. 6. n. 2. &* Trullench.

Animadvertendum hic eſt: quod in Bulla originali latina, quoad hanc rem facientia hæc leguntur: *Datur facultas eidem Commiſſario componendi cum iis, qui ad reſtitutionem fructuum ex omiſſione horarum canonicarum tenentur; ita ut quantitas compoſitionis pro medietate Eccleſiis, vel aliis locis, quarum, vel quorum ratione horas prædictas recitare debent, & pro altera medietate in ſubventionem hujus negotii detur.* In Summario autem vulgari ſic eadem explicantur: *Si però*

com-

comporre ſopra i frutti de' Beneficii, e rendite Eccleſiaſtiche mal percette, ed avute per difetto di non aver recitate l'ore canoniche; ben inteſo però, che oltre li tarì due grana dodeci, & picc. tre, che devono darſi d'elemoſina per la compoſizione di detti tarì ſettantaſette, e grana quattro, abbia ancora da dare colui, che così ſi componeſſe, altri tarì due, grana dodeci; e piccioli tre de' frutti del ſuo beneficio per la fabrica di quella Chieſa, dove tal beneficio foſſe eretto; e queſta medeſima maniera ſi oſſerverà ſopra qualſivoglia altro, che ſi aveſſe a comporre per l'ordine ſopradetto, e dichiarato.

Horum autem omnium ſenſus eſt: quod ſi compoſitio per Bullam fiat a Beneficiatis, ſeu Penſionariis ſuper fructibus, & aliis eccleſiaſticis redditibus male perceptis, ut explicatum eſt ſubſ. 1. §. 3. n. 415. tunc qui hujuſmodi ſunt, volentes ſeſe componere, ultra duos Reales erogandos pro una Bulla, debent dare alios duos Reales Eccleſiæ, ſeu loco, in quo eſt ſuum ipſorum beneficium, pro quo compoſitio expeditur: & ſic pro aliis ſingulis Bullis, quibus Beneficiarii prædicti indigebunt; unde ſi duabus indigebunt Bullis, ſolvere debent octo Realia, videlicet quatuor pro duabus Bullis, & alia quatuor pro Eccleſia, ſeu loco prædicto; & ſic eſt procedendum, ſi Bullæ multiplicentur, uſque ad illam quantitatem admiſſam ad compoſitionem per Bullas, juxta prædicta, & explicata ſubſ. 1. §. 2.

Quod ſi compoſitio fiat per recurſum immediatum ad Commiſſarium Generalem, tunc ſumma compoſitionis debet dividi, cujus pars media detur in ſubſidium Belli, ſeu Cruciatæ; & altera tribuenda eſt pari modo Eccleſiæ, uti eſt Beneficium. Tambur. §. 4. *n.* 2. Henriqu. *in ſum. lib.* 7. *c.* 35. *n.* 1. *fine*. Bardi *diſſert.* 2. *c.* 3. n. 1. & Rodriqu. *n.* 13. qui etiam *n.* 14. aſſignat congruentiam diſputationis hujuſmodi.

§. IV.

De Receptione Summarii Bullæ Compoſitionis.

Omnes, & ſinguli volentes ſe componere ex Beneficio Cruciatæ, debent Summarium Bullæ Compoſitionis accipere: ſic enim Pontifex in Bulla Cruciatæ originali ait: Et conſtat etiam ex ipſo Summario vulgari Bullæ compoſitionis, ubi ſic loquitur Commiſſarius Generalis: *E per quanto voi N. N. daſte tarì due, grana dodici, e piccioli tre ec. rimanete libero ec., e preciſamente comandiamo, che riceviate in voi queſta Bolla, ſcritto il voſtro nome in eſſa, perchè così l'ordina, e commanda la Santità Sua, e che altrimente non godiate della compoſitione, che in virtù della medeſima vi ſi concede, la quale comandiamo darſi ſtampata, e firmata col noſtro nome, e ſuggillata col noſtro conſueto ſugello.* 442

Ea autem, quæ de receptione Bullæ communis, ſeu vivorum loquentes diximus artic. 1. ſect. 2. ſubſ. 4. applicentur Bullæ huic compoſitionis. Videantur itaque ibi dicta, ne eadem hic inutiliter repetamus.

Notandum vero eſt hic 1. quod etſi de Bulla communi loquentes diximus l. cit. qu. 8. cum communi Doctorum: non eſſe omnino neceſſariam ſcriptionem nominis in illa accipientis eamdem, quamvis id expediret; Nihilominus hujuſmodi inſcri- 443

pauperes illi acquiſierunt jus; cui quidem juri noluit Pontifex præjudicare; atque adeo ſuper his legatis compoſitionem non conceſſit. Bardi n. 15. Serius n. 2. fine. Dictum eſt: *abſolute loquendo:* nam ſi Legatarius per annum negligens fuerit, ad legatum hujuſmodi petendum: poterit hæres compoſitionis privilegio frui ſuper medietate prædictorum legatorum: ut dictum eſt ſubſ. 1. §. 3. n. 415. quod notavit etiam cum Cardinali de Lugo Bardi loc. cit. Excipe etiam ab hac facultate hæredem, ſi forte ſit alienigena, & non moretur in loco, cui conceſſum ſit privilegium Bullæ Cruciatæ: patet ex dictis.

§. III.

De Eleemoſyna largienda pro compoſitione facienda & beneficio Cruciatæ.

438 ELEEMOSYNÆ erogatio in ſubſidium Cruciatæ eſt unum ex requiſitis neceſſariis, quæ Bulla Compoſitionis habet communia cum communi Bulla vivorum. Quæ etiam eleemoſynæ largitio exigitur pro compoſitione facienda per recurſum immediatum ad ipſum Commiſſarium Generalem.

Quæſtiones, quæ ſuper hujuſmodi eleemoſyna poſſent moveri reſolutæ, manent art. 1. ſect. 2. ſubſ. 3. Hic autem ſpecialiter.

439 Qu. I. Quantum decreverit erogandum Commiſſarius pro ſingulis Bullis Compoſitionis?

℞. Decrevit eamdem quantitatem, quam pro Bulla communi vivorum, pro qua, ut diximus cit. ſubſ. 3. qu. 1. interrog. 1. n. 314. fuit in Regnis Hyſpaniarum, & in reliquis, qui in Europa exiſtunt, taxata quoad communes perſonas ſumma duorum Realium, quæ in noſtro Regno Siciliæ ſunt duo Tareni, & grana duodecim cum dimidio, ut declaratur in ipſo Bullæ Summario italico.

Interrog. An perſonæ qualificatæ, ſeu in dignitate conſtitutæ debeant erogare pro Bulla Compoſitionis majorem quantitatem eleemoſynæ, quemadmodum ipſas pro Bulla communi debere diximus cit.? 440

℞. Negative: quia in taxatione Commiſſarius nullam diverſitatem quoad quantitatem ponit: ut obſervat Bardi *par.* 3. *tr.* 5. *diſſert.* 1. *c.* 3. *ſect.* 1. *n.* 3. Tambur. §. 6. *n.* 1. *fine*.

Qu. II. Quænam eleemoſynæ quantitas ſit eroganda, ſi compoſitio fiat per recurſum immediatum ad Commiſſarium Generalem? 441

℞. Non eſſe unam pro omnibus definitam, ſed in ſingulis caſibus occurrentibus juxta perſonarum qualitatem, & quantitatem debitorum a Commiſſario deſignatur. Cæterum pro ſingulis Centenariis ſolent exigi decem, quæ a debitore erogentur in ſubſidium Cruciatæ, ut dicit Henriq. *in ſum. lib.* 7. *c.* 33. *n.* 1. & poſt eum Bardi *c.* 3. *ſect.* 1. *n.* 5. *fine*. Tambur §. 6. *n.* 2. & Trullench.

Animadvertendum hic eſt: quod in Bulla originali latina, quoad hanc rem facientia hæc legantur: *Datur facultas eidem Commiſſario componendi cum iis, qui ad reſtitutionem fructuum ex omiſſione horarum canonicarum tenentur; ita ut quantitas compoſitionis pro medietate Eccleſiis, vel aliis locis, quarum, vel quorum ratione horas prædictas recitare debent, & pro altera medietate in ſubventionem hujus negotii detur.* In Summario autem vulgari ſic eadem explicantur: *Si può com-*

comporre ſopra i frutti de' Beneficii, e rendite Eccleſiaſtiche mal percette, ed avute per difetto di non aver recitate l'ore canoniche; ben inteſo però, che oltre li tarì due grana dodeci, & picc. tre, che devono darſi d'elemoſina per la compoſizione di detti tarì ſettantaſette, e grana quattro, abbia ancora da dare colui, che così ſi componeſſe, altri tarì due, grana dodeci, e piccioli tre de' frutti del ſuo beneficio per la fabrica di quella Chieſa, dove tal beneficio foſſe eretto; e queſta medeſima maniera ſi oſſerverà ſopra qualſivoglia altro, che ſi aveſſe a comporre per l'ordine ſopradetto, e dichiarato.

Horum autem omnium ſenſus eſt: quod ſi compoſitio per Bullam fiat a Beneficiatis, ſeu Penſionariis ſuper fructibus, & aliis eccleſiaſticis redditibus male perceptis, ut explicatum eſt ſubſ. 1. §. 3. n. 415. tunc qui hujuſmodi ſunt, volentes ſeſe componere, ultra duos Reales erogandos pro una Bulla, debent dare alios duos Reales Eccleſiæ, ſeu loco, in quo eſt ſuum ipſorum beneficium, pro quo compoſitio expeditur: & ſic pro aliis ſingulis Bullis, quibus Beneficiarii prædicti indigebunt; unde ſi duabus indigebunt Bullis, ſolvere debent octo Realia, videlicet quatuor pro duabus Bullis, & alia quatuor pro Eccleſia, ſeu loco prædicto; & ſic eſt procedendum, ſi Bullæ multiplicentur, uſque ad illam quantitatem admiſſam ad compoſitionem per Bullas, juxta prædicta, & explicata ſubſ. 1. §. 2.

Quod ſi compoſitio fiat per recurſum immediatum ad Commiſſarium Generalem, tunc ſumma compoſitionis debet dividi, cujus pars media detur in ſubſidium Belli, ſeu Cruciatæ; & altera tribuenda eſt pari modo Eccleſiæ, uti eſt Beneficium. Tambur. §. 4. *n.* 2. Henriqu. *in ſum. lib.* 7. *c.* 35. *n.* 1. *fine*. Bardi *diſſert.* 2. *c.* 3. n. 1. & Rodriqu. *n.* 13. qui etiam *n.* 14. aſſignat congruentiam diſputationis hujuſmodi.

§. IV.

De Receptione Summarii Bullæ Compoſitionis.

OMNES, & ſinguli volentes ſe componere ex Beneficio Cruciatæ, debent Summarium Bullæ Compoſitionis accipere: ſic enim Pontifex in Bulla Cruciatæ originali ait: Et conſtat etiam ex ipſo Summario vulgari Bullæ compoſitionis, ubi ſic loquitur Commiſſarius Generalis: *E per quanto voi N. N. daſte tarì due, grana dodici, e piccioli tre ec. rimanete libero ec., e preciſamente comandiamo, che* riceviate *in voi queſta Bolla, ſcritto il voſtro nome in eſſa, perchè così l'ordina, e commanda la Santità Sua, e che altrimente non godiate della compoſitione, che in virtù della medeſima vi ſi concede, la quale comandiamo darſi ſtampata, e firmata col noſtro nome, e ſuggillata col noſtro conſueto ſugello.* 442

Ea autem, quæ de receptione Bullæ communis, ſeu vivorum loquentes diximus artic. 1. ſect. 2. ſubſ. 4. applicentur Bullæ huic compoſitionis. Videantur itaque ibi dicta, ne eadem hic inutiliter repetamus.

Notandum vero eſt hic 1. quod etſi de Bulla communi loquentes diximus l. cit. qu. 8. cum communi Doctorum: non eſſe omnino neceſſariam ſcriptionem nominis in illa accipientis eamdem, quamvis id expediret; Nihilominus hujuſmodi in- 443

ſcriptio nominis in Bulla Compoſitionis neceſſaria omnino eſt, ut docet Tambur. *in Bull. Cruc. c. 15. §. 5. n. 5.* idque, dicit, apparere clare in ipſa Bulla compoſitionis verbis ſupra recitatis; idemque notant Salmantic. *in append. tr. 6. de Bull. Cruc. c. 7. pu. 2. n. 10. fine.*

Notandum 2. e contra eſt: quod, etſi de Bulla communi loquentes docuerimus: eſſe requiſitum neceſſarium pro valido illius uſu, illam retinere, ſeu conſervare: tamen ſatis probabile ſit, illud non exigi pro uſu valido Bullæ compoſitionis; & ita tenent Bardi *cit. ſect. 2. n.* 20. Salmantic. *l. cit.* ac Tambur. *cit. c. 15. §. 5. a. n. 1. & c. 18. §. 7. n.* 2. idque probant ex eo, quia in Bulla compoſitionis talis conditio, ſeu tale requiſitum non apponitur, quemadmodum apponitur in Bulla communi vivorum. Congruentiam vero hujus diſpoſitionis iidem laudati Auctores aſſignant, diſparitatemque demonſtrant militantem pro Bulla compoſitionis. Obſervant itaque, Bullam vivorum, ſeu communem habere tractum ſucceſſivum in ſuis privilegiis: continet enim multa, quorum uſus non eſt ſimul neceſſarius; nam poteſt, durante anno promulgationis contingere occaſio utendi Bulla in ordine ad aliquod determinatum privilegium, & non in ordine ad aliud, & poſtea in ordine ad hoc, & non ad illud aliud privilegium, & ſic de omnibus, ut patet ex explicatione privilegiorum illius Bullæ. At Bulla compoſitionis non habet in ſuis privilegiis uſum, ſeu tractum ſucceſſivum, ſed momentaneum, quia dum accipitur Bulla iſta, ſtatim cauſat ſuum effectum: quo cauſato, eadem Bulla ad nihil aliud erit proficua; proinde ſi quis etiam durante anno, neceſſitatem habet ſe componendi, vel in alio caſu, vel in eodem, ſed quoad majorem ſummam, oportet aliam ſumere Bullam, inutiliſque erit prior Bulla: & ſic reſpectu Bullæ compoſitionis ceſſat ille finis, nempe ut unuſquiſque Bullam capiens poſſit ſcire in ordine ad quos effectus ea uti poſſit: & ſimiliter valeat rationem redd re in foro externo exercendo nonnullas actiones, quas ſine Bulla exercere non valeret: contra vero cum effectus hujus Bullæ compoſitionis, qui ſtatim acquiritur, ſit pro foro conſcientiæ, & occultus, non oportet, ut privilegiatus de illo in foro externo rationem reddat; & ideo ſoluta ſtipe, & accepta hac Bulla ſtatim, ut dictum eſt, finis acceptionis habetur, & definit totaliter efficacia Bullæ acceptæ. Hæc Bardi: & conſentit Tambur. *cit. §. 5. n.* 4. Pro eo autem quod hic aſſeritur: Bullam Compoſitionis valere tantum pro foro interno; Videantur dicta ſect. 1. ſubſ. 1. §. 3. qu. 7. in reſponſ. ad ſubjectam interrogat.

Notandum 3. Bullam compoſitionis valere ſolum intra annum promulgationis ejuſdem, quemadmodum de Bulla communi vivorum dictum, & explicatum eſt art. 1. ſect. 2. ſubſ. 6. quoad hoc vero requiſitum, ſeu conditionem, quam hæc Bulla habet cum illa communem, videantur ibi dicta, eique applicentur illa, quæ huic convenire patebit.

S E-

SECTIO II.

De caſibus particularibus, in quibus conceditur Compoſitio.

444 IN Bulla Cruciatæ originali Latina ea, quæ Compoſitionis reſpiciunt beneficium, continentur paucis quibuſdam capitibus generalibus; at vero Commiſſarius Generalis facultate ſibi a Summo Pontifice facta interprettandi, ac declarandi prædictam Bullam; ex prædictis generalibus capitibus, ad majorem declarationem eorum, in Summario illo parvo, quod Bulla compoſitionis nuncupatur, aſſignat decem ſupra novem caſus ſpeciales, ſeu particulares, in quibus ſive per Bullam, ſive per recurſum immediatum ad ſe ipſum Commiſſarium Generalem Cruciatæ, compoſitio fieri poteſt. Ad quorum caſuum particularium majorem intelligentiam, & faciliorem praxim; præter ea, quæ hactenus dicta ſunt, juvat eos ſingillatim examinare, & explicare, quibuſdam quæſtionibus circa ſingulos propoſitis, ac reſolutis. Sit itaque.

SUBSECTIO I.

CASUS I.

445 IN Bulla vulgari ſic legitur: *Primieramente puoſſi comporre per il mal guadagnato, ed avuto, per lo mal preſo, ed acquiſtato per guadagno illecito, ed uſura in qualſivoglia altra maniera, non coſtando de' Padroni, a' quali far ſi dovrebbe la legittima reſtituzione, previa però la dovuta diligenza.*

In Bulla vero originali latina dicitur quod *Commiſſario, & Receptori Generali bujus expeditionis deputato, & conſtituto datur facultas, ut ſuper illicite habitis . . . . . nec non ſuper male ablatis, & per uſurariam pravitatem, aut aliter male acquiſitis, ſi in omnibus præmiſſis caſibus . . . perſonæ, quibus reſtitutio, ſeu ſolutio facienda eſt . . . . non reperiantur, componere valeat, & ita debitores liberari poſſint.*

Illicite habita, ſeu retenta ea ſunt, quæ licet ſine peccato ſive propter bonam fidem, ſive propter contractum juſtum, ſive ob aliud habita olim fuerint, ſuo tamen tempore reſtituta non ſunt.

Male vero ablata illa ſunt, quæ cum peccato, & injuſtitia ſurrepta fuere, nec Domino reddita; ad quod magis explicandum, additum eſt: *Et per uſurariam pravitatem, aut aliter male acquiſitis*: Tambur. hic §. 1. n. 1. Itaque in hoc primo caſu Beneficium conceditur, ſe componendi ſuper lucro illicito proveniente, vel per uſuras, vel per quamcumque aliam negotiationis ſpeciem; ſed nonniſi poſt factam debitam moralem diligentiam ad inveniendum Creditorem; enim vero cum lucrum hujuſmodi ſit injuſtum, ſeu injuſte acquiſitum, ideo remanet in acquirente obligatio ex rigoroſa juſtitia ad lucrum illud reſtituendum ei, a quo illud extorſit; hinc tenentur moralem omnem diligentiam adhibere pro inveniendo Domino, eoque invento, eidem facienda eſt reſtitutio. Si autem, facta diligentia, Dominus non appareat, ſeu minime inveniatur, tunc admittitur debitor ad fruendum Compoſitionis hujuſmodi beneficio. Bardi *diſſert.* 2. *c.* 2. *ſect.* 1. *n.* 2.

SUBSECTIO II.

Casus II.

446 *DI più ſi può comporre ſopra i frutti de' Beneficii, e rendite eccleſiaſtiche mal percette, ed avute per difetto di non avere recitato l'ore Canoniche: ben inteſo però, che oltre li tarì due grana dodici, e picc. tre, che devono darſi di elemoſina per la compoſizione de' detti tarì ſettantaſette, e grana quattro, abbia ancora da dare colui, che così ſi componeſſe, altri tarì due, grana dodici, e picc. tre de' frutti del ſuo Beneficio per la fabrica di quella Chieſa, dove tal Beneficio foſſe eretto; e queſta medeſima maniera ſi oſſerverà ſopra qualſivoglia altro, che ſi aveſſe a comporre per l'ordine ſopradetto, e dichiarato.* Hæc Commiſſarius in Summario vulgari. In Originali autem Bulla latina ſic legitur. *Item etiam datur facultas eidem Commiſſario componendi cum eis, qui ad reſtitutionem fructuum ex omiſſione Horarum Canonicarum tenentur; ita ut quantitas compoſitionis pro medietate Eccleſiis, vel aliis locis, quarum, vel quorum ratione horas prædictas recitare debent, & pro altera medietate in ſubventionem hujus negotii detur.*

Privilegium Compoſitionis virtute Cruciatæ in hoc altero caſu reſpicit ſolum Beneficiarios, & Penſionarios: agitur enim de compoſitione facienda ſuper fructibus eccleſiaſticis, ſeu ex beneficiis, aut aliis eccleſiaſticis redditibus male perceptis, atque adeo reſtitutioni obnoxiis; & quidem 1. ob omiſſionem Horarum Canonicarum, ad quas Beneficiarius tenebatur, aut neglectum officium B. Virginis, ad quod ſimiliter obligabatur Penſionarius. Vel 2. ob malam, ſeu illegitimam ipſorum Beneficiorum adeptionem. Vel denique 3. ob innodationem excomunicationis majoris, aut ob ſuſpenſionem, aut irregularitatem. Eſtque hic notandum: quod etſi in Bulla vulgari Compoſitionis verbis jam recitatis, non fiat mentio explicita in præſenti caſu, niſi de fructibus eccleſiaſticis male perceptis propter omiſſionem culpabilem Horarum Canonicarum: attamen in Bulla, quam explicat Rodriquez, fit quidem explicita mentio tum de mala perceptione fructuum eccleſiaſticorum, ob malam, ſeu illegittimam ipſorum Beneficiorum adeptionem: tum de mala perceptione ob excomunicationem &c., ita n. 13. & 16. In ipſa autem Bulla italica extracta, ut notat Bardi diſſert. 2. c. 3. n. 2. hæc duo implicite continentur in primo caſu ſubſectione prima explicato, & in ultimo caſu inferius ſubſ. ultima declarando, in quo ponitur generalis facultas componendi circa quæcumque Bona habita, & male acquiſita quocumque modo &c. in hac autem clauſula abſque dubio, inquit Bardi, includitur exactio fructum eccleſiaſticorum male acquiſitorum.

Et quod tuto poſſit fieri compoſitio ſuper fructibus eccleſiaſticis male perceptis ob invalidam ipſorum Beneficiorum adeptionem; videri poteſt Bardi *cit. c.* 3. *ſect.* 3. *n.* 32., qui n. 36. cum aliis docet, idem eſſe dicendum de fructibus perceptis ab eo, qui carens Ordine neceſſario ad aliquod beneficium, illudque acquirens, habeat intentionem non recipiendi Ordinem illum tempore debito, atque adeo juxta legem canoni-

cam

cam in *cap. commiſſa* 35. *de elect. in* 6. debeat reſtituere omnes fructus exactos pro toto eo tempore, quo perſtitit in illa intentione non ſumendi Ordinem illum: etiam hunc, docet Bardi cum aliis, ſuper hujusmodi fructibus ideo male perceptis poſſe ſeſe componere. Sed Salmantic. *in append. tr.* 6. *de Bull. Cruc. c.* 7. *pu.* 3. *n.* 23. negant, poſſe hac compoſitione frui recipientem Beneficium curatum abſque intentione aſcendendi ad Sacerdotium intra debitum tempus. Certum autem ſit, virtute Cruciatæ minime validari collationem, ſeu adeptionem Beneficii irritam ab initio. Rodriqu. *n.* 16. Bardi *cit. ſect.* 3. *n.* 30.

Quod item dicuntur Beneficiarii excomunicatione innodati poſſe componi ſuper eccleſiaſticis fructibus ideo male perceptis: hoc procedit ſuppoſita, & admiſſa illorum Doctorum ſententia, qui dicunt: excommunicatum non poſſe fructus retinere, etiamſi legitimo titulo poſſideat Beneficium, & recitet officium. Cæterum valde probabilis eſt aliorum ſententia oppoſita, videlicet non privari fructuum exactione, niſi poſt latam ſententiam; dummodo excommunicatus ſive per ſe, ſive per alium præſtet omnia, quæ ad ſuum officium pertinent. Unde in hac poſteriori ſententia non erit Beneficiario, ſeu Penſionario excommunicato neceſſaria compoſitio, ſaltem ante Judicis ſententiam latam. Verum cum prima opinio ſit tutior, & a gravibus defendatur Auctoribus, conſultum erit ad majorem cautelam, ut Beneficiarius ſeu Penſionarius excommunicatus compoſitionis hujuſmodi ſe adjuvet beneficio. Vid. Bardi *cit. ſect.* 3. *n.* 37. & 38. Ser. *diſp.* 3. *difficult.* 1. *qu.* 7. *n.* 8.

Quandonam, & quid teneatur Beneficiarius reſtituere ob omiſſionem culpabilem Horarum Canonicarum? aut Penſionarius ob neglectum Officium B. Virginis? Videri poteſt Rodriquez num. 14. & 15. Bardi *c.* 3. *ſect.* 1. & 2. Serius *qu.* 7. *n.* 3. & 4.

Pro reſtitutione fructuum eccleſiaſticorum ob beneficium illegitime obtentum. Videri poteſt Bardi eodem c. 3. ſect. 3.

De ſtipendio denique erogando a Beneficiariis, & Penſionariis volentibus ſeſe componere ſuper fructibus prædictis, egimus ſectione præcedenti. ſubſ. 2. §. 3. qu. 2.

Qu. hic I. An Beneficiarius recitans voluntarie diſtractus, ſit reſtitutioni obnoxius, atque adeo ſi velit debitum retinere, cogatur ſe componere? 447

℟. Tutius eſt ſe componere, quia tutior, & communior ſententia obligat Beneficiarium reſtituere in poſito caſu. Vid. Bardi *c.* 3. ſect. 2. *n.* 11. & 12. & ibidem *in Vindic. a n.* 22. Tambur. §. 4. *n.* 10. Ser. *qu.* 7. *n.* 10., & 11.

Qu. II. Utrum in diſtributionibus locum habeat compoſitio, puta quando quis non aſſiſtit Choro, dum debet aſſiſtere, & nihilominus accipiat diſtributiones conſuetas, an valeat ſuper illis componere ſe? 448

℟. Negative, quia creditor eſt certus, nimirum debentur aliis, qui interfuerunt. Vid. Bardi *c.* 3. *ſect.* 2. *n.* 21. & *c.* 4. *n.* 1. Tambur. §. 4. *n.* 3. Rodriqu. n. 16. Henriqu. *in ſum. lib.* 7. *c.* 36. *n.* 3. Ser. *qu.* 7. *n.* 14. & 15. Idem propter eamdem rationem dicunt alii de fructibus cujuslibet Beneficii, quando ex ſpeciali ſtatuto, vel conſuetudine legitima aliis ſint attributi. Vid. Henriqu. *cit.*

cit. n. 3. Tambur. §. 4. *n.* 4. qui ex Mendo affirmat, id eſſe ſaltem tamquam tutius amplectendum.

449 Qu. III. An valeat Compoſitio ſuper fructibus male perceptis ob defectum Reſidentiæ, ad quam erat obligatio?

℞. Negative; quia eſt ſpecialiter interdicta ex jure antiquo, & etiam novo Tridentini *ſeſſ.* 23. *c.* 1, *de Reformat.* Vide Bardi *c.* 4. *num.* 2. & 3. Tambur. §. 4. *n.* 5. & 6. Rodriq. *n.* 18. Henriq. *n.* 3. Sdr. *n.* 6. Salmantic. *in append. tr.* 6. *de Bull. Cruc. c.* 7. *pu.* 3. *n.* 14.

450 Qu. IV. An proſit Compoſitio ſuper fructibus Beneficii vere vacantis?

℞. Alii affirmant, alii negant; legitima cujuſque loci conſuetudo recepta ſervetur. Vid. Tambur. §. 4. *n.* 7. & 8. Bardi *c.* 3. *ſect.* 3. *n.* 33. & 34.

451 Qu. V. An hæres Beneficiarii poſſit utiliter ſe componere de fructibus male ab ipſo Beneficiario perceptis, & nunc a dicto hærede, alias legitime poſſeſſis?

℞. Licet dubitet de Lugo; attamen probabile eſſe, quod poſſit, donec aliud a Commiſſario declaretur, exiſtimat Bardi *cit. diſſert.* 2. *c.* 5. *ſect.* 3. *n.* 21. & videtur approbare Tambur. §. 4. n. 12.

452 Qu. VI. An poſſit expediri compoſitio ſuper ſtipendiis pro Miſſis celebrandis male perceptis?

℞. Negative, quia Creditor ſemper eſt certus in hoc caſu. Vid. Tambur. §. 4. n. 9.

Nota hic antequam ſubſectionem hanc claudamus pro Panormitana Urbe duos caſus peculiares, in quibus non valet compoſitio Cruciatæ; quoſque refert Bardi cit. diſſert. 2. c. 4. & habetur in Bulla edita a Clemente VIII. ſuper Reformatione Parochiarum ejuſdem Urbis. Diſponit Pontifex in ea Bulla primo verſus medium, quod ſi aliquis ex Parochis, Capellanis &c. qui ſtipendium ſufficiens accipiunt a Magiſtratu ejuſdem Urbis pro adminiſtratione Sacramentorum, vel ſepulturæ, aliorumque munerum, aliquid petierit, extorſerit, & etiam a ſponte dantibus receperit pro adminiſtratione prædicta, excepto eo, quod ſibi expreſſe permittitur; non faciat ſuum, ſed teneatur illud integrum reſtituere, ſi excedat duos tarenos, ei, a quo receptum fuit: aut teneatur reſtituere pauperibus; & ipſe recipiens non poſſit illud, quod recepit, ſibi tamquam pauperi appropriare, *nec per Bullam Cruciatæ ſe componere* &c. nullo modo poſſit ſibi illud retinere, etiam habita remiſſione a donatore: & demum neque longiſſima conſuetudine poſſit contrarium præſcribi.

Secundo ſtatuitur verſus finem laudatæ Bullæ, quod ſi Rectores, & Capellani Parochiarum, quemadmodum & Magiſter Capellanus majoris Eccleſiæ Civitatis præfatæ in ſuis muneribus valde negligentes fuerint, cum gravi animarum, & præſertim infirmorum periculo, aut populorum ſcandalo, ob notabilem negligentiam poſitam in exercendis propriis muneribus, vel in aliquo ex illis, etiam ſemel, amittant medietatem cenſus unius diei ipſis Parrochis, & Cappellanis aſſignati; & qui bis eodem die in hoc deliquerit, integrum cenſum illius diei eo ipſo ſtatim amittat in foro conſcientiæ, & eum teneatur pauperibus integre erogare, & illum ſuum facere non poſſit, neque tamquam pauperi ſibi retinere, *nec poſſit ſe* componere *prætextu Bullæ Cruciatæ*;

tæ; & aliis pœnis imponendis puniatur.

SUBSECTIO III.

CASUS III.

453 *Di più ſi può comporre ſopra la metà de' legati pii, che foſſero fatti in diſcarico del mal riportato, eſſendo le perſone, in beneficio delle quali ſi foſſero fatti i Legati, negligenti per un anno nell'eſazione; ed in tal caſo ſi può comporere, ancorchè ſi ſappiano le perſone, alle quali furono laſciati li ſopradetti legati*. Hæc in Bulla vulgari compoſitionis. In Bulla autem originali latina dicitur quod: Commiſſario, & Receptori Generali hujus expeditionis deputato, & conſtituto datur facultas ut *ſuper medietate legatorum omnium, quæ propter male ablata facta ſunt: ſi legatarii per annum in exactione negligentes fuerint . . . . componere valeat, & ita debitores liberari poſſint*.

Patet, in præſenti caſu ſermonem eſſe de legatis relictis a Teſtatore, pro male ablatis tantum, non item pro aliis cauſis.

Patet etiam, privilegium, ſeu compoſitionem concedi, etiamſi notus ſit Dominus, cui legatum debeatur; attamen ei reddi debet altera debiti medietas.

Concedit itaque Pontifex: poſſe hæredem ſe componere virtute Cruciatæ in medietate quantitatis legatæ pro male ablatis, quando legatarius, ſeu is, cui legatum hujuſmodi debebatur, fuerit culpabiliter negligens per annum ad legatum petendum.

Beneficium hic conceſſum clarius reddetur exemplo. Titius in fine vitæ ſuæ cognoſcens, ſeu dubitans apud ſe eſſe ſummam centum v. g. aureorum ex male ablatis a Dominis incertis, volens conſulere conſcientiæ ſuæ, legat Eccleſiæ alicui certæ, ac determinatæ, vel alicui certo, ac determinato Monaſterio, ſeu pauperi ſummam illam centum aureorum. Accidat autem, quod Rector Eccleſiæ prædictæ, ſeu Superior Monaſterii prædicti, aut prædictus pauper, ſive quilibet alius, cui incumbat hujuſmodi legatum exigere, ſit culpabiliter negligens per annum in illo exigendo: in hoc caſu anno elapſo poterunt hæredes Titii ſe componere ſuper medietate prædicti legati, puta ſuper quinquaginta aureis; qua compoſitione facta, non tenentur reddere prædictis legatariis, niſi reliquam medietatem legati, puta reliquos quinquaginta aureos.

Qua ratione autem hujuſmodi compoſitio recte, juſte, ac legitime potuerit a Pontifice Summo concedi, non obſtante notitia Domini, cui debitum ſolvendum ſit? Videri poteſt Bardi diſſert. 2. c. 5. ſect. 1.

Qu. I. Negligentiæ annus in hoc caſu a quonam die computandus? 454

℞. A die notitiæ, quam habet Legatarius de legato relicto. Henriq. *cit. c.* 37. *nu.* 1. Bardi *l. cit. nu.* 2. Tambur. §. 2. *n.* 3. Salmantic. *c.* 7. *pu.* 4. *num.* 25.

Nota hic 1. certum eſſe apud omnes, hæredem, ne ſupprimat rem alterius, debere legatarium admonere de legato ipſi a defuncto relicto, ſi aliunde id non ſciverit. Tambur. n. 7. Salmant. l. cit.

Nota 2. Si legatum factum ſit Pauperibus, vel pio Loco in communi; in hoc caſu admonendum Procuratorem Pauperum, vel Rectorem loci pii,

pii, vel Epiſcopum, ſeu illum, qui curam habeat de iis legatariis, quibus defunctus voluit prodeſſe. Tambur. num. 7.

Nota 3. Si dicti Procuratores ſint negligentes ita; ut poſt annum amittat locus pius v. g. medietatem legati ex eo, quod hæres ſe compoſuerit, eoſdem Procuratores obligari ad reſtituendam tali loco medietatem illam amiſſam, ſi per culpam ipſorum gravem ea amiſſa eſt: ſupponendo, quod ſint Procuratores ex officio, & ſtipendio, vel quia ſuo ipſorum muneri ſit annexa procuratio; nam ſi eam ex charitate gerant, quamvis peccarint, ad reſtitutionem non tenebuntur; ita cum Mendo Tambur. l. cit. fin. & Salmant. l. cit.

456 Qu. II. Si hujuſmodi legata facta fuerint ex male ablatis ex confidentia Bullæ, an hæres componi valeat in prædicto caſu: ex ſuppoſitione quod reſtitutio ſit facta pauperibus: ſeu in legato dicatur facienda eſſe pauperibus? Titius v. g. centum aureos injuſte ſibi uſurpavit ex Bullæ compoſitionis confidentia prava explicata ſect. 1. ſubſ. 1. §. 4. qu. 1. ſecundum autem dicta eodem §. nu. 425. ideo privatur compoſitionis hujuſmodi privilegio, & obligatur integrum debitum applicare in beneficium Cruciatæ, manente incertitudine Domini; & ubi ſaltem conſuetudo permittat, poteſt pauperibus erogare; vide dicta l. cit. qu. 4. num. 429. Jamvero Titius hujuſmodi reſtitutionem faciens, jam moriturus legat prædictos centum aureos Petro pauperi, qui licet admonitus de hujuſmodi legato ſibi relicto, negligens ſit illud exigere, in qua negligentia perſeveret anno integro a die prædictæ notitiæ habitæ; quæritur: utrum hæres Titii poſſit ſeſe componere ſuper medietate prædicti legati?

℞. Negative: ſed non obſtante negligentia prædicta legatarii tenetur legatum integrum applicare Cruciatæ; vel ubi conſuetudo permittat, integrum reddere prædicto pauperi. Tambur. §. 2. nu. 4. Salmantic. nu. 27. fine. Porro ſemper ſtat, eſſe debitum contractum ex prava confidentia Bullæ, atque adeo ſemper removendum a compoſitionis hujuſmodi beneficio.

Qu. III. Si quis ad exonerandam conſcientiam ſuam legaverit alicui Monaſterio centum aureos, v. g. quos ab eodem Monaſterio furatus fuerat, vel quomodocumque ab illo habuerat, ſed reddere debuerat; ſi deinde Monaſterium negligat per annum hujuſmodi legatum exigere; an hæres præfati legantis poſſit ſuper medietate prædicti legati ſe componere. 457

℞. Negative; quia legatum tale potius eſt reſtitutio debita, ut rite animadvertit Tambur. §. 3. n. 5.

SUBSECTIO IV.

CASUS IV.

DI più ſi può comporre ſopra i legati fatti avanti d'ora, o che ſi faceſſero in tempo della predicazione della preſente Bolla, i di cui Legatarii non ſi ritrovaſſero dopo la debita diligenza. Sic in Bulla vulgari compoſitionis: in latina vero originali dicitur quod Commiſſario, ſeu Receptori Generali hujus expeditionis deputato, & conſtituto datur facultas ut.... ſuper illis legatis, quæ facta erant, & quæ dicto anno promulgationis Bullæ durante fient, ſi legatarj inveniri non poterunt.... componere valeat, & ita debitores liberari poſſint. 458

Diſ-

Differt præſens caſus a præcedenti in tribus: nam 1. in præcedenti ſermo fuit de legatis piis factis ad exonerandam conſcientiam propter debitum videlicet, aliquod reſtituendi, ſeu compenſandi damnum injuſte illatum. Hic autem ſermo eſt de legatis quibuſcumque, etiam temporalibus, & non piis, atque adeo etiam non factis ad prædictum finem. 2. in præcedenti beneficium compoſitionis impertitum fuit, etiamſi Dominus debiti minime ignoraretur. Hic autem requiritur, quod de eo notitia nulla habeatur poſt moralem diligentiam exhibitam ad inveniendum eumdem. 3. in præcedenti compoſitio fieri poſſe conceditur tantum pro medietate legati. Hic autem pro integro debito, ſeu legato.

Itaque quando adſint legata quæcumque, etiam temporalia, & non pia, facta ſive ante, ſive poſt promulgationem Bullæ, durante anno tuæ Bullæ, quæ quidem legata, tu utpote hæres legantis ſolvere legatariis ad aſſem teneris; ſi tamen dicti legatarii, adhibita morali diligentia, inveniri non poſſunt, poteris ſuper hujuſmodi legatis compoſitionis beneficio frui, atque compoſitione rite peracta, legatum, ſeu debitum integrum retinere.

Quod dicitur de legatis prædictis incertis, idem aſſerendum de fidei commiſſis incertis; nam legata & fidei commiſſa ſaltem in hoc æquiparantur. Henriq. *l.* 7, *cap.* 37. *n.* 4. Rodriqu. *n.* 20. Tambur. §. 3. *n.* 3. Compoſitio autem facienda ſive per Bullas, ſive per recurſum immediatum ad Commiſſarium Generalem Cruciatæ, prout exigit quantitas componenda ſecundum dicta ſect. 1. ſubſ. 1. §. 2. poſt initium, ut etiam in caſu præcedenti cum aliis Auctoribus monuimus.

Nota vero hic, quod ex Tambur. monuimus ſect. 1. ſubſ. 1. §. 4. qu. 3. fine, hæredem ſpe hujus compoſitionis retinentem legata, non poſſe uti compoſitione, quia hoc in hærede non eſt ſolum retinere, ſed in radice eſt furari.

SUBSECTIO V.

CASUS V.

DI più ſe alcun Giudice ordinario, o delegato, o Aſſeſſore aveſſero ricevuto alcun danaro, o altra coſa per pronunciare un' iniqua ſentenza, o per dilatar la cauſa in detrimento della parte, o per fare alcun aggravio, o altra coſa, che non doveſſero, in tal caſo ſi poſſono, e devono comporre di quello, che in tal modo aveſſero ricevuto; reſtando però ferma l'obligazione d'indennizzare la parte, a cui ſi fece l'aggravio. 459

Hic caſus ordine quintus in Bulla vulgari, continetur implicite in Bulla latina in illis verbis caſu primo recitatis: *ſuper male acquiſitis*. Similiter qui ſequuntur caſus explicite poſiti in Bulla vulgari, in prædictis, aut aliis ejuſmodi verbis Bullæ latinæ continentur implicite.

In hoc autem caſu conceditur compoſitio, tamquam beneficium, ſeu privilegium, ex ſuppoſitione illius ſententiæ probabilis, ac tutioris quidem docentis; illicite acquiſita in pauperes eſſe diſtribuenda.

Animadvertendum eſt hic 1. male 460
acquiſita, ſeu accepta ad faciendum turpe, debere reſtitui ipſi Domino ante factum, puta ante latam a Judice ſententiam injuſtam; ſicut & pro-

promiſſio ſententiæ hujuſmodi revocari debet, & pactum nequaquam impleri. Et quidem quod pacto non impleto debeat reſtitui pretium ad id implendum acceptum; communi certum eſſe conſenſu, teſtatur Bardi n. 3. fine, & per ſe patet, & videri etiam poteſt Rodriquez n. 21.

Quod autem debeat reſtitui ipſi Domino tenent Rodriquez l. cit. fine. Henriqu. lib. 7. c. 35. n. 4. & communiter Doctores, quorum aliquos citat idem Henriquez ibi in Gloſ. margin. litt. i. Non deſunt tamen quidam volentes reſtitui debere pauperibus. In ſententia autem priori, quæ eſt communis, & verior, non poteſt fieri compoſitio, quia Dominus eſt certus, & notus, ut animadvertit Rodriquez l. cit.

Animadvertendum 2. Judicem non poſſe, ſe componere ſuper damno injuſte illato alicui tertio; ut monet Bardi nu. 1. & etiam expreſſe cavetur in Bulla vulgari verbis ſuperius recitatis: *reſtando però ferma l' obligazione d' indennizzare la parte, a cui ſi fece l' aggravio*. Porro ſententia injuſte ſcienter lata, remanet in Judice obligatio ad compenſandum parti læſæ damnum. Unde Judex, qui a Petro accepit decem aureos, v. g. ut injuſte ferret ſententiam contra Paulum, hunc damnando ad ſolvendum centum aureos: hujuſmodi ſententia lata, & executioni mandata, poterit quidem Judex, ſeſe componere ſuper illis decem aureis male acquiſitis ob latam ſententiam injuſte; minime vero poterit ſeſe componere ſuper illis aliis centum aureis, in quibus ipſe factus eſt debitor Paulo ob injuſtam ſententiam ſcienter contra illum latam, in qua prædictis centum aureis ſpoliavit eumdem.

Animadvertendum eſt 3. Si quis accepit pretium exceſſivum; nempe ultra æſtimabilitatem operis mali, ad quod mediante pretio allectus eſt, nequit in eo exceſſu ſe componere: quia tenetur illud, quod excedit, reſtituere danti; & quia dans eſt, ut ſupponitur, creditor certus, Bulla compoſitionis non favet debitori reſpectu illius exceſſus; ita Bardi num. 6.

Animadvertendum 4. Si in aliquo Regno, vel Provincia extet lex prohibens translationem dominii rerum, quæ ob turpem cauſam dantur; ſtatuens recipientes eſſe inhabiles, & incapaces talis dominii: tunc non poterit fieri compoſitio ſuper his acceptis, quia ſtante lege illa, & incapacitate recipientis, res ipſi danti erit reſtituenda; proinde cum ipſe dans ſit certus, & cognitus a debitore, non poterit utiliter fieri compoſitio. Quæ concluſio eſt communis & certa, ut teſtatur Bardi n. 2.

SUBSECTIO VI.

CASUS VI.

DI più che ſe alcun Avvocato ricevè qualche premio per avvocare in cauſa ingiuſta, e ciò ſapendo il ſuo Cliente: ſi può comporre per lo ricevuto guadagno; però gli reſta ſempre a carico di ſodisfare la parte dannificata. Hic caſus eſt ordine ſextus in Bulla vulgari, qui implicite continetur in Bulla latina, ut notavimus ſubſ. præced. initio. 461

Nota 1. Conditionem, ſub qua beneficium compoſitionis conceditur Advocatis recipientibus pretium pro tuenda cauſa injuſta; conceditur videlicet ſolum in caſu, in quo ipſe

etiam

etiam Cliens cauſæ ſuæ noverit injuſtitiam. Unde ſi Cliens id ignoraverit, ſed putaverit eſſe juſtam, tenetur Advocatus eidem Clienti acceptum injuſte pretium reſtituere, nec frui compoſitionis hujuſmodi privilegio poteſt. Ratio hujus conditionis eſt; quia Advocatus tenetur monere Clientem de injuſtitia ſuæ petitionis; hanc igitur ignorante Cliente non cenſetur libens dare Advocato prædictam ſummam; proinde illius receptio reſpectu Advocati æquiparatur furto, pro quo, cum certus ſit creditor, non datur compoſitio.

Nota 2. In præſenti caſu compoſitionem concedi tamquam beneficium, ex eadem ſuppoſitione, ex qua in præcedenti caſu; unde quoad neceſſitatem compoſitionis in hoc caſu ſimiliter diſcurrendum, ac ibi. Vid. dicta ſubſ. præc. n. 459.

Nota 3. Animadverſiones, quas præcedenti ſubſectione fecimus num. 460. eaſdem procedere in caſu præſenti, & eidem omnino eſſe applicandas.

SUBSECTIO VII.

CASUS VII.

462 *DI più che se alcun Teſtimonio per deporre il falſo, o alcun, Fiſcale, o Accuſatore per accuſare altrui falſamente, o tralaſciando di accuſarlo, quando d' accuſarlo era obbligato, e perciò riceveſſe qualche coſa, di queſti ſi può comporre, ma ha da ſodisfare la parte, che pregiudicò.*

In hoc caſu eſt notandum, quod ſi ille, qui dat alicui perſonæ ex prædictis, ignoret, eſſe falſam depoſitionem, aut accuſationem, vel accuſationis omiſſionem eſſe pravam; tunc qui pecuniam recepit, non poterit per Cruciatam ſe componere, quia in tali caſu qui donat non participat in delicto: proinde cum nemo præſumendus ſit malus, non præſumitur daturus fuiſſe illam pecuniam pro caſu injuſtæ delationis. Ergo illius receptio æquiparatur furto in Accuſatore ſciente falſitatem ſuæ depoſitionis: pro furto autem, cujus ſit certus Creditor, ut in præſenti, non datur Compoſitio. Ita cum Truſſ. notat Bardi diſſert. 2. c. 1. ſect. 3. nu. 19. In hoc præſens caſus eſt ſimilis præcedenti, & etiam reliqua, quæ ibi dicta ſunt, huic ſunt applicanda.

SUBSECTIO VIII.

CASUS VIII.

DI più gl' Uffiziali, Scrivani, Notari, e Secretarii, che per fare qualche coſa ingiuſtamente nell' ufficio ſuo, riceveſſero qualche premio, ſopra queſto poſſono comporſi; però devono ſodisfare il danno alle perſone pregiudicate. 463

Præſens caſus eſt omnino ſimilis præcedenti: ea, quæ ibi dicta ſunt, huic applicentur.

SUBSECTIO IX.

CASUS IX.

DI più poſſono comporſi tutti i Giudici Secolari, ed Eccleſiaſtici, in cauſe temporali, di quel che per ragione d' amminiſtrare alle parti la giuſtizia, che doveranno, conforme all' obligazione loro, aveſſero ricevuto danari, o altro ec. 464

Notandum 1. in hoc caſu, com-

poſitionis beneficium concedi, dummodo facta debita diligentia, non inveniatur is, a quo recepta eſt pecunia, aut aliud ob adminiſtrationem juſtitiæ debitæ; Bardi *diſſert.* 2. *c.* 2. *ſect.* 2. *n.* 1. quæ conditio expreſſe ponitur in ſequenti caſu, qui eſt huic ſimilis; unde ſi prædicta pars, ſeu perſona ſit nota Judicibus prædictis, ei facienda eſt reſtitutio, & locum non habet hæc compoſitio. Henriq. *ſum. lib.* 7. *c.* 35. *n.* 3. Rodriq. *nu.* 23. Bardi *nu.* 12. Itaque ſi litigans det pecuniam Judici ad redimendam vexationem, quia timet, ne Judex injuſte contra eum ſententiam proferat, & timor hujuſmodi ſit prudens, & probabilis, videlicet ex circumſtantiis prudenter opinetur de injuſtitia facienda a Judice; in hoc caſu data pecunia eſt ipſi danti reſtituenda, & nequit fieri compoſitio per Cruciatam. Ratio autem eſt, quia Judex nullum habet titulum in tali caſu accipiendi pretium; cum abſque illo, obligetur ſententiam ferre in favorem, ut ſupponimus, dantis; & quia dans moraliter non cenſetur cooperari injuſtitiæ, & turpitudini Judicis, non erit privandus jure, pretium repetendi; ideo reſtitutio ipſi danti erit facienda; & quia eſt creditor certus, inutiliter Judex componetur. Secus autem eſſet, ſi poſtea ipſe creditor ignoraretur, & inveniri nequiret; tunc enim ob regulas generales Judex tenebitur pauperibus reſtituere acceptum, & ideo vi Bullæ poterit ſe componere; & in hoc ultimo caſu de ignorantia illius, qui dedit pecuniam, vel aliud, loquitur hic Commiſſarius, admittens ad compoſitionem; ita Auctores laudati, & alii.

Nota 2. limitationem, quam in præſenti caſu ponit Commiſſarius, dicit enim: compoſitionis beneficium concedi Judicibus ſæcularibus, & eccleſiaſticis *in cauſis temporalibus*: & ideo mentionem de his tantum faciens, excludit tacite cauſas ſpirituales; ut notant Bardi n. 15. Rodriq. n. 27. Trull. & alii interpretes hujus Bullæ communiter, teſte eodem Bardi; licet Caſtropalaus concedat etiam in ſpiritualibus. Communis autem prædicta ſententia probatur, quia acceptio eſſet ſimoniaca; ad quam, utpote gravioris malitiæ, non valet arguere a minori.

Qu. An valeat, ſe componere Judex, qui aliquid accepit pro ſententia in favorem dantis ferenda, ſive juſta, ſive injuſta; ſi is, qui dedit, ſit ipſi notus? ut ſi quis Judici dixerit, examina hanc litem, ſeu cauſam, quod ſi rationes mihi ita favere judicaveris, ut pro me fuerit decidenda, pro me, ut quidem debes, ſententiam feres; ſin autem contra me rationes ſtare ſenſeris, nihilominus adhuc in favorem mei ſententiam proferes: Deinde vero cauſa inveniatur juſta, atque adeo Judex proferat ſententiam juſtam. 465

℞. Affirmative. Quia donans abſolute dedit pecuniam etiam pro caſu injuſtæ ſententiæ: & quamvis ex hac parte illicita fuerit acceptio in Judice, Caſus recidit in Caſum expreſſum n. 459.

SUBSECTIO X.

CASUS X.

DI più ſi poſſono comporre li Scrivani, Notari, Secretarii, e gli altri Ufficiali della Giuſtizia, che aveſſero ricevuti diritti eſorbitanti con- 455

tro

tro le leggi, e ordinanze preſcritteli, non ſapendo le perſone, alle quali ſi debba reſtituire.

Hic caſus eſt ſimilis præcedenti, ſupponitur in eo turpitudo ſolum ex parte acceptantis; ſi autem ſimul intercederet ex parte dantis; tunc eodem modo diſcurrendum hic eſſet, ac in præcedenti caſu in reſponſione ad quæſitum; nimirum tunc fieri poſſet compoſitio, non obſtante notitia Domini. Rodriquez *n.* 28. fine. Bardi *diſſert.* 2. *c.* 2. *ſect.* 2. *n.* 14.

Itaque ſi aliquis Notarius e. g. pro mercede ſui muneris petit, & accipit a Titio decem aureos v. g. tamquam ſibi debitos, cum ex conſuetudine, vel legis ſtatuto debeantur ei octo, non poteſt ſe componere ſuper illis duobus aureis, qui ei non debentur, ſed tenetur reſtituere Titio, ſeu Domino, ſi hic ſit notus; ſi autem facta diligentia non inveniatur, poterit utique ſeſe componere; & in hoc ſecundo ſenſu loquitur hic Commiſſarius.

Item ſi quis pretium ſupra id, quod tenebatur, dedit v. g. Secretario, ne hic contra eum injuſte quid ageret in munere ſuo, atque adeo dedit ad redimendam vexationem: non poterit Secretarius, ſe componere ſuper exceſſu prædicto, ſed tenetur reſtituere Domino, ſi maneat notus; ſi tamen evaſerit incognitus, valebit compoſitio. Ratio eſt eadem, quam in præcedenti caſu aſſignavimus pro Judice n. 464.

Contra vero ſi quis prædictis Officialibus publicis dederit aliquid, ut committerent delictum in officio: eo commiſſo, poterunt hi ſe componere ſuper hujuſmodi pretio, non obſtante notitia dantis, ſeu quod maneat notus ille, qui dedit.

SECTIO XI.

CASUS XI.

Di più, che ſe alcuno ingiuſtamente, ò indebitamente operando, affinchè non ſi amminiſtraſſe la giuſtizia, ò perchè ſi daſſe libertà ad un Arreſtato per delitti, e perciò preſe danaro, o altro, ſi può comporre di quel, che preſe, ma ha da reſtituire il danno alla parte, ſe gliene riſultò. 467

In hoc caſu conceditur beneficium Compoſitionis ei, qui precibus e favore, &c. ob pecuniam receptam, impedivit, ne fieret juſtitia, aut curavit, ut Reus injuſte liberaretur. Sed in hoc etiam caſu eſt animadvertendum, quod ſi ille, qui dedit pecuniam, ignoravit ſe agere quid malum, & turpe: tunc qui pecuniam recepit, non poterit per Cruciatam ſe componere, quia ut in præcedentibus dictum eſt, qui donat, non participat in delicto (v. n. 462.) proinde non privatur jure recuperandi id, quod donavit, & erit creditor certus, & ſic recipiens tenebitur ipſi donanti pecuniam reſtituere, ſi ille ſit notus. Itaque in hoc caſu ſupponitur turpitudo tum ex parte acceptantis, tum ex parte dantis pretium. Rodriqu. n. 29. Bardi *diſſert.* 2. *c.* 1. *ſect.* 3. *n.* 18. & 19.

SUBSECTIO XII.

CASUS XII.

Di più ſi può comporre di tutto quello, che per giuochi ſi foſſe obligato a reſtituire a' poveri; però ſe vi foſſe intervenuta frode, o inganno, o aveſſero guadagnato a perſone, che non poteſ- 468

poteſſero alienare quel, che perderono, non ſi poſſono comporre, e ſapendo a chi lo guadagnarono, ſono obligati a reſtituirglielo, e non ſapendolo, poſſono comporſi, come ſopra.

Quotieſcumque bona per ludum acquiſita, ſunt reſtitutioni obnoxia, non quidem Domino, ſed pauperibus, in quos diſtribuenda ſint, tunc in hoc caſu conceditur privilegium compoſitionis. Vid. Bardi *diſſert.* 2. c. 2. *ſect.* 3. *n.* 22. Quandonam vero hujuſmodi bona ſint reſtituenda? quoniam pertinet ad Tractatum de ludo, ad illum rimittimus, & videri etiam poteſt laudatus Bardi *cit. ſect.* 3. Rodriqu. *hic a n.* 30., ad 51. Henriq. *in ſum. l.* 7. *c.* 35. *n.* 6. Salmantic. *c.* 7. *pun.* 7. *a n.* 45.

SUBSECTIO XIII.

CASUS XIII.

469 *DI più ſe qualcuno fingendoſi più di quel, che non è, o altra coſa ſomigliante, ſi può come ſopra, comporre di quel che, per tal cagione aveſſe ricevuto; e colui, il quale chiede elemoſina, fingendo d'eſſere povero, ſenz' eſſerlo, ſi può comporre di quel, che per queſto aveſſe ricevuto, non ſapendo ne in queſto, ne nel ſuddetto caſo, a chi ſi debba reſtituire.*

In hoc caſu notandum eſt: fictionem evenire, quando quis ſimulat habere qualitatem aliquam, qua revera caret, & alius intuitu illius fictæ qualitatis movetur ad aliquid ſolvendum: v. g. ſi quis fingit, ſe eſſe pauperem, vel eſſe conſanguineum &c. & alius movetur ad erogandam eleemoſynam, quatenus ſibi perſuadet, eſſe paupertatem in petente; vel donationem aliquam facit intuitu conſanguinitatis; & iſte eſt caſus hic propoſitus, in quo Commiſſarius declarat, ſimulantem poſſe componere ſe ſuper acceptis, Domino non invento.

Facultas ſe componendi in hoc caſu quamtumvis univerſalis, intelligenda tamen eſt de rebus pretio æſtimabilibus, ut notat Bardi diſſert. 2. c. 2. ſect. 4. n. 33. fine.

In hoc eodem caſu facultatem ſe componendi ratione fictionis paupertatis, dicit Commiſſarius, concedi, ſi ignoretur Dominus, a quo data fuerat eleemoſyna; unde ſignificat, quod ſi Dominus ſit notus, eidem reſtituenda ſit, & non valeat compoſitio. Proculdubio Commiſſarius hic ſequatus eſt opinionem aliquorum apud La-Croix l. infra cit. volentium, ſi quis ob fictam paupertatem aliquid extorſerit, reſtitutionem faciendam eſſe donanti. Cœterum valde probabile eſt, reſtitutionem fieri poſſe pauperibus; quia intentio donatoris fuiſſe præſumitur levamen paupertatis, idcirco ſi quis eam ſimulaverit, ex præſumpta voluntate Donatoris, tanquam ejus negotiorum geſtor poterit, exequendo voluntatem illam, in pauperes diſtribuere eleemoſynas acceptas. Secus autem dicendum eſſet, ſi quis finxerit paupertatem adeo magnam, ut magnitudo illius moveret donatorem; ita ut ſi fuiſſet minor, donator non fuiſſet eleemoſynam illam elargitus; quod ex circumſtantiis interdum colligi poterit; in hoc enim caſu, qui quidam eſt extraordinarius, ſi conſtet mens Donatoris, tunc eleemoſyna ipſi donatori eſſet reſtituenda; & non aliis pauperibus eroganda carentibus qualitate illa, nempe magnitudine paupertatis. Vid. La-Croix

l. 3.

l. 3. *par.* 2. *qu.* 41. §. 4. *n.* 164. Bardi n. 26. 27. & 31.

Hinc etiam ſi quis non paupertatem, ſed conſanguinitatem ſimulaverit, & hoc intuitu aliquid acceperit; non poterit acceptum pauperibus, aut aliis piis locis applicare: quia in pauperibus non invenitur qualitas illa, quæ movit voluntatem donatoris ad donandum, neque reperitur in aliis operibus; & ideo donatori erit reſtitutio facienda, ſi innoteſcat; at ſi nequeat inveniri, tunc locum habebit compoſitio, ut declarat Commiſſarius. Bardi n. 32. In illo autem caſu, & ſententia, quibus ſimulator paupertatis poteſt acceptas eleemoſynas veris pauperibus ærogare, quantumvis non ignoret Dominum, a quo datæ fuerunt, ſuſtinet Bardi, ſimulatorem eumdem poſſe adhuc Compoſitionis beneficio frui: quia quoties reſtitutio pauperibus eſt debita, fieri poteſt, inquit, compoſitio; ita cum aliis Bardi n. 29., & 31.

SUBSECTIO XIV.

CASUS XIV.

470 D*I più ſopra tutte le coſe ritrovate, fatta prima ſufficiente diligenza, e non ritrovandoſi il Padrone, ſi può comporre.*

De quibuſnam rebus inventis in hoc caſu ſermo ſit? explicavimus ſect. 1. ſubſ. 1. §. 3. n. 414.

Quanta debeat eſſe diligentia in inquirendo Domino? examinavimus ibid. q. 4. Hic autem ſpecialiter notandum 1. in hoc caſu compoſitionem concedi tamquam beneficium, ex ſuppoſitione illius ſententiæ, volentis, inventorem rerum deperditarum, Domino requiſito, & non invento, teneri eaſdem pauperibus elargiri, vel ad pius cauſas applicare, nihil ſibi retinendo. Vid. LaCroix *lib.* 3. *par.* 2. *qu.* 22. §. 4. *n.* 89. Cæterum valde probabilis eſt, & etiam in praxi tuta exiſtimatur aliorum ſententia concedens inventori, ut ſibi retineat poſt factam diligentiam, cum intentione reddendi Domino, ſi is comparuerit: reddendi, inquam, vel rem eamdem, ſi aſſervari poterit, vel ſimilem, aut æquivalentem, vel pretium ejus, niſi comparuerit, tranſacto tempore præſcriptionis, & quando faverint Inventori conditiones ad præſcriptionem, ſeu uſucapionem requiſitæ. Vid. LaCroix *l. cit.* Salmantic. *in append. tr.* 6. *Bull. Cruc. c.* 7. *pu.* 8. *n.* 62. Bardi *diſſert.* 2. *c.* 5. *ſect.* 2. *n.* 11. Henriq. *lib.* 7. *c.* 34. *n.* 1. Tambur. §. 1. *n.* 14. & 16. qui tamen n. 17. videtur inclinare, ad negandum, poſſe umquam favere privilegium præſcriptionis Inventoribus hujuſmodi. Sed quod ad nos ſpectat, ſtando in prædicta ſententia, dicendum eſt; non eſſe neceſſariam compoſitionem hanc hujuſmodi Inventoribus rerum, etiamſi velint eas ſibi retinere. Tambur. n. 18. Salmant. l. cit. Verum oppoſita prior ſententia eſt in praxi ſuadenda, utpote tutior, atque adeo compoſitio hæc ſuadenda volentibus res inventas ſibi retinere; ita Bardi l. cit. Salmantic. l. cit. Henriqu. l. cit. n. 3. alias per errorem n. 2. Et quidem ad hujuſmodi compoſitionem faciendam, ſi ſibi retinere velit, inclinare Inventoris animum poteſt ſententia, quam expoſuimus ſect. 1. ſubſ. 1. §. 3. qu. 7. docens: poſt factam hujuſmodi compoſitionem, etiamſi compareat Dominus,

non

non teneri Inventorem illi reſtituere res inventas.

Notandam 2. Res inventas, quarum Dominus, poſt factam diligentiam, inveniri non poteſt, eſſe alicubi a Rege, & ſub præcepto, vel excomunicatione a Pontifice applicatas Ordinibus Sanctæ Mariæ de Mercede, vel SS. Trinitatis ad redimendos Captivos, ut refert Tamb. §. 1. *n.* 13. & Henriq. *c.* 36. *n.* 5. *& 6.* ubi hæc habet. *Pecus perditum (quod dicitur Moſtrenco) a Rege per legem Regni applicatur in utilitatem Urbis; quæ lex tantum videtur Prætori concedere actionem exigendi, & detentor, ſi uno teſte probetur, detinere pecus; debet fateri, & reddere. Si vero occultum ſit, & expendit hæc, aut alia inventa in opera pia, præſertim de conſilio Epiſcopi; aut Parochi, ut mos habet, manet tutus in conſcientia: aut pro his facere poſſet compoſitionem. Jus petendi pecus, ſeu Moſtrencum, quod ex lege competebat Prætori, tranſtulit Rex in Fratres ex Ordine Mercedis, aut Trinitatis (quibus datur locus præventionis) pro Redemptione Captivorum: & quidam extendunt ad quodvis animal perditum, aut aliam rem, quæ pro derelicta habetur: ſi modo quæſitus diligenter Dominus non compareat intra annum, & diem, quo Frater depoſitarius retinet: & ut ſemel in menſe intra eum annum voce præconis proclametur. Reperto autem Domino, reddi debet, deductis expenſis. Habent hi Monachi in Oppidis Sæcularem, quem vocant fratrem, aut Syndicum, quibuſdam privilegiis gaudentem, cui incumbit Moſtrencum retinere in depoſito, & colligere legata, aut quæ voto, aut promiſſione mandata ſunt in redemptionem captivorum in teſtamento, aut donatione; & quinque blancas, ut ajunt, quibus Tabellio in teſtamentis exhæredare ſolet debitum in opera pia, & redemptionem Captivorum; & ſeptimas conſuetas &c. Omnia, quæ prædictis fratribus ad effectum redemptionis debentur jure, juxta privilegia Apoſtolica, & Regalia confirmata, uſitata, & cuſtodita, rurſus confirmavit Philippus II. Rex Hiſpan. & idipſum comprobavit Gregorius XIII. anno 1582., & per Nuncium Apoſtolicum Hiſpan. obtinentur excommunicationes Paulinæ, ut facilius per cenſuras colligantur ea bona, quæ pro derelictis habentur.* Hucusque Henriquez qui in Gloſſa marginali litt. l. dicit: quod excommunicatio non confirmet aliud jus, quam quod ex lege civili conceſſit Rex.

Jam vero Ludov. a Cruc. de Bull. d. 33. dub. 15. contendit in hoc caſu non valere compoſitionem: ſed contradicit cum Mendo Tambur. n. 15. ubi ſentit, nullam eſſe in conſcientia obligationem reddendi bona incerta inventa, ſive animata, prædictis Ordinibus; quia ſi Inventor ea licite, juxta ſententiam modo ſupra ſignificatam, retinet, non cadet in ipſum, nec præceptum; nec excommunicatio: quæ ſolum ſunt lata juxta aliam oppoſitam ſententiam modo etiam ſuperius explicatam. Ita Tambur. eamdem ſententiam, aliis pro ea laudatis, ſequuntur Salmantic. in append. tr. 6. de Bull. Cruc. c. 7. pu. 8. n. 61.

In hac controverſia videtur dicendum: etiam in hujuſmodi locis, in quibus bona inventa cadunt prædictis Ordinibus jure prædicto, valere compoſitionem in foro ſaltem conſcientiæ, ſi in iiſdem locis promulgetur ſimul Bulla compoſitionis, & in ea explicetur, & apponatur a Commiſſario caſus hic decimus quartus,

ctus, quem habemus præ manibus; in quo ſcilicet conceditur compoſitio ſuper bonis inventis. Ratio eſt valde manifeſta, quia ſecus inutiliter omnino, & falſo poneretur: atque adeo Commiſſarius deciperet fideles; quod non eſt dicendum. Adde, per Bullam Cruciatæ ſuſpendi quæcumque alia privilegia privilegiis ejus obſtantia. Dixi: *in foro ſaltem conſcientiæ*: quia in foro externo ſervanda eſt conſuetudo, quæ vigeat; ita ut, ſi vigeat jus repetendi in favorem prædictorum Ordinum hujuſmodi inventa; poterunt prædictorum Ordinum Fratres illa repetere ab Inventore poſtquam notitiam habuerint, & inventor tenetur, ſi cogatur a Judice, illa cedere prædictis Ordinibus; quod ſi noluerit: tunc contra eum urgere quidem poteſt excommunicatio, ſeu alia temporalis pœna. Profecto hæc noſtra ſententia favet prædictis Ordinibus æque, ac Bullæ Cruciatæ.

471 Qu. Si bona perdita ſint ex naufragio, an liceat Inventori ſuper illis ſe componere, & illa ſibi uſurpare?

℞. Negat cum Trull. Bardi n. 12. quia, inquit, in jure prohibita eſt talium bonorum uſurpatio; lata enim eſt excommunicatio in Bulla Cœnæ, quæ excommunicatio eſt Pontifici reſervata, & lata etiam eſt contra tales uſurpantes alia excommunicatio non reſervata. Cap. *Excommunicationi de Raptoribus*; debet igitur iſta bona conſignare Ordinario loci, cujus munus eſt de illis diſponere; ita cum Trullench docet Bardi.

Contra vero affirmat cum Mendo Tambur. n. 14. docens, ſuper hujuſmodi etiam bonis poſſe componi: bona enim naufragantium eo ipſo quod inveniri non poſſit Dominus, ſunt æque bona inventa, ac alia quæcumque; Excommunicationem vero Cœnæ afficere eos tantummodo, qui naufragantium bona ſibi uſurpent, cognito, vel comparente Domino. Favet regula generalis tradita ſect. 1. ſubſ. 1. § 3. n. 414. fine, pro iis rebus inventis, ſuper quibus conceditur compoſitio; abſolute enim diximus ibi: compoſitionem quoad res inventas locum habere ſuper illis rebus inventis, quæ licet ſub alicujus dominio actu maneant, earum tamen Dominus ignoretur, & facta ſufficienti inquiſitione pro eo inveniendo, nihilominus non potuerit inveniri. Favet item La-Croix *lib.* 3. *par.* 2. *qu* 29. *n.* 112. fine, ubi dicit: in Bulla Cœnæ excommunicari eos, qui bona naufragantium Chriſtianorum occupant; ſubditque: niſi forte cenſeantur derelicta. Conſentiunt Salmantic. *in app. tr.* 6. *de Bull. Cruciatæ c.* 7. *pu.* 8. *n.* 59 qui ideo docent: in hujuſmodi caſu inventorem non indigere compoſitione ulla. Dicunt itaque: bona naufragantium inventa in littore, aut intra Mare, ſi Dominus reperiatur, aut alius, qui ejus nomine exquirat, ei eſſe tradenda; Si autem Dominus non compareat, nec alius adſit, qui ejus nomine illa quærat, haberi pro derelictis, fierique illa primo occupantis, proindeque illa invenientem nulla pro illis indigere compoſitione; ita illi. Sed etiamſi admittatur: poſſe bona prædicta retineri ab Inventore in prædicto caſu, nec ulla eum indigere compoſitione: nihilominus ſuadenda eſt compoſitio ſecundum dicta hic ſupra num. præcedenti.

Quandonam vero bona inventa cenſeri poſſint derelicta a Domino: atque adeo fieri Inventoris, qui primo occupet ea? explicat La Croix *loc. cit. qu.* 22. §. 5. *n.* 90.

SUBSECTIO XV.

CASUS XV.

472 *DI più colui, che tiene una, o molte coſe in ſuo potere di perſona, o perſone, che non ſa dove ſiano, per reſtituirgliele; ed eſſendoſi però fatta la dovuta, e neceſſaria diligenza, ſi può comporre di quello, che importaſse.*

Poteſt fieri compoſitio, ſi quis habeat pecuniam, vel aliud incerti Domini apud ſe depoſitum, ſive juſte, ſive injuſte habitum ſit: e. g. ſi quis depoſuit centum aureos apud te, & poſtea moriatur, & nullum invenias hæredem illius; centum illi aurei pauperibus ſunt erogandi, ſed beneficio Bullæ poteris te componere ſuper his licite debitis. Similiter etiamſi illicite: ut ſi Petrus per furtum, aut uſuram habuerit aliquid incerti Domini, poterit eodem modo juvari beneficio compoſitionis hujuſmodi. Tambur. §. 1. *n.* 11. Bardi *diſſert.* 2. *c.* 5. *ſect.* 2. *n.* 13.

Et quidem hic caſus quoad illicite habita exprimitur etiam in ipſa Bulla latina originali, ubi dicitur, quod Commiſſario, ſeu Receptori Generali hujus expeditionis deputato, & conſtituto detur facultas, ut ſuper illicite habitis . . . . nec non ſuper male ablatis & per uſurariam pravitatem, aut aliter male acquiſitis, ſi in omnibus præmiſſis caſibus . . . . . perſonæ, quibus reſtitutio, ſeu ſolutio facienda eſt . . . non reperiantur, componere valeat, & ita debitores liberari poſſint.

Sed dices: hiſce verbis non fit 473 mentio niſi de *illicite* acquiſitis; ergo non conceditur compoſitio ſuper habitis *licite*, ſi enim Pontifex voluiſſet, utique expreſſiſſet.

Ad hujuſmodi objectionem reſpondet cum Trullench Bardi diſſert. 1. ſect. 1. n. 4. dicendo: cum majus ſit concedere poteſtatem componendi ſuper illicite, quam ſuper licite acquiſitis, in illorum conceſſione intelliguntur etiam iſta incluſa; & quamvis non ſemper valeat illatio a majori ad minus, tamen dum habetur identitas rationis, & ſumus in eodem genere, optima erit illatio. v. g. ſi cui ſit diſpenſatum diebus quadrageſimalibus ad carnes comedendas, erit etiam ad ova, ut ipſi cum communi docuimus præcedenti cap. 1. art. 9. qu. 6.

SUBSECTIO XVI.

CASUS XVI.

DI più ſi può comporre de' danni fatti nell' andare a caccia, o coll' Armento, o in altra maniera, così ne' paſcoli, e nelle Vigne, o in qualſivoglia altri beni, non ſapendo a cui ſia ſtato fatto il danno. 474

In hoc caſu admittitur compoſitio ob damnum illatum in alienis ſegetibus, vineis &c. dum quis venatur, conculcando eas propriis, vel Equorum pedibus, aut faciendo, vel permittendo, ut ejus Animalia ſegetes alienas depaſcantur, aut alio modo. Requiritur autem ad hanc compoſitionem licite faciendam, ut Dominus illarum ſegetum, & Vinearum ignoretur; ideoque debet, qui dam-

num

num intulit, adhibere diligentiam ad illum inveniendum; & hoc quidem ordinarie loquendo facile obtinebitur, quia, ut obſervat Bardi diſſert. 2. ſect. 5. n. 34. notum eſt, ſub cujus dominio erant, & Segetes, & vineæ, in quibus damnum fuit illatum.

SUBSECTIO XVII.

CASUS XVII.

475 *Dl più tutte le Femine, che non ſono publicamente diſoneſte, ſi poſſono comporre di qualſivoglia prezzo di danaro, o gemme, che per cagione turpe aveſſero ricevuto; e gli Uomini, che ſimilmente per la ſudetta cagione aveſſero ricevuto danari, o altro da femine libere, ſi poſſono comporre per la ſteſſa ragione.*

Notandum 1. in hoc caſu Mulieres, quæ aliquod pretium reportarunt pro turpi uſu corporis ſui, ſi velint tale pretium rite ſibi retinere, vocari ad compoſitionem faciendam ſuper hujuſmodi turpi lucro, ſi quidem minime ſint palam inhoneſtæ, ſeu publicæ Meretrices, & palam quibuſcumque vendentes corpus ſuum. Hoc autem ideo dicit Commiſſarius, quia publicas Meretrices, conſtat apud omnes, omni jure poſſe pro Meretricio ſibi retinere pretium acceptum, ſi ſit moderatum, vel ſecundum taxam a lege, vel ſecundum communem exiſtimationem, & donatum ſit a perſona, quæ diſponere poſſit: imo juxta jus civile his Meretricibus datur actio ad habendum pretium pro ipſo actu meretricio.

Notandum 2. Commiſſarium loqui hic de mulieribus non publice inhoneſtis quæ Maritum non habeant; hanc autem conditionem, ideo eum voluiſſe apponere, dicit Bardi diſſert. 2. c. 1. ſect. 2. n. 8. quia eſt multorum opinio, aſſerens, eſſe viro reſtituenda, quæ ab adultera per adulterium acquiruntur; quamvis alii id negent, putantes, poſſe ab ipſa Conjuge retineri. Non loquitur autem Bulla, ut diximus, de Meretricibus publice inhoneſtis, & non uxoratis.

Notandum 3. in hoc eodem caſu, in quo etiam ſermo eſt de Viris illis recipientibus pretium pro actu turpi habito cum Mulieribus: acceptionem hujuſmodi pretii reſtringi ad mulieres liberas, ſeu non uxoratas; unde ut cum Trullench docet Bardi n. 11. Si vir aliquis copulam habens cum uxorata, ideo recipiat ab ea pecuniam, aut aliquid aliud, nequit Vir ſuper accepto ſe componere, quia, per ſe loquendo, tenetur, illud reſtituere marito illius fœminæ, quam carnaliter agnovit. Dictum eſt *per ſe loquendo*: nam ſi Mulier habeat bona paraphernalia, ſeu præterdotalia, vel alia, de quibus ad ſui libitum diſponere valeat, tunc quidem poterit vir compoſitionem facere.

Unde notandum 4. Etiam publicæ Meretrices, ſi receperint aliquid a perſonis, quæ donare non poterant: ut a filiis-familias, a Religioſis, & a ſimilibus; vel ab iis quidem, qui alienare poſſunt, ſed acceperint pretium exceſſivum, aut per fraudem, aut vim: non poſſunt ex vi hujus caſus hac ſubſectione explicati, ſe componere ſuper illo pretio, aut ſuper ejus exceſſu, etiamſi facta diligentia ad inveniendum eum, cui fieri debeat reſtitutio, illum non inveniant. Rodriqu. n. 64. & 67. Bar-

di n. 12. & ſignificat etiam Henriq. loco infra cit. Dixi: *ex vi hujus caſus*: quia, ut idem Bardi l. citat. notat, poſſunt ſe componere ex vi ultimi caſus ſubſ. 19. explicandi, ſi Dominum non inveniant: quia ille caſus, ut ibi videbimus, eſt univerſaliter admittens ad compoſitionem ſuper debitis quibuſcumque incertis; id etiam conceditur in primo caſu, ut vidimus ſubſ. 1. ubi explicavimus illum.

Notandum 5. in præſenti caſu compoſitionem concedi tamquam beneficium, ex ſuppoſitione illius ſententiæ volentis, pretium, quod fœmina libera ſeu non uxorata nec publice inhoneſta pro uſu ſui corporis reportavit, dandum eſſe pauperibus; ſimiliter ſi vir turpe aliquod lucrum ex ſimili crimine receperit. Cæterum oppoſita ſententia, quod nimirum non adſit in hoc caſu obligatio reſtituendi, ſeu reddendi pauperibus, ſed quod poſſit hujuſmodi pretium retineri, hæc, inquam, ſententia probabilior reputatur. Videri poteſt La-Croix *lib.* 3. *par.* 2. *qu.* 59. §. 1. *n.* 289. Unde in hac poſteriori ſententia non eſt opus compoſitione, ut notat Henriq. *in ſum. lib.* 7. *c.* 35. *n.* 3. Tambur. §. 1. *n.* 19. Verum quia Commiſſarius ſequutus eſt priorem ſententiam probabilem, ſuadenda eſt compoſitio.

Notandum denique ex Trull. & Bardi n. 12., quod dictum eſt de Meretricibus, extendendum ad alios, nempe ad mimos, hiſtriones, paraſitos; nam ſi his ob turpes actus, quos exercent, aliquid promittatur, tenebitur promittens, ſequuto effectu, adimplere promiſſum, eiſque ſatisfacere; & juxta illam opinionem, quæ univerſaliter docet, acquiſita per actus turpes, eſſe pauperibus diſtribuenda, poterunt tales perſonæ ſe componere; licet ſecundum aliam opinionem, quæ eiſdem concedit, poſſe ea, quæ acquiſierunt ob prædictos actus, ſibi retinere, compoſitione non indigeant.

SUBSECTIO XVIII.

CASUS XVIII.

DI più ſe qualcuno aveſſe venduto vino temperato per puro, o miſurato con falſa miſura, o venduto qualſivoglia altra coſa con minor peſo, o miſura, o venduta una coſa per un' altra, o meſcolato, e malpeſato, o malmiſurato, non ſapendo a chi reſtituire, ſi può comporre. 476

In hoc caſu exprimitur admixtio acquæ cum vino, idem vero debet intelligi de alia ſimili, nempe de admixtione unius rei cum alia re extranea, per quam deterior fit res illa, cui fit mixtio, & venditur, ut pura, ut eſt e. g. mixtio paleæ cum frumento, ſtamni cum argento; vel venditio cum menſura, quæ non ſit juſta quoad pondus, ſed deficiens; & ſermo eſt in iis caſibus, in quibus intervenit injuſtitia, atque adeo reſtituendi obligatio; quod dicitur, quia circa mixtionem unius materiæ cum alia, & præſertim dum miſcetur aqua cum vino, poſſunt fingi varii caſus, in quibus non cenſeatur eſſe peccatum, & per conſequens nulla ſit obligatio reſtituendi, qua ceſſante, nulla erit compoſitionis neceſſitas; ut obſervat Bardi *diſſert.* 2. *c.* 2. *ſect.* 5. *n.* 35. & de his caſibus fuſe agit Cardinalis de Lugo *to.* 2. *de juſtit. diſp.* 26. *ſect.* 5. *a n.* 66. loquens de emptione, & venditione,

& videri etiam poteſt Rodriqu. n. 74. Sermo igitur eſt in iis caſibus, in quibus ob peccatum injuſtitiæ remaneat obligatio reſtituendi. Igitur, qui modo explicato in emptionibus, & venditionibus fraudem commiſit, tenetur reſtituere illi, qui damnum eſt paſſus; ſi autem fraudans poſt diligentem inquiſitionem perſonas læſas invenire non poſſit, & ignoret illas: juxta principia univerſalia ſæpius hic poſita, ac repetita, & communiter a Doctoribus recepta, reſtitutio facienda erit pauperibus, aut id, quod debetur, piis erit uſibus applicandum; ita enim Dominorum voluntas eſſe rite præſumitur; & ideo locum habere poterit compoſitio per Cruciatam; per quam applicatio ſit operi valde pio, nempe ſacræ expeditioni in defenſionem Chriſtianæ Religionis. Et quidem compoſitionem hanc fieri poſſe, declaratur a Commiſſario, caſu præſenti.

477 Qu. Si Tabernarii, Piſtores, & aliæ ſimiles perſonæ vinum aqua dilutum, vel mercem aliquam, cui admixta ſit res extranea, propter quam a propria perfectione, & bonitate defecerit, vendant minutatim variis perſonis alicujus Communitatis; vel ſi fraus fiat in menſuris, & ponderibus, ita ut emptores contra juſtitiam lædantur; atque adeo prædicti Tabernarii, Piſtores &c. teneantur reſtituere hujuſmodi lucrum injuſtum; utrum in hoc caſu dici poſſit, non conſtare de iis, quibus reſtitutio eſt facienda, atque adeo prædictos Tabernarios, Piſtores &c. poſſe, ſe componere ſuper injuſto lucro prædicto?

℟. Alii abſolute affirmant, alii vero abſolute negant, alii denique diſtinctionibus utuntur, ex quibus clarior, & verior eſſe videtur, hæc: in poſito caſu quo prædicti Tabernarii, Piſtores, ſimileſque perſonæ ignorent ementes in particulari, & quantum unumquemque per minima defraudaverint: ſi conjectura ſit, plus minus perſeverare eoſdem ementes, aut ementium hæredes; tunc dicendum eſt: nequaquam eſſe ſimpliciter incertos eos, quibus reſtitutio facienda eſt, ſed de iis ſufficienter conſtare; atque adeo non poſſe prædictos Tabernarios, Piſtores &c. ſeſe juvare beneficio compoſitionis, ſed teneri integrum debitum reſtituere iis, quos defraudaverint; & quidem optimus modus reſtituendi erit, ut tantum det, qui ita defraudavit, in pondere: aut menſuram accreſcat, vel decreſcat in pretio; ita ut ad æqualitatem eidem Reipublicæ, ſeu eidem communitati reſtituat quoad eoſdem emptores, quam maxime fieri poſſet.

Secus autem eſſet, ſi prædicta conjectura non haberetur de perſeverantia eorumdem ementium, aut hæredum illorum; tunc quidem non ſufficienter conſtaret de dominis, quibus debitum reſtituatur; unde liceret ſe componere ſuper prædicto injuſto lucro.

Hæc tertia ſententia cum hujuſmodi explicata diſtinctione procedens mihi valde arridet, eamque in praxi judico ſuadendam, tamquam rectæ rationi valde conſonam, & Communitatibus prædicto modo fraudatis gratam, & utilem, nec omnino contrariam fraudatoribus ipſis.

Verum hæc ſententia a nobis admiſſa videtur tantum conſulere iis Tabernariis, Piſtoribu &c. qui volentes exonerare conſcientiam ſuam pro injuſto lucro, quod acquiſiverint modo

do explicato, habeant voluntatem proſequendi in eodem munere, & permanendi in eodem loco. Quid ergo dicendum de iis, qui non debent amplius vendere eaſdem merces, vel non in eodem loco?

℟. De his videtur dicendum: quod, ſi nihilominus inveniant aliquam viam, ſeu modum reſtituendi ſimilem ei, quem hic ſupra poſuimus: debeant adhuc integrum injuſtum lucrum reſtituere iis, quos fraudaverint. Exemplum ſit: In parvo Oppido unicus adſit vini venditor, qui populum ad ſe confluentem defraudaverit modo prædicto; unde volens exonerare conſcientiam ſuam, cogitet reſtituere, & ſimul non valeat amplius vendere vinum; loco autem ipſius alter incipiat vendere vinum, qui etiam unicus ſit, & ad eum confluant iidem emptores, qui confluebant ad priorem; in hoc caſu deberet prædictus fraudator per aliam tertiam perſonam mittere ſummam defraudatam ad Gubernatores Oppidi cum hoc onere, quod illam dent novo venditori, eidem imponendo, ut per aliquod tempus vendat vinum populo pretio minori, quam valeat, vel ejus menſuram accreſcat, uſquequo integrum debitum extinguatur. Simile exemplum ponit Diana *edit. coord. to.* 4. *tr.* 3. *R.* 172. de Senatore Civitatis, qui emit ſalmam frumenti ad Tarenos 30. ſed aſſeruit illam emiſſe ad Tarenos 36. quæratque: an poſſit uti Bulla compoſitionis, cum illud frumentum illo cariori pretio emiſſent Cives in pane cocto? Hujuſmodi fraudatorem obligat Diana ad reſtitutionem faciendam ipſis civibus, ſi conjectura ſit plus minus perſeverare eoſdem ementes, aut ementium hæredes. Modum autem reſtituendi ponit §. 3. ex Molina dicens: Senatorem ſupradictum poſſe per tertiam perſonam mittere ſummam defraudatam in emptione frumentorum ad Magiſtratus Civitatis cum hoc onere, ut per aliquod tempus faciant panem coctum populo minore pretio vendere, vel ejus menſuram accreſcere, uſquequo perveniatur ad ſummam fraudatam, & reſtituendam. Ita ergo in ſimili noſtro caſu. Super hac quæſtione videri poteſt præter modo citt. Filliuc. tom. 2. tr. 32. c. 4. qu. 5. n. 97.

SUBSECTIO XIX.

CASUS XIX.

Di più generalmente puoſſi comporre ſopra qualſivoglia genere d' Azienda illecita, e malamente avuta, mal guadagnata, ed acquiſtata, così per uſura, o ingordo premio, come in qualſivoglia altra maniera, o traffico, o ufficio, non ſapendo il Padrone, cui legitimamente poſſa reſtituirſi; ben inteſo però, che non ſiaſi meſſo a così fatti guadagni con la fiducia di quietare il rimorſo della ſua coſcienza, mediante queſta compoſizione: perchè in tal caſo deve reſtituire tutto interamente alla S. Cruciata in ſuſſidio delle Guerre contro gl' Infedeli. 479

Hic eſt ultimus caſus a Commiſſario explicatus in Bulla vulgari compoſitionis: in hoc ultimo continetur primus caſus, & in utroque facultas datur, ſe componendi ſuper lucro illicito provenienti vel per uſuras, vel per quamcumque aliam negotiationis ſpeciem, poſt factam debitam diligentiam ad inveniendum creditorem. In hoc autem ultimo caſu apponit Commiſſarius quamdam generali-

ralitatem, dicens: beneficium compoſitionis virtute Cruciatæ concedi ſupra quodcumque bonorum genus illicite acquiſitum, ſive per uſuram, ſive per quemcumque alium modum, aut ratione officii, aut negotiationis, ſi Dominus, aut creditor ignoretur; cum hac tamen conditione, ut talia bona poſſidens non acceperit ſub fiducia compoſitionis, quia in tali caſu invalida erit compoſitio, & totum lucrum erit reſtituendum Sanctæ Cruciatæ in ſubſidium Belli contra Infideles.

Quænam dicantur illicite habita, & male ablata? explicavimus ſubſ. 1. caſu 1. n. 445.

De ignorantia Dominorum, & diligentia pro iis inveniendis egimus ſect. 1. ſubſ. 1. §. 3.

De confidentia prava a compoſitionis beneficio removente diſputavimus l. cit. §. 4. ubi etiam qu. 4. examinavimus: utrum in caſu confidentiæ pravæ invalida ſit reſtitutio pauperibus: aut ſaltem peccetur graviter contra præceptum ac diſpoſitionem prædictam Commiſſarii Generalis: qui nimirum vult totum debitum applicandum eſſe in Beneficium Cruciatæ?

480 Hactenus de caſibus in Bulla compoſitionis vulgari explicaris a Commiſſario Generali Cruciatæ, in quibus a Summo Pontifice conceditur ipſi Commiſſario facultas admittendi ad compoſitionem eos, qui voluerint ſeſe componere, ſeu per Bullam, ſive per recurſum immediatum ad ipſum Commiſſarium eo modo, quem explicavimus ſect. 1. ſubſ. 1. §. 2. & eadem ſect. 1. ſubſ. 2. §. 3. Numeravimus autem caſus decem ſupra novem in prædicta Bulla ipſa vulgari deſcriptos, in quibus conceditur compoſitio; ſed animadvertendum eſt, enumerari caſus prædictos explicite, quia frequentius contingere ſolent; cæterum facultas in hac re Commiſſario Generali conceſſa eſt ampla; & extenditur ad quæcumque illicite, & male habita, ut patet ex ipſo contextu in Bulla latina originali, & in hoc ultimo caſu expreſſo in Bulla compoſitionis vulgari, ubi, ut notavimus, ponitur quædam generalitas complectens etiam alios caſus non expreſſos in ipſa Bulla: quemadmodum cum Alphonſo de Lara advertit Bardi *diſſert.* 2. *cap.* 3. *ſect.* 3. *n.* 32.

ARTICULUS IV.

De Bulla parva, ſeu Lacticiniorum, & Ovorum.

PER Bullam Cruciatæ Vivorum, ſeu communem conceditur inter alia privilegium comedendi ova, & lacticinia, diebus jejuniorum, etiam quadrageſimalium pro libito quoque, & ſine neceſſitate ulla. A quo tamen Indulto, ut vidimus art. 1. ſect. 1. ſubſ. 1. initio, quoad Quadrageſimam tantum, ſeu quoad jejunia tantum quadrageſimalia excluduntur Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique Superiores, vel inferiores Prælati; Regulares item omnes, qui non ſint Ordinis Militaris; denique Sacerdotes Sæculares: niſi prædicti fuerint ſexagenarii. Hi quidem omnes etiam eleemoſynam tribuendo pro Bulla Cruciatæ vivorum, ſeu communi, non poſſunt tamen prædicto privilegio frui, *eo quod Eccleſiaſtici Sæcularibus abſtinentiores eſſe debeant*; quæ ratio aſſignatur a Pontifice in Bulla origina- 481

li

li latina, ut etiam loc. cit. notavimus.

Licet autem id ita ſe habeat: nihilominus deinde Urbanus VIII. Pontifex Maximus anno 1624. die 13. Junii laudatis iiſdem Venerabilibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aut aliis inferioribus Prælatis, nec non Presbyteris Sæcularibus dumtaxat, ut quadrageſimali tempore (Hebdomada tamen majori excepta) ovis ſimiliter, ac lacticiniis pro eorum libito uti, & veſci poſſent Apoſtolica indulſit auctoritate: data ab iiſdem eleemoſyna per Commiſſarium Generalem Cruciatæ taxandam.

Quæ quidem conceſſio incluſa eſt in ipſa originali Bulla latina Cruciatæ verbis a nobis modo deſcriptis; unde Commiſſarius Generalis facultate ſibi a Summo Pontifice facta, compoſuit unam quamdam particularem Bullam ad hujuſmodi effectum ſpecialiter tradendam prædictis, quæ *Bulla lacticiniorum* vocari ſolet, propter unicum expoſitum privilegium, ſeu Indultum, quod in ſe deſcriptum continet; vocari etiam ſolet *Bulla parva* ob rationem ſignificatam ſub capitis hujus init. n. 1.

482 Notandum hic 1. quod pro Luſitania militat alia diſpoſitio. Vid. ſup. num. 284.

483 Notandum 2. Regulares excluſos a privilegio lacticiniorum per Bullam magnam, ſeu communem, nullo item modo uti poſſe parva iſta Bulla: quia de illis nulla fit mentio in enumeratione illorum, qui licet ſimiliter excludantur ab uſu lacticiniorum, per hoc aliud tamen ſpeciale privilegium deinde admittuntur, ad fruendum hujuſmodi Indulto veſcendi nimirum ovis, & lacticiniis in jejuniis quadrageſimalibus: ut patet ex verbis Bullæ ſuperius deſcriptis. Et etiam quia excluduntur poſitive per dictionem illam *dumtaxat*; ait enim Pontifex indultum hoc concedere Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis inferioribus Prælatis, nec non Presbyteris ſæcularibus *dumtaxat*: Quinam vero veniant Regularium nomine? explicavimus art. 1. ſect. 1. ſubſ. 1. q. 3.

Quæſtiones aliquas Bullæ lacticiniorum proprias hic movebimus, & reſolvemus, quod diſtinctis ſectionibus majoris claritatis gratia præſtabimus, nimirum

SECTIONIBUS V.

Sect. I. *De iis, quibus hæc Bulla conceditur.*

Sect. II. *De eleemoſyna largienda pro Bul. lacticinior.*

Sect. III. *De tempore pro quo lacticinior Bulla conceditur.*

Sect. IV. *De locis, ubi hac Bulla uti liceat.*

Sect. V. *De aliis requiſitis Bullæ lacticiniorum.*

SECTIO I.

De iis, quibus hæc Bulla conceditur.

Qu. I. Quinam hic veniant nomine inferiorum Prælatorum, quibus hæc Bulla conceditur? Dicit enim Pontifex, illam concedere Patriarchis, Prematibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis inferioribus Prælatis; 484

℞. Licet art. 1. ſect. 1. ſubſ. 1. qu. 5. agentes de Prælatis inferioribus excluſis a privilegio lacticiniorum per Bullam communem docuerimus, horum

rum nomine venire eos, qui proprie, & ſimpliciter ſunt Prælati, ut Abbates, Generales Religionum, Provinciales, Guardiani, Priores, Rectores, Præpoſiti, & ſimiles juriſdictionem ordinariam, & ſpiritualem habentes; Nihilominus loquendo in ordine ad incluſionem per præſentem Bullam lacticiniorum non veniunt niſi ſolum Abbates; quorum etiam nomine illi ſoli intelligendi hic veniunt, qui ſunt Abbates benedicti, & qui juriſdictionem Epiſcopalem, aut quaſi Epiſcopalem in ſuo Territorio exercent. Profecto nomine Prælatorum in hac Bulla non Prælati Religionum, ſed præciſe illi, qui Eccleſiæ Prælati ſunt, veniunt. Et vero licet in hac Bulla parva poſt Epiſcopos ponantur Prælati inferiores, & ſic alicubi videri poſſit, prædictos Superiores comprehenſos eſſe; attamen Commiſſarius in Bulla Hyſpanica, ſeu vulgari præſcribens eleemoſynam, quæ juxta Dignitatis gradum eſt major, aut minor, ut infra videbimus: nequaquam nominavit inferiores Prælatos, ut diſtinctos ab Abbatibus, ſed ſolos Abbates poſuit immediate poſt Epiſcopos, alios Prælatos omittendo; ex hoc quidem colligi poteſt, ſolos Abbates prædictos hic comprehendi ſub nomine Prælatorum inferiorum, qui admittuntur ad gaudendum privilegio Bullæ lacticiniorum. Vide Bardi *cit. ſect.* 5. 128. & Salmantic. *in Append. tr. 6. de Bull. Cruc. c. 5. pu. 3. n. 68. & 75. fine*.

Dictum eſt: ex Prælatis inferioribus *proprie, & ſimpliciter talibus* non poſſe &c. ad ſignificandum, quod non excludantur Clerici Presbyteri Sæculares curam Animarum habentes, quamvis dicantur etiam Prælati, ſed late ſumpto vocabulo; unde hujuſmodi Clerici Presbyteri bene poſſunt frui privilegio Bullæ hujuſmodi parvæ. Profecto ſupracit. qu. 5. explicantes quinam veniant Prælatorum nomine excluſorum a privilegio lacticiniorum per Bullam communem? diximus: non venire prædictos Clericos, ſed ſolum eos, qui proprie, & ſimpliciter ſunt Prælati, ut Abbates, &c.

Qu. II. Utrum indigeant Bulla lacticiniorum Cardinales non Presbyteri? 485

℞. Negative; ſed hi poſſunt per ſolam Bullam communem edere lacticinia, ut docuimus art. 1. ſect. 1. ſubſ. 1. qu. 6.

Interrog. Quid? ſi Cardinalis ſit 486 Sacerdos, aut aliquam habeat veram Prælaturam.

℞. Adhuc Bulla hac indigere negat Mendo, ſed per ſolam Bullam communem poſſe edere ova, & lacticinia concedit, ut diximus cit. qu. 6. in reſponſione ad interrogationem n. 11. ſed etiam ibi docuimus: oppoſitam ſententiam eſſe communem, & in praxi omnino ſuadendam.

Qu. III. An ſimplices Clerici ſæ- 487 culares non Sacerdotes indigeant hac Bulla?

℞. Negative, ſed per ſolam Bullam communem poſſunt edere ova, & lacticinia, ut docuimus art. 1. ſect. 1. ſubſ. 1. qu. 7. Verum ex qu. 8. ſubſectionis prædictæ colliges; indigere hac Bulla mox in reliquis diebus Quadrageſimæ, poſtquam intra eam ordinati fuerint Sacerdotes.

Qu. IV. An Regulares promoti ad 488 aliquam Dignitatem ex ſuperius enumeratis, & admiſſis ad fruendum beneficio hujus Bullæ, poſſint eo uti? ut ſi Regularis fiat Epiſcopus.

℞. Affirmative. Vid. Bardi a nu. 123. Tambur. *n.* 10. Ser. *n.* 15. & 16. Salmantic. *n.* 69.

489 Interrog. An id procedat etiam pro Regularibus aſſumptis ad Epiſcopatum ex Ordine, in quo eſt proprium inſtitutum abſtinere ex voto a carnibus, & lacticiniis? ut ſunt Religioſi Minimi Ordinis S. Franciſci de Paula.

℞. Etiam de his, contra Mendo affirmat Bardi n. 132. Tambur. nu. 11. Marc. Ser. n. 16. Salmantic. n. 71. Sed vide dicta tr. 1. lib. 3. 25. Decemb. art. 1. ſect. 9. q. 13. n. 126.

490 Interrog. 2. An id procedat pro Epiſcopo Regulari etiam non habente ſubditos, quando eſt ſolum Titularis.

℞. Affirmative. Vid. Bardi n. 126. Tambur. nu. 12. Ser. num. 16. Salmantic. num. 72.

491 Interrog. 3. An id etiam valeat pro Epiſcopo Regulari, qui Epiſcopatum renunciavit?

℞. Affirmative. Vid. Bardi n. 127. Tambur. & Ser. l. l. cit. Salmantic. num. 72.

492 Interrog. 4. An id etiam valeat pro Epiſcopo Regulari, qui renunciavit juriſdictionem Epiſcopalem, & dignitatem?

℞. Negat Bardi n. 127. quia in hoc caſu profeſſio regularis non eſt amplius conjuncta cum dignitate Epiſcopali, atque adeo Regularitas excludit Regularem ab hoc privilegio. Verum Tambur. n. 12. dicit, difficilem ſibi eſſe deciſionem hanc Panis Bardi; quia cum in prædicto Regulari ſemper remaneat character Epiſcopalis, numquam poterit ſe Dignitate Epiſcopali ſpoliare.

493 Interrog. 5. Quid de Regulari Epiſcopo degradato?

℞. Excludi ab hoc privilegio. Vid. Bardi num. 127. Tambur. num. 12. Salmantic. num. 72.

Interrog. 6. An Regularis factus Cardinalis poſſit uti hac Bulla? 494

℞. Regularem factum Cardinalem non indigere hac Bulla, ſed per ſolam Bullam communem poſſe edere ova, & lacticinia, contendit Mendo, cui, ſi non ſit ſimul Sacerdos, aut Patriarcha, adhærent Salmantic. n. 73. Mendi ſententiam putat eſſe probabilem Diana *edit. coord. tom.* 4. *tr.* 3. *R.* 164. §. 6. qui tamen ibidem teſtatur, oppoſitam aliorum eſſe communem; & vero non poſſe per Bullam communem, cum communi docuimus art. 1. ſect. 1. ſubſ. 1. qu. 6. in reſponſione ad ſubj. ctam Interrogationem n. 11. Nec quidem poſſe hac Bulla parva frui, docent Bardi n. 129. Tambur. nu. 11. Ser. n. 16. fine, aliique apud Dianam l. cit. §. 1.

Qu. V. Utrum laici Sæculares, vel Clerici Sæculares non Presbyteri poſſint ovis, & lacticiniis diebus vetitis veſci per ſolam Bullam hanc parvam lacticiniorum? 495

℞. Puto, quod non; hæc enim ſatis clare dirigitur ad certas determinatas perſonas, determinatam qualitatem habentes, puta ad Sacerdotes Sæculares, ad Epiſcopos &c. quapropter ſi Laicus Sæcularis; vel Clericus Sæcularis non Sacerdos pro Bulla communi reciperet hanc Bullam lacticiniorum, non videtur poſſe frui ſolo etiam privilegio veſcendi ovis, & lacticiniis, tamquam ex vi Bullæ Cruciatæ.

S E-

SECTIO II.

De eleemoſyna largienda pro Bulla Lacticiniorum.

496 Qu. I. De quantitate eleemoſynæ largiendæ pro Bulla Lacticiniorum.

℞. Eſſe diverſam pro diverſitate qualitatis perſonarum illam accipientium, ut conſtat ex ipſa vulgari Bulla lacticiniorum, in qua Commiſſarius Generalis ſequentem taxam præſcribit.

1. Pro Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus Reales viginti quatuor.

2. Pro Dignitatibus, & Canonicis Eccleſiarum Cathedralium, vel Collegiatarum Reales octo.

3. Pro illis, qui gaudeant portionibus, vel portionum medietatibus, & pro Beneficiariis, curam habentibus Animarum, vel non habentibus, quorum redditus annuus ſit ſcutorum trecentorum Reales ſex.

4. Pro habentibus Beneficium, Capellaniam, vel portionem, quorum redditus annuus non minus ſit, quam Scutorum ducentorum: Reales quatuor.

5. Denique pro Sacerdotibus reliquis Sæcularibus taxavit Commiſſarius Reales duos. Eſt autem unus Realis, unus tarenus monetæ Siculæ, & grana ſex cum parte grani; nimirum duo Regales ſunt monetæ Siculæ duo tareni, & grana duodecim cum dimidio: ut declaravimus art. 1. ſect. 2. ſubſ. 3. qu. 1. Interrog. 1. num. 314. & conſtat ex Summario vulgari Bullæ.

497 Qu. II. De quorum bonorum redditu intelligitur hic, ubi eleemoſyna taxatur juxta redditum bonorum annuorum, ut eſt in tertia, & quarta taxa?

℞. Sermonem eſſe de redditu bonorum eccleſiaſticorum, hoc eſt bonorum, quæ quis habet ab Eccleſia, ſeu ratione Beneficii eccleſiaſtici, deductis oneribus, quæ forte ſint in illo Beneficio. Quare ſi quis habeat bona patrimonialia, vel propria induſtria conquiſita, quamtumvis pinguia, ſi tamen id, quod habet ratione Beneficii, portionis, penſionis &c. non accedat ad redditum annuum in prædicta taxa definitum, non obligabitur dare eleemoſynam ſecundum illam taxam particularem, ſed ſecundum communem pro communibus, & reliquis Sacerdotibus definitam, quæ eſt duorum Realium; ita cum Gallego, & Trull. Tamb. c. 8. §. 5. n. 6. Salmantic. *in append. to. 6. de Bull. Cruc. c. 5. pu. 3. n. 79. & 80.*

Qu. III. Si Epiſcopi, ſi Abbates &c. pro quibus non fit mentio quantitatis bonorum eccleſiaſticorum, pauca habeant, hoc eſt, habeant bona eccleſiaſtica non pertingentia ad annuum redditum ſcutorum trecentorum: an obligentur taxam illam viginti quatuor Realium contribuere pro hac Bulla? Idem quæritur de Dignitatibus Canonicalibus, pro quibus etiam nulla fit mentio quantitatis bonorum eccleſiaſticorum? An ſi horum redditus eccleſiaſtici non pertingant ad ſcuta ducenta obligentur ad taxam octo Realium? 498

℞. Affirmative: quia quoad prædictos habitus eſt ſolum reſpectus ad dignitatem eorum; unde ad prædictam taxam tenentur, etiamſi nullos habeant redditus eccleſiaſticos. Tambur. n. 7. Marcus Serio *in Bull. Cruc. diſput. 3. diffic. 1. qu. ult. nu.* 18. Salmanticen. *in append. to. 6. de*

Bull. Cruc. c. 5. *pu.* 3. *n.* 77. Trullench. Galleg.

499 Qu. IV. An Coadjutor v. g. Canonici, vel cujuſcumque Beneficiarii veniat nomine Canonici, Beneficiarii; ita ut debeat dare eleemoſynam conſtitutam pro illis, quorum eſt Coadiutor?

℞. Negative. Vid. Tambur. nu. 8. & Salmantic. l. cit. fine.

500 Qu. V. Ubi determinatur eleemoſyna quatuor Realium habentibus Cappellaniam: de qua Cappellania ſermo ſit?

℞. De Cappellania, quæ ſit Beneficium eccleſiaſticum, ad cujus titulum eam poſſidens ordinari valeat. Vid. Salmantic. l. cit. n. 21.

SECTIO III.

De Tempore, pro quo lacticiniorum Bulla conceditur.

501 CONSTAT ex dictis articuli hujus initio: lacticiniorum Bullam concedi pro quadrageſimali tempore in ſenſu inferius explicando num. 503. Hebdomada majori excepta; congruentia vero hujus exceptionis facile intelligetur ex dicendis hoc lib. 4. par. 2. c. 8. n. 1.

502 Notandum hic tamen 1. Hebdomadam majorem incipere a Dominica Palmarum. Porro prima dies cujuslibet hebdomadæ eſt Dominica, ut vidimus tr. 1. lib. 2. ubi de Dominica qu. 1. hinc ſequitur, eos, quibus conceditur uſus hujuſmodi Bullæ parvæ lacticiniorum, non poſſe ova, & lacticinia comedere in Dominica Palmarum: quantum eſt ſaltem ex vi prædictæ Bullæ; ut notant, & monent Bardi cit. ſect. 8. n. 130. Tambur. n. 5. Marc. Ser. cit. qu. ult. n. 17. Dixi: *ſaltem ex vi Bullæ hujus parvæ lacticiniorum:* quia probabilis eſt ſententia docens excluſos a privilegio edendi ova & lacticinia per Bullam magnam, ſeu communem Cruciatæ non prohiberi illa edere in Quadrageſima, niſi ſolum in diebus jejuniorum quadrageſimalium; quapropter poſſe illis veſci in omnibus Dominicis Quadrageſimæ, ſi Bullam illam magnam, ſeu comnem habuerint; vid. dicta art. 1. ſect. 1. ſubſ. 1. qu. 12.

Notandum 2. Prædictos Prælatos & Presbyteros non indigere hac Bulla, niſi ante ſexageſimum annum: ſi enim fuerint ſexagenarii, licet iiſdem ova, & lacticinia comedere per ſolam Bullam communem: ut conſtat ex dictis art. 1. ſect. 1. ſubſ. 1. initio, & ibidem qu. 13. An autem opus ſit, ut compleverint annum ſexageſimum, vel ſufficiat ſi ſolum illum attigerint? examinavimus eadem qu. 13. in ſubjecta interrogatione num. 21.

Notandum 3. prædictos Prælatos, & Presbyteros non indigere hac Bulla parva lacticinorum, niſi pro ſola Quadrageſima; enimvero in jejuniis extra Quadrageſimam & ipſi poterunt veſci ovis, & lacticiniis per ſolam Bullam magnam, ſeu communem Cruciatæ in locis, ubi ea promulgatur: etiam ubi ſit conſuetudo abſtinendi a non habentibus Bullam, ſecundum doctrinam traditam art. 1. l. cit. qu. 15. n. 23.

Sed Qu. Utrum prædicti Prælati, 503 & Presbyteri ſæculares poſſint in jejuniis extra Quadrageſimam veſci ovis, & lacticiniis per ſolam Bullam hanc parvam lacticiniorum in locis, ubi eſt conſuetudo ab illis abſtinendi? Dubium autem oritur ex eo, quia

quia dictum eſt, concedi pro tempore quadrageſimali, excepta majori hebdomada.

℟. Affirmative, quia licet dicatur hæc Bulla parva ipſis concedi *pro tempore quadrageſimali*: ſenſus tamen non eſt, concedi pro ſolo tempore Quadrageſimali: ſed ſenſus eſt, concedi pro omni tempore, excepta majori hebdomada: concedi, inquam, pro omni tempore, in quo ſit alias prohibitum veſci cibis prædictis; etiam ex jure communi, etiam illo, quo rigorioſior quam umquam præſcribitur abſtinentia; ut plane præſcribitur quadrageſimali tempore; quod quidem aperte ſignificatur in Summario vulgari hujus Bullæ, in quo univerſaliter, & abſolute pro toto anno, excepta majori hebdomada, dicitur permitti uſus ovorum, & lacticiniorum, ſic enim legitur in fine .... *vi ſi permette l'uſo dell' ova, e de' latticinj (fuorchè nella Settimana ſanta) in queſt' anno mille &c.*

SECTIO IV.

De locis, ubi hac Bulla uti liceat.

504 BULLA iſta particularis, hoc eſt lacticiniorum non habet vigorem, niſi pro iiſdemmet locis, in quibus promulgatur Bulla Cruciatæ magna univerſalis, & communis; nam Bulla iſta parva cum ſit extenſio illius magnæ, reſpicere debet, & reſpicit Regiones eaſdem, quas Bulla magna reſpicit; & hic valet, quod Acceſſorium ſequitur naturam Principalis. Quemadmodum ergo ex vi Bullæ Communis; ſic etiam hujuſce Bullæ parvæ, non licet veſci ovis, & lacticiniis in locis, in quibus ejus uſus minime viget: & ita notant, & monent Bardi *cit. ſect.* 8. *n.* 121. Tambur. *n.* 4. *ſer. n.* 13. & 14. Salmantic. *c.* 5. *pu.* 3. *n.* 65.

SECTIO V.

De aliis Requiſitis Bullæ lacticiniorum.

Qu. UTRUM oporteat ſimul cum hac Bulla parva accipere magnam, ſeu Bullam communem, ut rite valeant ovis, & lacticiniis veſci ii, quibus hæc Bulla parva conceditur? 505

℟. Negative; ita Bardi n. 131. Tambur. n. 9. & nos etiam hic ſignificavimus ſect. 3. in reſponſ. ad qu. n. 503. Cæterum ea, quæ art. 1. ſect. 2. loquentes de Requiſitis Bullæ communis, diximus requiri pro illius licito, & valido uſu, omnia poſſunt proportionaliter, & reſpective aptari huic Bullæ, præcipit enim Commiſſarius hanc publicari eodem tempore, & loco, quo publicatur Bulla Cruciatæ communis. Profecto ut ſect. præced. notavimus: hæc Bulla continetur in Bulla magna originali latina, tamquam pars in toto, & eſt extenſio quædam privilegii illius, quo laicis, & Clericis Sæcularibus non Sacerdotibus in Bulla communi indulgetur, ut poſſint virtute illius in Quadrageſima uti ovis, & lacticiniis; ibi enim, ut vidimus excipiuntur Patriarchæ Epiſcopi &c. hoc tamen Indulto iiſdem hoc ipſum conceditur privilegium.

Hinc ſequitur: hanc etiam Bullam parvam eſſe accipiendam, & retinendam, ſeu aſſervandam tempore, quo ejus eſt privilegio utendum.

Inſcriptionem vero nominis, nec quidem in ipſa Bulla communi neceſſa.

ceſſariam eſſe, quamvis expediat, cum communi Doctorum docuimus art. 1. ſect. 2. ſubſ. 4. qu. 8. Et quamvis Tamburinus non omnino conſenſerit prædictæ communi ſententiæ, ut vidimus l. cit. nihilominus pro hac Bulla ipſemet concedit n. 13. minime requiri in ea inſcriptionem nominis illius, qui hanc Bullam accipiat latrociniorum. Et hæc ſatis pro ſufficienti ſcientia ad rectum uſum Bullæ Cruciatæ.

CAPUT III.

De Hor. Canon.

1 TEMPORE Quadrageſimæ fit officium ſex Dominicarum ſub ritu conſueto Dominicæ, ſcilicet ſemiduplici. Rubr. gen. Brev. tit. 2. n. 1. Omnes tamen prædictæ Dominicæ ſunt Majores, & privilegiatæ, licet non æquali claſſe, & ratione pari; Etenim prima Dominica Quadrageſimæ, & quinta, quæ eſt Paſſionis, nec non ſexta, quæ eſt in Palmis, ſunt Dominicæ Majores primæ claſſis, & ſpecialiter privilegiatæ, quippe quæ excludunt quodcumque aliud feſtum etiam primæ claſſis, ut Patroni loci, Tituli Eccleſiæ, Dedicationis ejuſdem: atque adeo nunquam omittuntur. Rubr. gen. Brev. tit. 9. n. 3. Et tit. 10. n. 1. Et in duab. tabel. excerpt. ex rubr. gener. Reliquæ vero tres Dominicæ Quadrageſimæ ſunt Majores ſecundæ claſſis, cedunt quidem feſto cuicumque ſolemni alicujus loci, quod in propria Eccleſia in iis occurrat 1. cl. ut Patroni loci, Tituli Eccleſiæ, & ejuſdem Dedicationis 1. cl. minime vero cedunt aliis Sanctorum feſtis 2. cl. Rubr. gen. Brev. tit. 10. n. 1. & in duab. tabel. excerpt. ex rubr. gener. Cur autem prædictæ Dominicæ dicantur 1. vel 2. cl.? vide hoc tr. 2. lib. 1. par. 1. c. 2. n. 1.

Itaque in Dominicis Quadrageſimæ ſemper fit Officium de Dominica, quocumque feſto duplici, vel ſemiduplici adveniente, quia tunc feſtum transfertur, niſi illud feſtum ſit de Principali Patrono alicujus Eccleſiæ, ſeu loci, aut Dedicationis propriæ Eccl. 1. cl. quia tunc de hujuſmodi feſto fit tantum in Eccleſia, vel loco, cujus eſt Titulus, vel Patronus, aut Dedicatio, cum Commemoratione Dominicæ in utriſque Veſperis, & Laudibus, ac nona lectione de homilia Dominicæ ejuſdem; Excepta Dominica prima Quadrageſimæ, Dominica Quinta, quæ eſt Paſſionis, & Dominica ſexta, quæ eſt in Palmis, de quibus Dominicis ſemper fit Officium, quia nulli omnino cedunt occurrenti feſtivitati. Rubr. gen. Brev. tit. 4. n. 1. tit. 9. n. 4. & 7. & tit. 10. n. 1.

In prædictis, ſi occurrat feſtum ſimplex, fit in Officio commemoratio tantum ſine nona lectione de eo, etiamſi habeat in Breviario propriam. Rubr. gen. Brev. tit. 9. n. 10. Quia cum dicendum ſit nonum Reſponſorium, non congruit, legere nonam lectionem de feſto, ſeu de Sancto.

Aliis diebus Quadrageſimæ (excepta Feria IV. Cinerum, quæ eſt 1. 2
cl.) uſque ad majorem hebdomadam, ſi occurrat feſtum duplex, vel ſemiduplex, fit de eo Officium cum commemoratione feriæ in utriſque Veſperis, & Laudibus, ac nona lectione de homilia feriæ. De Simplicibus fit ſola commemoratio ſine lectio-

ctione, etiamſi habeant in Breviario propriam. Rubr. gen. Brev. tit. 9. n. 2. 7. & 10., & rubr. particul. in fer. IV. Ciner. quia cum dicendum ſit in Officio de Feria tertium Reſponſorium, non congruit, legere tertiam lectionem de feſto, ſeu de Sancto: quemadmodum modo de eodem ſimplici occurrente in Dominica dicebamus. Quod ſi fiat commemoratio Simplicis in feſto duplici, vel ſemiduplici, nihilominus tacebitur nona lectio de ſimplici; quia adhuc legenda eſt de homilia feriæ Quadrageſimalis, quæ eſt dignior. Rubr. gener. Brev. tit. 9. n. 10.

Porro omnes feriæ Quadrageſimæ ſunt Majores, ſcilicet Privilegiatæ ex eo, quod occurente in iis feſto ſimplici, Officium fit de feria cum ſola commemoratione feſti ſimplicis, ut jam dictum eſt; rurſus, quodcumque feſtum in illis occurat, cui cedere debeant Officium, nihilominus ſemper de iiſdem fit ſaltem commemoratio in utriſque Veſperis, & Laudibus. Rubr. gen. Brev. tit. 9. n. 4. & 7. & in duab. tabel. excerpt. ex Rubr. gener. & in not. poſt tabell. occurſ. in Breviar. Gavantus in Rubr. Brev. ſect. 3. c. 6. n. 2.

Occurrente vero in feriis Quadrageſimæ Vigilia, nihil fit de Vigilia in Officio. Rubr. gen. Brev. tit. 6. n. 2. fin. Rationem quamdam indicavimus lib. 1. par. 1. c. 2. n. 8.

3 In Quadrageſima Oratio, quæ dicta eſt in Laudibus, dicitur tantum ad Tertiam, Sextam, & Nonam. In Veſperis autem ſequentibus dicitur alia propria. Rubr. gen. Brev. tit. 30. n. 2. Duæ itaque Orationes dicuntur quotidie in Officio feriali, quarum altera eſt Veſperarum propria. Idque Gavantus in Rubr. Brev. ſect. 6. c. 10. n. 3. dicit, eſſe, quia in Miſſa duæ item dicuntur ſuper populum, initio una, altera fine, ob rationes aſſignandas c. ſeq. n. 5.

Uſque ad Dominicam Paſſionis 4
proſequuntur in Dominicis Quadrageſimæ lectiones de Geneſi & Exodo, cœptæ in Septuageſima, ob rationem myſticam explicatam lib. 3. par. 1. c. 1. n. 4. fine. In Officio autem de feſto occurrenti lectiones 1. nocturni erunt de Scriptura, vel aſſignatæ, vel ſumantur de reſpectivo communi Sanctorum, ut in Breviario. Rubr. gen. Brev. tit. 26. n. 9.

Reſponſoria brevia horarum, quæ 5
ponuntur in Dominica 1. Quadrageſimæ, dicuntur in Officio de tempore uſque ad Dominicam Paſſionis excluſive. Rubr. gen. Brev. tit. 28. n. 4.

Preces feriales ad Laudes, & per 6
Horas, diſtinctæ ut in Pſalterio, dicuntur flexis genibus in feriis Quadrageſimæ. Dicuntur etiam ad Veſperas, ſi non ſequatur feſtum. Ad Completorium dicuntur conſuetæ de Dominica, ſed flexis genibus. Dicuntur autem preces flexis genibus ab Hebdomadario uſque ad verſum: *Dominus vobiſcum*: ante primam Orationem; a Circumſtantibus autem uſque ad verſum: *Benedicamus Domino*: poſt ultimam Orationem. Rubr. gen. Brev. tit. 34. n. 3. & 4.

Cantica lætitiæ: *Te Deum*. *Alle-* 7
luja. *&c.* quæ jam a 1. Veſperis Septuageſimæ diximus omittenda, potiori ratione omittuntur in Quadrageſima, ut patet, eſt enim tempus rigoroſæ pœnitentiæ propter peccata noſtra, fletus, & doloris propter Paſſionem, & Mortem Domini Salvatoris Mundi, quæ recolitur tempore Quadrageſimæ; Vide dicta lib. 3. cit. c. 1.

c. 1. n. 4. *Te Deum* itaque non dicitur in Officio de tempore Quadrageſimali, ſed poſt ultimam lectionem dicitur Reſponſorium. Rubr. gen. Brev. tit. 31. n. 2. & 4. *Alleluja* vero prorſus tacetur etiam in Officio de Sanctis, aliiſque feſtis uſque ad Sabbatum Sanctum: Sed fiat juxta id, quod dictum eſt lib. 3. cit. c. 1. n. 3.

8 Veſperæ in Quadrageſima, exceptis primis tribus diebus jejunii Quadrageſimalis, ſeu feria IV. V. & VI. poſt Dominicam Quinquageſimæ, & exceptis Dominicis ipſius Quadrageſimæ, recitantur ante comeſtionem, ſeu ante Meridiem. Rubr. Brev. in fer. IV. Ciner. La-Croix lib. 4. qu. 213. n. 1312. A Sabbato itaque, incluſive, ante Dominicam 1. Quadrageſ. recitantur Veſperæ ante Meridiem, exceptis Dominicis; ita quidem juxta Romanum ritum. Tradit autem Cavaler. in Comment. Decr. S. C. R. to. 2. par. 2. c. 38. n. 4. Carthuſianos, & alios incipere Veſperas anticipare feria ſecunda poſt Dominicam primam Quadrageſimæ; Pariſiis vero, & alibi in feria IV. Cinerum.

9 A feria IV. Cinerum incluſive uſque ad Dominicam in Albis incluſive, atque adeo in tota Quadrageſima non celebrantur Octavæ ſine ſpeciali conceſſione, aut privilegio antiquæ, & immemorabilis conſuetudinis, & quæ cœptæ fuerant, ea adveniente, abrumpuntur, ac ceſſant, ex Rubr. gener. Brev. tit. 7. n. 1. Decret. S. C. R. Cavaler. to. 2. c. 19. n. 10., & ibi in Decr. 1. a n. 7. Vide dicenda in fer. IV. Ciner. n. 6. Admiſſis jam intra Quadrageſimam Sanctorum feſtivitatibus, a qua olim erant excluſæ (confer dicta tr. 1. lib. 3. 18. Decembr. n. 2.) manent nihilominus ab eadem excluſæ illarum octavæ, ne ſæpius Quadrageſimale ſupprimatur Officium. Vid. Caval. in cit. d. 1. n. 2. & duob. ſequ. Privilegiati autem ad celebrandas octavas, videant ea, quæ notavimus hoc tract. 2. l. 1. par. 1. c. 2. n. 12. & in fer. 3. poſt Dom. Quinquag. & notabimus in fer. IV. Ciner. & in Sab. ante Dom. Paſſ. & in Dom. Paſſ. & in Sab. poſt Dom. Paſſ.

10 Ceſſat pro tota Quadrageſima privilegium recitandi Officia illa, quæ concedi ſolent recitanda ſemel in hebdomada vel menſe, ex Decr. S. C. R. quæ allegavimus tr. 1. l. 2. par. 1. c. 2. n. 3. Ratio eſt eadem ac pro octavarum excluſione modo ſignificata.

In Ditione autem, & Dominio Sabaudiæ qualibet feria VI. etiam in Quadrageſima, non impedita feſto duplici, vel ſemiduplici fit Officium Sanctiſſimæ Sindonis ritu ſemiduplici ex Decreto Benedicti XIII. 1727. 14. Auguſti apud Luc. Ferra. tom. 6. V. Reſolut. SS. CC. in priori ind. decret. num. 421. edit. 3. Bonon. *Indultum recitandi Officium SS. Sindonis qualibet feria VI. Feſto Duplici, vel Semiduplici non impedita, & ſpecialiter in Quadrageſima conceſſum univerſo Dominio Regis Sardiniæ a Benedicto XIII. ſuffragatur pro ſextis feriis Quadrageſimæ tantum* S. R. C. 8. Julii 1741. in Foſſanen. apud Luc. Ferrar. to. 8. in primo ſupplem. V. Reſolut. pag. 314. col. 2. edit. cit.

11 Per totam Quadrageſimam (excepta hebdomada majori. Gavant. in Rubr. Brev. ſect. 9 c. 2. n. 9. & c. 3. n. 8. & c. 4. n. 8.) in feriali Offi-

Officio fer. 2. dicitur Officium Defunctorum. Feria IV. dicuntur Pſalmi Graduales, etiam feria IV. Cinerum: latius ſumpto vocabulo Quadrageſimæ. Gavant. in Rubr. Brev. ſect. 9. c. 3. n. 7. Cavaſ. to. 2. par. 2. c. 46. in d. 4. n. 1. Feria VI. dicuntur ſeptem Pſalmi Pœnitentiales cum Litaniis: (præterquam in feriis majoris hebdomadæ, ut dictum eſt;) quæ omnia habentur in fine Breviarii Romani. *Rubr. Brev. fer. IV. Ciner.* Recitantur autem prædicta in prædictis feriis ad ſpecialem luctum oſtendendum in eis; enimvero in feria ſecunda recitatur Officium Defunctorum, ut lætitia Dominicæ minuatur ſtatim: multum enim in luctu, & dolore occupari debemus in Quadrageſima, ob rationes ſignificatas n. 7. Deinde in feria quarta recitantur Pſalmi Graduales, quia in illa venditus fuit Chriſtus: confer dicenda in feria 4. majoris hebdomadæ n. 126. Denique in feria ſexta recitantur Pſalmi Pœnitentiales, eo quod in ea feria Chriſtus fuerit Crucifixus; Ita Gavant. in Rubr. Miſſ. par. 4. tit. 6. n. 7.

Veſperæ Defunctorum in choro recitantur poſt Veſperas Dominicæ, ſi feria ſequatur, ſeu Officium feriale. Matutinum vero, & Laudes diei; niſi alia ſit conſuetudo Eccleſiarum. Extra chorum autem pro opportunitate temporis. Rubr. Brev. ante Offic. Defunct. Gavantus in Rubr. Brev. ſect. 9. c. 2. n. 17. ait: quod conſuetudo illa Regularium recitandi Matutinum Defunctorum Veſpere poſt Completorium pro die ſequenti: non videatur improbanda, ſi de Officio ex vi regulæ agatur; neque etiam ex vi Rubricarum, in quibus dicitur: *Niſi alia ſit conſuetudo Eccleſiarum.* Videri etiam poteſt Cavaler. to. 2. par. 2. c. 46. in d. 5. n. 3. & to. 3. c. 2. in d. 1. n. 4. confer dicta tr. 1. die 2. Novembris art. 1. n. 20. Pſalmi Graduales percurruntur ante Matutinum de more antiquo, & ante Officium parvum B. Virginis, quod facit unum cum Officio majori. Extra Chorum pro opportunitate temporis. Rubr. Brev. ibi, & Gavant. cit. ſect. 9. c. 3. n. 7.

Pſalmi Pœnitentiales recitantur flexis genibus poſt Laudes diei, dicto *Benedicamus Domino; Deo gratias.* Extra Chorum pro opportunitate temporis. Rubr. Brev. ibi, & Gavant. cit. ſect. 9. c. 4. n. 5. Cæterum etiam in Choro, *Pſalmi Graduales, & Pœnitentiales dicuntur licite, ubi eſt conſuetudo, eos dicendi pridie Veſpere feriæ IV. & VI. poſt Completorium.* S. R. C. 2. Aug. 1603. in Lauden. apud Caval. to. 2. c. 46. d. 5.

Litaniæ percurruntur poſt Pſalmos Pœnitentiales. Orationes, quæ ſequuntur, eſſe recitandas a Sacerdote ſtante, & non genuflexo: cum Gavanto, & Caſtaldo contra Bordonum docet Diana edit. coord. to. 2. tr. 1. R. 195. §. 6. Vide dicta tr. 1. l. 3. 25. April. n. 17.

Qu. I. Quoniam quolibet menſe, 13
prima die non impedita feſto novem lectionum recitatur Officium Defunctorum ex Rubr. Brev. quæres: Si in Quadrageſima recitari nequeat hujuſmodi Officium in feriis ſecundis, eo quod omnes ſint impeditæ feſto novem lectionum: quemadmodum accidit, quando feria IV. Cinerum occurrit die 28. Februarii:

uti notavit Gavantus cit. ſect. 9. c. 2. n. 12. Utrum ratione menſis erit ſemel ſaltem recitandum prima die non impedita feſto novem lectionum.

℟. Huic quæſtioni ſatisfecimus hoc tr. 2. lib. 1. par. 1. c. 2. qu. 1. n. 16., ubi egimus de ſimili caſu, qui poteſt occurrere in feriis ſecundis adventus, in quibus ſingulis ſimiliter præſcribitur recitari Officium Defunctorum; vide igitur ibi dicta.

13 Qu. II. An ſit obligatio recitandi diebus prædictis Quadrageſimæ Officium Defunctorum, Pſalmos Graduales, & Pœnitentiales, ac Litanias?

℟. De Officio Defunctorum jam diximus hoc tr. 2. lib. 1. par. 1. c. 2. qu. 3. n. 18. nullam adeſſe de eo recitando obligationem pro utentibus Breviario Romano, (præter diem Commemorationis Omnium fidelium Def.) ſive extra Chorum, ſive in Choro: Obligationem enim omnem ſuſtulit Pius V. ut ex ejus Bulla Breviario Romano præfixa conſtat: quod tamen intelligi debet præſcindendo ab alia obligatione aliqua, ſi forte adeſſet: Vide dicta l. cit.

Ob rationem eamdem nulla item eſt obligatio recitandi Pſalmos Graduales, & Pœnitentiales cum Litaniis pro iis, qui utuntur Breviario Romano. Conſervanda vero nihilominus eſt conſuetudo, ubi adſit, recitandi; Vid. Gavant. cit. ſect. 9. c. 3. n. 9. & c. 4. n. 14. Caval. to. 2. par. 2. c. 46. comment. in d. 4. Itaque S. Pius V. Pontifex obligatione omni ſublata, tantum hortatur ad illorum recitationem; allicit etiam per Indulgentiarum largitionem: ut videre eſt in citata ejuſdem Bulla, in qua hæc habet: *Quod vero in Rubricis hujus Officii præſcribitur, quibus diebus Officium Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & Defunctorum, item ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, & Graduales dici, ac pſalli oporteat: Nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præſcriptione removendum, duximus; verum debito providentiæ paſtoralis admoniti, omnes vehementer in Domino cohortamur, ut remiſſionem noſtram, quantum fieri poterit, ſua devotione, ac diligentia præcurrentes illis etiam precibus, ſuffragiis, & laudibus, ſuæ, & aliorum ſaluti conſulere ſtudeant. Atque ut fidelium voluntas, ac ſtudium magis etiam ad ſalutarem hanc conſuetudinem incitetur de Omnipotentis Dei miſericordia, Beatorumque Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, qui illis ipſis diebus in Rubricis præfinitis, Beatæ Mariæ, vel Defunctorum Officium dixerint, toties centum dies; qui vero ſeptem Pſalmos* (Pœnitentiales,) *vel Graduales, quinquaginta de injuncta ipſis pœnitentia relaxamus.* Hæc laudatus Pontifex; cujus autem clauſulæ, & modi loquendi ſenſus quinam ſint? explicat Benedictus Plazza de Purgat. par. 2. art. 5. §. 3. n. 18. & ſequ.

Hactenus dictis concilianda eſt declaratio quædam ſacræ Congregationis Rituum tenoris ſequentis: *Perſolventes Divinum Officium extra Chorum non tenentur ad Pſalmos Graduales, nec Pœnitentiales, neque ad Officium parvum B. M. Virginis, nec Defunctorum; quæ quidem Officia, & Pſalmi ſunt onera tantummodo ex præcepto implenda in Choro.* S. R. C. 2. Septembr. 1741. apud Caval. to. 2.

di

par. 2. c. 46. d. 4. Hactenus, inquam, dictis concilianda eſt hujuſcemodi declaratio; ita ut dum extra Chorum Officia præfata, Pſalmos &c. recitandi nullam obligationem, eſſe definit, verificetur omnino relate ad Romanum Clerum, ſeu ad utentes Breviario Romano, ſecus autem ad eo non utentes, qui in obligatione conſuetudinis ſuæ perſeverant. La-Croix lib. 4. de hor. Canon. qu. 208. §. 5. n. 1293. Caval. l. cit. n. 3. Leſſ. Laym. Gob. Dum vero eadem Officia qualificat onera *ex præcepto implenda in Choro*: id verum erit de Officio B. Virginis pro iis Eccleſiis, in quibus aderat conſuetudo, ſecus de reliquis Officiis: in quorum omiſſione, uti & ipſius Officii B. Virginis relate ad Eccleſias, quæ ejuſdem conſuetudinem minime habebant, nonniſi conceſſis carent Indulgentiis ſupradictis. Vocantur autem adhuc Onera *ex præcepto implenda in Choro*: quatenus Rubricæ iiſdem præfixæ diſertis verbis Choro demandant eadem; ſecus extra Chorum, ubi poſſe recitari *pro temporis opportunitate*, duntaxat edicunt; ut animadvertit Caval. cit. n. 3. Hinc *Supplicantibus Præpoſito, & Canonicis Inſignis Eccleſiæ Collegiatæ S. Stephani Protomartyris Montis Sancti Diœceſis Firmanæ nuper a SS. Domino Noſtro Benedicto Papa XIV. inſtitutæ declarari a Sacra Rituum Congregatione: An ipſi cogi poſſent ad recitationem in Choro ſtatutis diebus Officii B. M. Virginis, & Defunctorum, Pſalmorum quoque Pœnitentialium, atque Gradualium, juxta Rubricas Breviarii Romani, Conſtitutiones Synodales, & Conſuetudinem Firmanæ Diœceſis? Et propoſito dubio per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum D. Cardinalem Tamburini Sac. Rituum Congregationis Præfectum, & hujus inſtantie Ponentem; audito prius Reverendiſſimo Archiepiſcopo: Eminentiſſimi Patres Sac. Rituum Congregationi Præpoſit Unanimos fuerunt in ſenſu:* Non eſſe cogendos. *Et ita Sac. R. Congregatio decrevit, & ſervari mandavit, die 14. Junii 1755. in Firmana* apud Caval. to. 5. in collect. recentior. Decret. & in opere Merati in 2. append. decret. Miſſal. n. 993.

Qu. III. Quoad horam recitandi Veſperas in Quadrageſima. Porro, ut ſupra notavimus, Veſperæ in Quadrageſima, exceptis primis tribus diebus jejunii Quadrageſimalis, nempe fer. IV. V. & VI. poſt Dom. Quinquageſimæ, & exceptis Dominicis ipſius quadrageſimæ, recitantur ante meridiem, ex Rubr. Brev. Rom. expreſſa ubi de fer. IV. Ciner. La-Croix l. 4. de hor. Canon. qu. 215. n. 1312. A ſabbato itaque incluſive ante Dominicam I. Quadrageſimæ recitantur Veſperæ ante meridiem exceptis Dominicis. Jam vero quæres: Cur in diebus quadrageſimalium jejuniorum Veſperæ recitentur mane ante refectionem, ſeu ante meridiem? Cur non item in Dominicis quadrageſimalibus? Sed & ipſi primi tres dies jejunii quadrageſimalis, nimirum feria IV. V. & VI. poſt Dominicam quinquageſimæ cur excludantur a ritu prædicto; ſed ſervari incipiat a Sabbato ante Dominicam primam Quadrageſimæ? 14

℞. In Quadrageſima, ſeu in diebus jejunii quadrageſimalis ante plenam refectionem, ſeu ante Meridiem recitantur ex eo quia ſciendum primo: quod continuis duodecim pri-

mis Eccleſiæ ſæculis quadrageſimale jejunium nonniſi Veſpere, ſeu noctis initio vel paulo ante ſolis occaſum ſolvi licitum fuerit: Etſi reliqua per annum jejunia nonniſi poſt Officium relaxari, fuerit conſuetum: ideſt hora nona elapſa ab ortu ſolis; vide dicenda inferius num. 16. Horæ autem erant inæquales, nunc majores, nunc minores pro temporum inæqualitate: juxta rationem illam tertiam computandi, ac denominandi horas diei, quam explicavimus tr. 1. l. 1. c. 1. n. 14.

Tempore igitur quadrageſimæ cum jejunabatur, non ſolvebatur jejunium prandio, ſed cœna; videlicet non ſumebatur cibus, & plena refectio in Meridie, ut nunc fit: ſed Veſpere, ſeu circa ſolis occaſum, ut dictum eſt. Qui autem tenebantur ad horas Canonicas in Choro, cœnabant poſt recitatas Veſperas: ne nimis diu illas differrent; perſoluto itaque Veſperarum Officio diſcedebant e Choro ad Cœnam. Sunt, qui tradant, Veſperas fuiſſe recitatas in Miſſa poſt Communionem Celebrantis in diebus jejunii Quadrageſimalis, quemadmodum nunc fit in Sabbato Sancto: Miſſam vero celebratam fuiſſe poſt horam Nonam prædictam; Vid. Caval. to. 2. par. 2. c. 38. n. 3.

Sciendum ſecundo: Deinde ſæculo decimotertio cæpiſſe omnia indiſcriminatim jejunia ſolvi hora nona prædicta. Tandem vero ſæculi decimiquarti fine introductam fuiſſe conſuetudinem ſolvendi jejunia quælibet, ſeu plenam ſumendi refectionem hora meridiana. Jamvero licet Eccleſia ob noſtram imbecillitatem permiſerit mutari in jejuniis antiquam refectionis horam, cœnamque prandio commutari: voluit tamen & prandio benedici, tanquam cœnæ, hoc eſt, adhiberi formulam benedictionis propriam cœnæ, ob rationem aſſignatam tr. 1. l. 1. c. 7. qu. 7. & retineri conſuetudinem illam veterem recitandi in quadrageſima Veſperas ante plenam refectionem in diebus jejunii: ad aliquod procul dubio illius veteris diſciplinæ veſtigium retinendum.

Quod autem in Dominicis Quadrageſimæ recitentur Veſperæ hora conſueta per annum, eſt ex eo, quia ſciendum tertio, quod in Dominicis Quadrageſimæ non jejunabatur, ſicut etiamnum fieri conſuevit: uti tr. 1. l. 2. in Dominica art. 9. n. 72. notavimus, ob rationes dictas ibidem n. 37. Unde in Dominicis deficiebat ratio prædicta, ex qua in cæteris diebus quadrageſimalibus recitabantur Veſperæ ante plenam refectionem.

Quod autem primis tribus diebus quadrageſimæ, feria nempe IV. V. & ſexta poſt Dominica quinquageſimæ, etiamſi jejunium ſit quadrageſimale, nondum tamen Veſperæ recitentur ante plenam refectionem, ſeu ante Meridiem: Durandus in Ration. lib. 6. c. 28. n. 11. credit, id ex incuria potius, quam ex certa ſcientia factum; nam, inquit, idem eſſe deberet caput jejunii, & Officii; & ſecundum hoc videtur, quod in dictis etiam primis diebus deberent immediate poſt Miſſam dici Veſperæ; ita ille. Verum dicendum eſt: Id fuiſſe non ex incuria, ſed ex certa ſcientia factum. Sciendum enim quarto, quod ut c. 1. art. 6. initio diximus; primis Eccleſiæ temporibus abſtinentia quadrageſimalis inchoabat

bat a Dominica prima quadrageſimæ: jejunium vero a feria ſecunda ſequenti. Primi ergo quatuor dies additi ſunt ex hebdomada quinquageſimæ, licet longo jam ab ævo, additi, inquam, ſunt ex conſuetudine. Atque adeo cum antiquitus non fuerit jejunium in feriis prædictis, Veſperæ recitabantur in iis hora conſueta per annum. Oſtendi autem nequit, quod opus fuerit, jejunio quadrageſimali ampliato, ampliaſſe etiam veterem illam conſuetudinem recitandi Veſperas ante comeſtionem in jejuniis quadrageſimalibus.

In Sabbato tamen ante Dominicam primam quadrageſimæ recitantur Veſperæ ante Meridiem, quamvis olim nec fuerit dies quadrageſimalis, ex eo, quia ſciendum quinto: quod olim etſi non ubique, attamen in Eccleſia Romana, & in Africa in Sabbatis per annum jejunabatur; vide dicta tr. 1. lib. 2. in Sabbato art. 7. n. 52. Et licet Sabbatum ante Dominicam primam Quadrageſimæ ad Quadrageſimam non pertineret, recitatæ ſunt nihilominus in eo ante comeſtionem primæ Veſperæ Dominicæ primæ Quadrageſimæ, ob quamdam congruitatem, ne ſcilicet dictæ Dominicæ primæ præ tribus ſequentibus privilegiatæ, utpote quæ erat caput Quadrageſimæ, & 1. claſ. denegaretur prærogativa, quæ illis erat conceſſa, videlicet ut illarum primæ Veſperæ recitarentur in Sabbato ante Meridiem. Hæc omnia reſpective videri poſſunt apud Micrologum de Eccl. obſervat. c. 49. Caſſalium de ſacr. Ritib. c. 62. Cabaſſutium ſæcul. 7. diſſert. 20. Leſſium de juſt. lib. 4. c. 2. de jejunio dub. 9. n. 63. & 64. Gavant. in Rubr. Brev. ſect. 6. c. 10. n. 4. & 5. La-Croix lib. 4. qu. 213. §. 5. n. 1316. Azor. Inſt. moral. par. 1. lib. 7. c. 11. qu. 1. & dub. ſequ. & c. 21. qu. 5. Benedict. XIV. to. 1. Notific. 12. n. 7. & Notific. 15. n. 5. Caval. to. 2. par. 2. c. 38.

Interrog. hic: An his non ob- 15
ſtantibus, poſſint in quadrageſima Veſperæ recitari poſt prandium?

℟. 1. Si ſermo ſit de recitatione privata, ſeu extra Chorum: Sylveſter V. Hor Canon. qu. 9. §. 5. dicit: non eſſe peccatum, quadrageſimali tempore Veſperas poſt prandium recitare privatim ex cauſa rationabili. Idem affirmat Azor. Inſtit. moral. par. 1. lib. 10. c. 9. qu. 9. Hos ſequitur Toletus in ſum. lib. 7. c. 13. n. 7. fine, ubi ait: tempore quadrageſimali, eum, qui privatim recitaret Veſperas poſt prandium, nequaquam mortaliter peccaturum; ſi tamen ſine ulla cauſa fieret, peccatum veniale fore. Verum hi nihil ſpeciale dicunt; generaliter enim loquendo: veniale eſt, ſine cauſa rationabili, aut privilegio recitare privatim aliquam horam Canonicam ante, vel poſt tempus præfixum a Rubrica, vel legitima Conſuetudine; uti docuimus, & explicavimus tr. 1. l. 1. c. 1. n. 57.

Sed Veſperas in quadrageſima poſſe ſine ullo etiam peccato privatim poſt prandium recitari, docet Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. de Hor. Canon. c. 27. n. 9. fine; ubi inquit, optimum quidem eſſe conſilium, Veſperas recitare ante Prandium in Quadrageſima in recitatione privata, quemadmodum hoc quadrageſimali tempore præſcribuntur in Choro: ſe tamen non exiſtimare eſſe culpam ali-

liquam, etiamſi poſtponantur in recitatione privata; citatque pro ſe Sylveſtrum (qui tamen, ut ſupra vidimus, exigit aliquam cauſam rationalem, ut fiat:) Navarrum cum Cajetano, & aliis tacito nomine. Accedit Gavantus l. ſupra cit. n. 6. ubi docet: non eſſe obligationem, privatim recitandi in Quadrageſima Veſperas ante comeſtionem; ſubdit tamen: congruum eſſe, conformari Choro. Item Veſperas in Quadrageſima poſſe ſine ullo etiam peccato recitari privatim poſt prandium: docet Tamburinus in decal. l. 4. c. 5. §. 4. n. 4. & de præc. Eccl. tr. 4. c. 7. n. 9. Sa V. Horæ n. 15. Tancredi de Relig. tr. 3. lib. 4. diſp. 14. n. 2. Gob. Burgh. Stoz. Lohn. quos citat, & ſequitur La Croix l. cit. & alii apud Dianam edit. coord. to. 3. tr. 6. R. 72. §. 1. fine, & §. 2. Quia Rubrica illa ſolum Chorum obligat: ſi modo obliget: quod examinabimus infra. Imo licet Suarez dicat: optimum eſſe conſilium, & Gavantus affirmet, congruentius eſſe, ante prandium Veſperas in Quadrageſima recitare extra Chorum, quemadmodum in Choro; nihilominus adhuc alii in hoc etiam contradicunt, ut infra videbimus; putantes, congruentius eſſe nunc, Veſperas poſt prandium recitare etiam in Quadrageſima: aliud enim, inquiunt, erat primitus, quando Veſpere prius cœnabatur: tunc enim recitabantur ante Cœnam, ne nimis diu differentur: ut ſupra notavimus n. 14. & notat etiam La-Croix ex Tamburino, qui id notavit ex Bellarmino, ut modo videbimus.

℞. 2. Si ſermo ſit de recitatione in Choro: Dico 1. Gavantus l. cit. docet: non poſſe in quadrageſimæ recitari in Choro Veſperas poſt Comeſtionem, ſeu poſt meridiem: quia, inquit, Concilium Cabilonenſe c. *ſolent* 49. *diſt.* 1. *de conſecr.* Chorum obligat ad recitandas Veſperas ante comeſtionem. Clarius loquitur Suarez obligationem explicans gravem, dicens: Cum in diebus quadrageſimalibus Veſperæ ſint ante prandium dicendæ juxta Capitulum *ſolent*: illas poſt prandium differre in publico Officio, gravem tranſgreſſionem videri: indicare Navarrum cum Sylveſtro, & aliis; ſubdit tamen, in hoc eſſe conſuetudinem conſulendam.

Sed ratio prædicta ex allegato jure deducta, nulla eſt; etenim primo, quamvis aliqui Concilio Cabilonenſi, alii etiam aliis Canonem tribuerint allegatum; Scriptores tamen eruditiores teſtantur, verba præfati Juris eſſe Theodulphi Aurelianenſium Præſulis, qui in ſuo Capitulari cap. 39. (alias 37.) ſubditum ſibi populum ſic admonuit: *Solent plures, qui ſe jejunare, putant, in Quadrageſima, mox ut ſignum audierint ad horam Nonam, comedere. Qui nullatenus jejunare credendi ſunt, ſi ante manducaverint, quam Veſpertinum celebretur Officium.*

Sed eſto allegati juris verba ſint Concilii Cabilonenſis; in illis tamen non imponitur, nec ex iiſdem colligi poteſt obligatio recitandi in Choro Veſperas ante Cœnam in jejuniis Quadrageſimæ. Dicitur quidem in objecto jure: quod nullatenus jejunare credendi ſint ii, qui in Quadrageſima manducaverint, antequam Veſpertinum celebratur Officium: at hoc non eſt imponere obligationem,

aut

aut illam ſupponere, recitandi Veſperas ante manducationem; ſed tantum prohibere, ſeu interdictum eſſe, ſupponere, manducare, antequam advenerit hora recitandi Veſperas; qua hora Veſperarum licebat tunc temporis in Quadrageſima ſolvere jejunium, & cœnare: ſecundum dicta ſuperius num. 14. Profecto ſunt duo valde diverſa: non eſſe licitum in diebus jejunii Quadrageſimalis manducare ante horam Veſperarum; &, non eſſe licitum, manducare, niſi poſteaquam Veſperas quis recitaverit. Hoc ſecundum non dicitur, nec poteſt colligi ex jure relato: ſed tantum illud primum. Id per ſe patet, & adhuc probatur: Verba prædicti juris vel diriguntur ad omnes, qui jejunare tenentur; vel ad omnes, qui ad horas canonicas obligantur. Si primum: ergo omnes in Quadrageſima ad jejunium obligati, obligantur eo ipſo & Veſperas recitare, vel ſaltem illas audire, cum perſolvuntur a Choro: ut nimirum ſatisfaciant jejunio: dicitur enim in prædicto jure: *nullatenus jejunare credendi ſunt, ſi ante manducaverint, quam Veſpertinum celebretur Officium*. Seu, ut hæc ultima verba explicanda dicuntur: antequam Veſperas recitaverint; vel ſi vis etiam, antequam Veſperas audierint. Sed hoc dici nequit; quando etenim unquam obligati fuerunt jejunantes, Veſperas recitare? aut quomodo recitare potuerint tot, ac tanti, qui nequidem legere noverint? De auditione autem ſatis conſtat, nullam habere obligationem, Veſperas audiendi, aut aliquam aliam Officii partem, eos, qui per ſe non obligentur ad horas canonicas recitandas. Et quamvis olim forte aliqua fuerit obligatio aſſiſtendi Veſperis in quibuſdam celebrioribus Eccleſiaſticis ſolemnitatibus, ut obſervabimus in Sabbato Sancto n. 359. Idem vero non conſtat de diebus jejunii quadrageſimalis; nec eſt veriſimile, præſertim de omnibus; & certe nunc nulla omnino adeſt ſimilis obligatio. Deinde quænam connexio eſt jejunii cum recitatione vel auditione Veſperarum: ut recte dici queat: nullatenus jejunare credendos eſſe eos, qui manducaverint, antequam Veſperas recitaverint, vel audierint? Ergo ſi verba prædicti juris dirigantur ad omnes, qui jejunare tenentur: certiſſime verba illa: *Antequam Veſpertinum celebretur Officium*: non ſignificant: *antequam* Veſperas recitaverint; vel *audierint*; ſed *antequam hora Veſperarum advenerit*.

Similiter eſt, ſi verba ejuſdem Canonis dicantur dirigi ſolum ad eos, qui per ſe tenentur ad horas, puta ad Clericos in ſacris &c. ſi itaque dicatur hoc ſecundum; ergo illi, qui tenentur ad horas canonicas, non ſatisfaciunt jejunio, niſi, priuſquam comederint, Veſperas recitaverint: dicitur enim illo jure: *nullatenus jejunare credendi ſunt, ſi ante manducaverint, quam Veſpertinum celebretur Officium* ſeu *antequam Veſperas recitaverint*: uti hæc verba explicanda eſſe, contenditur. Sed non eſt, unde dicamus, obligatos ad horas non ſatisfacere jejunio, ſi comedant, antequam Veſperas recitaverint. Quapropter recte docet Reginaldus l. infra cit. non frangere jejunium eos, qui in Quadrageſima comedant ante Veſperas recitatas. Et ratio eſt, quia ut notat Tamburinus infra laudandus, & modo ſupra etiam dicebamus,

mus ; horæ canonicæ nullam habent connexionem neceſſariam cum jejunio. Ergo verba illa : antequam *Veſpertinum celebretur Officium :* non ſignificant : antequam *Veſperas recitaverint ;* ſed : *antequam hora Veſperarum advenerit*.

Aſſignantes itaque verum prædicti capitis ſenſum, diximus : in eo revera eſſe admonitionem ad populum, ex quo plures ſolebant in Quadrageſima mox ut ſignum audiebant horæ Nonæ, comedere : ſeu tribus horis cum triente poſt meridiem, ut in reliquis jejuniis per annum fiebat. At hoc in Quadrageſima non licebat, in qua illa erat adhibenda diſtinctio præ cæteris, ut jejunium ſolveretur ad Veſperas, ſeu tribus horis poſt Nonam, ut ſuperius dictum eſt n. 14. De qua diſtinctione mentionem facit Bernardus ſerm. 3. de Jejun. Quadrageſ. ubi ait : *Hactenus uſque ad Nonam jejunavimus ſoli : nunc uſque ad Veſperam jejunabunt nobiſcum pariter univerſi Reges, & Principes, Clerus, & Populus, Nobiles, & Ignobiles ſimul in unum Dives, & Pauper*. Et in Micrologo de Eccleſiaſticis obſervat. c. 49. legitur. *In hoc enim Quadrageſimale jejunium ab aliis differt diebus, quod in aliis poſt Nonam, in hoc autem poſt Veſperam reficere debemus*. Admonebatur igitur Populus in prædicto capite, quod, qui comedebant, mox ut ſignum audiebant ad Horam Nonam, & per tantum temporis ſpatium, nimirum per tres ipſas horas anticipabant in Quadrageſima Cœnam, nullatenus credendi erant, quadrageſimali ſatisfeciſſe jejunio : cum expectanda cunctis omnino fuerit in Quadrageſima Veſperarum hora, poſt quam cœnare licebat.

Itaque in illo capite illorum verborum : *antequam Veſpertinum celebretur Officium :* ſenſus germanus, & propriiſſimus eſt : *antequam venerit Hora Veſperarum*. Ut quidem ſignificat Micrologus cit. c. 49. & explicat Azorius Inſtit. Moral. par. 1. lib. 7. qu. 2. Nulla ergo in eo capite obligatio imponitur, aut ſupponitur, aut ex eo colligi poteſt, adeſſe, recitandi reipſa Veſperas ante Cœnam. Quod ſi ante Cœnam recitabantur in Choro, uti ſuperius quidem aſſeruimus, id ſolum potuit fieri ex conſuetudine, & ex Rubrica poſita ob congruentiam quamdam ne ſcilicet nimis diu differrentur, ſi poſt cœnam, recitarentur : ut cum Bellarmino ſentiunt La-Croix, & Tamburinus infra laudandi.

Hæc omnia certiora fiunt teſtimonio ipſius allegati capiti; enim vero poſt illa verba : *nullatenus jejunare credendi ſunt, ſi ante manducaverint, quam Veſpertinum celebretur Officium :* ſtatim ſubditur : *concurrendum eſt enim ad Miſſas : & auditis Miſſarum ſolemnibus, & Veſpertinis Officiis, & largitis eleemoſynis, ad cibum accedendum eſt. Si vero aliquis ex neceſſitate conſtrictus fuerit, ut ad Miſſam venire non valeat, expectata Veſpertina hora, completa Oratione ſua jejunium ſolvat*. Ex quibus patet, allegatum caput alloqui populum, & ad illum dirigere verba prædicta, eumque monere, ne manducet in die jejunii quadrageſimalis, antequam venerit hora deſignata ad ſolvendum jejunium quadrageſimale, ſcilicet antequam venerit hora Officii Veſpertini. Vid. Azor. cit. q. 2.

Igitur

Igitur ratio deducta ex auctoritate Concilii Cabilonenſis, ſeu ex capite *ſolent*, nulla eſt ad ſuadendam obligationem recitandi in Quadrageſima Veſperas ante comeſtionem, ſeu ante Meridiem in Choro.

17 Dico 2. Reginaldus lib. 8. c. 13. ſect. 2. n. 159. ex Navarro poſt S. Anton. & Cajet. docet: non frangere jejunium eos, qui in Quadrageſima comedant ante Veſperas recitatas; etiamſi illi, qui addicti ſunt Divinis Officiis non debeant, inquit, id facere ſine juſta cauſa. Ubi pro addictis Divinis Officiis procul dubio intelligit addictos Choro: & videtur docere: etiam in Choro ſi aliqua juſta cauſa adſit, poſſe Veſperas in Quadrageſima in diebus jejunii recitari poſt prandium.

18 Dico 3. Tamburinus de præc. Eccl. tr. 4. c. 7. n. 9. & in decalog. l. 4. c. 5. §. 4. n. 4. citans Medinam, & Fagundez, nec non ipſum Reginaldum, Cajetanum, & Navarrum, abſolute docet: licere in Quadrageſima ante recitatas Veſperas comedere, ſive iis, qui in Choro Veſperas perſolvunt, ſive iis qui extra Chorum. Eo ipſo docet: abſolute licere in Quadrageſima recitare Veſperas poſt prandium, ſive extra Chorum, ſive etiam in Choro. Hujus ſententiæ rationem hanc dat: *Ratio eſt, quia horæ Canonicæ non habent hanc connexionem neceſſariam cum jejunio. Solum ita congruenter ſervari diſponitur, (non jam jubetur) per Rubricas, ne Veſpertinum Officium diu differatur; ſi decantandum ſit poſt cœnam jejunii, quæ valde ſero facienda ſupponitur in Quadrageſima. Immo quia apud nos jam inolevit uſus comedendi circa Meridiem, opportunius eſſet, poſt Meridiem, atque adeo poſt comeſtionem, ſua ſcilicet congruenti hora Veſperas recitare.* Confirmat deinde hanc rationem auctoritate Cardinalis Bellarmini ſic: *Cum Romæ Sacerdotio ego initiatus recenter fuiſſem, operamq. Rubricis ediſcendis de more darem, narrabat quidam ex meis Sodalibus, Robertum Bellarminum ſapientiſſimum æque, ac Sanctiſſimum Cardinalem ſolitum dicere: congruentius eſſe noſtra hac tempeſtate, Veſperas quadrageſimales recitare poſt prandium, quam antea. Nam apud Majores noſtros (dicebat prudentiſſimus vir) ideo Veſperæ recitabantur ante refectionem, quia refectio protrahebatur ad horas Veſpertinas, & in Quadrageſima quidem longe poſt Nonam:* C. Solent de conſecr. diſt. 1. *At nunc jam a ſtatuta hora eſt cœna dejecta, & in prandium mutata aſcendit ad Meridiem: ne, quæſo, per novam licentiam dejiciatur hora recitationis Officii Veſpertini, & contra debitum ritum ad tempus ante meridianum tranſmittatur. Hæc Bellarminus.* Huculque Tamburinus, cui aſſentitur La-Croix loco ſupra cit.

Licet autem hæc ita ſe habeant 19 recte vero dicit etiam Suarez loc. cit. ſuperius: in hoc eſſe conſuetudinem conſulendam. Profecto non facile recedendum a conſuetudine eccleſiaſtica: quapropter ſervanda etiamnum eſt, præſertim in Choro, Rubrica hæc de recitandis Veſperis ante Meridiem in diebus jejuniorum quadrageſimalium a Sabbato incluſive ante Dominicam primam Quadrageſimæ, ubi hujuſmodi vigeat conſuetudo: ut quidem communiſſime in Choro vigere videtur.

Qu. IV. Utrum in Quadrageſima 20

recitare liceat Matutinum ſequentis diei mox poſt Meridiem?

℞. Affirmavit neſcio quis apud Thomam Sanchez in Conſil. tom. 2. lib. 7. c. 2. dub. 37. nu. 4. opinatus eſt itaque in Quadrageſima inchoari poſſe ſtatim poſt Meridiem, illis diebus nimirum, quibus recitantur Veſperæ ante Meridiem ſecundum dicta quæſtione præcedenti: quia recitatis ante prandium Veſperis, cenſetur apud Eccleſiam incœptus eſſe dies ſequens. Verum hujuſmodi opinionem confutavimus tr. 1. lib. 1. c. 1. n. 69. ubi eam omnino rejiciendam eſſe, docuimus.

Qu. V. Utrum Concionantes quotidie per totam fere Quadrageſimam, excuſentur a recitatione Divini Officii: ſicuti a jejunio excuſari ſolent ex aliquorum ſententia explicata hic c. 1. art. 8.

℞. Negative. Vide Danam edit. coord. to. 3. tr. 6. R. 29.

CAPUT IV.

De Miſſa.

1 In Quadrageſima quotidie habetur Miſſa propria de feria occurrenti. Omittitur in Miſſis de tempore quadrageſimali *Gloria in excelſis*: & ſemper tacetur *Alleluja*, ob cauſam dictam præcedenti c. 3. n. 7.

2 A feria IV. Cinerum uſque ad Dominicam Paſſionis poſt Orationem diei dicitur 2. Orat. *A cunctis* & 3. *Omnipotens* pro Vivis & Defunctis, ut in Miſſa feriæ IV. Cinerum Rubr. gen. Miſſal. tit. 9. n. 4. Niſi occurrat commemoratio ſimplicis, quo caſu 3. Or. erit *A cunctis*. *Occurrente commemoratione S. ſimplicis in feria ſecunda Quadrageſimæ, quando dictum eſt Nocturnum Defunctorum, non debet in Miſſa quarto loco dici Oratio* Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum &c. *pro commemoratione Defunctorum*; *ſed ſufficit* 3. *Orat.* A cunctis. *Quod ſi dicatur quarta* Omnipotens &c. *quinta erit ad libitum*. S. R. C. 4. Maji 1709. in Piſtorien. apud Cavaler. to. 3. c. 11. d. 3. *Quinta erit*: hoc eſt: poterit addi quinta Oratio: quod etſi conſultius ſit fieri in memoriam quinque vulnerum Chriſti: Caval. l. cit. n. 2. Merat. l. infra cit. non eſt tamen neceſſarium; etenim, ut notavimus tr. 1. 2. Februar. n. 63. conſtat ex declaratione S. C. R. 2. Decembr. 1684. quod *in Miſſa de ſemiduplici, vel ſimplici*, (adde: aut de feria, de qua eadem procedit ratio) *vel votiva, non ſunt neceſſario dicendæ Collectæ impares, puta tres, quinque, vel ſeptem*. apud Cavaler. l. cit. d. 2. n. 10. Confer. Merat. tom. 1. par. 1. tit. 9. n. 11. In feſtis ſemiduplicibus occurrentibus a feria IV. Cinerum ad Dominicam Paſſionis 2. Or. de feria 3. Or. A cunctis. Rubr. gen. Miſſ. tit. 9. n. 4. In Miſſa vero Conventuali de feſto ſemiduplici uſque ad Dom. Paſſionis 2. & 3. Or. erunt de tempore quadrageſ. ut ſupra; confer Merat. cit. tit. 9. n. 6.

Dicitur Tractus, ideſt luctus, cauſa mœſtitiæ: ut notavimus hoc tr. 2. lib. 3. par. 1. c. 2. n. 3. Non dicitur tamen ſemper in Miſſa de feria: ſed dicitur in feria ſecunda, quarta, & ſexta, uſque ad feriam quartam majoris hebdomadæ, ac ferialis legitur idem, qui in fer. IV. Cinerum, niſi proprius aſſignetur. Dicitur in prædictis tantummodo feriis Tractus, quia in iis tantum erat po- 3

puli

puli concurſus ad luctum ſolemnem, quem ſignificat Tractus, ut diximus. Gavant. in Rubr. Miſſ. part. 1. tit. 10. num. 5. lit. a. fit vero in hujuſmodi feriis luctus ſpecialis ob rationem datam cap. præcedenti num. 11. ſub init. In Miſſis autem de Sanctis ſemper dicitur Tractus ut in Miſſali ſuis locis, aut in reſpectivo communi.

Quando in Quadrageſima celebrans dicit in Tractu: *Adjuva nos Deus*: flectit unicum genu. Rubr. gener. Miſſ. tit. 17. n. 1. Dum autem genuflectit, innititur Altari utraque manu hinc inde extenſa. Celebrans in Miſſa ſolemni genuflectit uſque ad finem præfati verſus. Rubr. cit. n. 3. Hoc eſt, cum private legit ℣. *Adjuva nos*, ad prima verba flectit unicum genu: deinde ſurgens verſum eumdem; quo expleto tranſit ad cornu Evangelii, ubi expedite legit Evangelium, ut dum in Choro Cantores, qui moroſe cantare debent præcedentem tractum, & alia; cantare incipiunt prædictum verum *Adjuva*, Celebrans cum ſacris Miniſtris ita prompte deſcendat ad ſecundum Altaris gradum, ut ad eumdem verſum utroque genu valeant eſſe flexi in ſuppedaneo, quo ſitu remaneat: quemadmodum & reliqui omnes de Choro, qui non cantant, aliique Altaris Miniſtri in locis ſuis, uſque dum idem verſus fuerit expletus ex integro. Caval. to. 4. c. 12. in decr. 25. n. 3. Merat. tom. 1. par. 4. tit. 6. num. 20.

4 Tempore Quadrageſimali Præfatio: *Qui corporali jejunio*: & dicitur quotidie a feria IV. Cinerum uſque ad Dominicam Paſſionis excluſive. Dicitur etiam in Dominicis & feſtis, ſi in eis propria non habeatur. Rubr. Miſſ. A Gelaſio Papa I. præſcripta traditur, & ex Gelaſii II. decreto (V. tamen Meratum tom. 1. part. 1. tit. 12. num. 6.) dicitur recitari quotidie, adhuc in Dominicis. Licet enim in Dominicis non ſit jejunium perfectum, ſeu refectio unica, nihilominus cuſtoditur, & non intermittitur obſervantia quadrageſimalis, ſeu abſtinentia a carne, ab ovis, & lacticiniis: quæ eſt quædam jejunii ſpecies: uti obſervat Joan. Beleth de Divin. Offic. cap. 85. & Durandus in Ration. lib. 6. cap. 28. num. 11. & poſt eum Gavantus in Rubr. Miſſ. part. 4. tit. 6. num. 7. nec non Caval. tom. 4. c. 12. in decr. 25. num. 4. Itaque in Dominicis Quadrageſimæ non eſt dicenda Præfatio de Trinitate, ſed propria de tempore quadrageſimali. Vide dicta tr. 1. l. 2. ubi Dominica art. 4. num. 56. Dicitur etiam in Miſſis votivis, quæ propriam non habent: cum Merato Caval. l. cit. & quidem juxta Rubr. gen. Miſſal. tit. 12. nu. 4. In Miſſis autem Defunctorum quocumque tempore dicitur Præfatio communis, ex Rubr. cit. confer dicta tr. 1. 2. Novembr. n. 83. An, & quale peccatum ſit, omittere Præfationem propriam; & an debeat ſuppleri, ſi ex oblivione omittatur, ubi error deprehendatur? examinabimus in Domin. Reſur. art. 3. qu. 1. & 2.

5 In Quadrageſima a feria IV. Cinerum uſque ad feriam quartam majoris hebdomadæ in feriali Officio, poſtquam Celebrans dixit Poſtcommuniones cum ſuis ſolitis concluſionibus, antequam dicat: *Dominus vobiſcum*, ſtans in eodem loco ante li-

librum dicit: *Oremus. Humiliate capita veſtra Deo:* caputque inclinans verſus Crucem Altaris more ſolito, & extenſis manibus ſubjungit eadem voce orationem ſuper populum deſcriptam ibidem: qua finita vadit ad medium Altaris, illudque oſculatur, & peragit alia conſueta. Rubr. Miſſ. de Ritu celebr. tit. 11. num. 2. In Miſſis autem ſolemnibus prædicta monitio: *Humiliate* fit a Diacono. Recitatis igitur conſuetis Orationibus *Poſtcommunio* nuncupatis, & cantato a Celebrante more alias uſitato: *Oremus*, Diaconus ſtans in cornu Epiſtolæ poſt Celebrantem, vertit ſe ad populum per latus ſuum dexterum, genuflexione nulla præmiſſa, cum non ſit in medio Altaris: & ita ad populum converſus cantat manibus junctis: *Humiliate capita veſtra Deo*. Quo dicto, omnibus genuflexis manentibus, & capite inclinato, præter Celebrantem, per eamdem viam ſe ad Altare convertit, ibique ſtat a tergo Celebrantis inclinatus, junctiſque manibus ad Orationem, quam extenſis de more manibus ſubjungit, cantatque Celebrans. Si autem Miſſa ſimpliciter cantetur ſine aſſiſtentia Sacrorum Miniſtrorum, atque adeo ſine Diacono; ipſe Celebrans, cantato *Oremus*, perſiſtens in eodem loco ante librum, dicit, cantatque *Humiliate* &c. junctis manibus, caput inclinans Cruci; & poſtea extenſis manibus ſubdit adnotatam in Miſſali Orationem. Caval. to. 4. c. 12. in decr. 25. n. 5.

Hujuſmodi Oratio *ſuper populum*: (quam inſcriptionem haberi ad huhujuſcemodi Orationes in Sacramentario Gregoriano, teſtatur Gavant. in Rubr. Miſſ. part. 2. tit. 11. nu. 2. lit. n.) non dicitur in Miſſis feſtivis, vel votivis, aut etiam de Dominica; ſed ſolum in Miſſis ferialibus de tempore quadrageſimali. Dicitur autem in feriis præfatis, ut divino auxilio populus Chriſtianus contra diabolicas inſidias, quæ hiſce pœnitentiæ diebus ſunt ferociores, armetur, vice communionis Corporis Chriſti, quod extra Dominicas, & feſta populus non ſolet accipere. Ita Amalarius de Eccl Offic. lib. 3. cap. 37. Micrologus de Eccleſiaſt. obſervation. c. 51. & admittit Benedictus XIV. de Miſſa ſect. 1. cap. 23. §. 1. Merat. to. 1. par. 2. tit. 10. num. 28. circa medium. Aliqui vero dicunt: Orationem *ſuper populum* in feriis quadrageſimalibus eſſe monumentum quoddam antiqui Ritus, recitandi Veſperas ſtatim poſt Miſſam, ut nunc fit in Sabbato Sancto. Vid. Caval. tom. 2. par. 2. cap. 38. num. 3. & tom. 4. cap. 12. in decr. 25. num. 7. Denique Honorius in Gemma lib. 1. cap. 67. aliam cauſam tradit Orationis præfatæ, hæc enim habet: *ſtatutum eſt, ut panis poſt Miſſam benediceretur, & populo pro benedictione communionis partiretur: hoc & Eulogia dicebatur. Sed quia hoc in Quadrageſima fieri non licuit:* (puta ob jejunium cuſtodiendum:) *Orationem ſuper populum dici, Eccleſia inſtituit, ut per hanc particeps Communionis ſit*. Ita Honorius; Confer Meratum to. 1. par. 2. tit. 11. n. 7.

Profecto panem ſacrare, ſeu benedicere, Eccleſiam conſueviſſe pro Catechumenis, ſignificat Auguſtinus lib. 2. de peccator. merit. c. 26. Quia enim ab Euchariſtia arcebantur, loco ejus, panis a Parocho invocatione

ne Dei, Crucis ſigno, & aliis cæremoniis, ac ritibus adhibitis, in omnes Catechumenos diſtribuebatur: ut refert Azorius Inſtit. moral. par. 1. lib. 4. c. 11. qu. 5. prope finem, & Suarez to. 3. in 3. par. diſp. 46. ſect. 6. verſus finem. Poſtea vero cœpit etiam in Eccleſia introduci, ut panis ſingulis quibuſque Dominicis, aliiſque feſtivis diebus a Parocho ſacratus certa precationis formula ſubminiſtraretur fidelibus in fine, Miſſæ qui communicare non poterant, ſive nolebant: uti habetur in Decreto Pii I. relato ab Ivone par. 2. c. 37. a Burchardo *lib.* 5. *c.* 27. apud Theophil. Raynaudum *t.* 16. *ſect.* 2. *q.* 4. poſt initium; & ab Azorio Inſt. moral. *par.* 1. *lib.* 10. *c.* 35. *q.* 13. Idem habetur in Concilio Nannattenſi c. 9. & cònſentit Suarez to. 1. de Relig. lib. 1. c. 4. n. 3. ubi tradit: in Eccleſia uſum panis benedicti pro fidelibus baptizatis introduci cœpiſſe, quando quotidiana Communio fidelium omnium, qui Miſſæ aſſiſtebant, cœpit intermitti: nam pro his, qui communicaturi non erant, cœpit panis benedici, qui in Symbolum Charitatis inter omnes Sacrificio aſſiſtentes divideretur. Poteſtque, ait, hoc intelligi ex Concilio Laodic. c. 14. ubi dicitur: tempore Paſchatis non eſſe diſtribuendus panis benedictus: quia nimirum in Paſchate omnes communicare tenentur. Quæ ratio admittitur a Raynaudo l. cit., apud quem alia quoque de hujuſmodi panis benedicti diſtributione in fine Miſſæ ratio ulterior aſſignatur; videlicet aſſeritur, ea diſtributio excogitata fuiſſe, ut fideles non communicantes perſtarent uſque ad finem ſacri, & peractam aliorum communionem. Tradit item Suarez, conſueviſſe Prælatos etiam mittere panem benedictum ſuis Parochis, aliiſque Prælatis in ſignum concordiæ, & mutuæ communicationis: ut ſumitur ex Innocentio Epiſt. 1. c. 5. quod etiam Raynaudus l. cit. affirmat abſolute de fidelibus; id ipſum refert Quarti de benedict. tit. 3. ſect. 5. prælud. 1. De uſu panis benedicti videri poſſunt Durandus in Ration. Divin. Offic. lib. 4. c. 53. Stephanus Durant. lib. 2. de Ritib. c. 58. Thomas Waldenſis de Sacramentalibus to. 3. tit. 23. c. 167. & 168. & quæ refert, notatque Pamelius in lib. de Oper. & Eleemoſyn. Cypriani ſub n. 5. videri etiam poſſunt dicta 17. Januar. n. 4.

6 Tempore Quadrageſimali in Miſſis de tempore in fine Miſſæ dicitur *Benedicamus Domino*: quia non dicitur *Gloria in excelſis*. Rubr. gen. Miſſ. tit. 13. n. 1. quod omittimus, ad ſignificandam mœſtitiam temporis hujus, recole dicta cap. præced. n. 7. Similiter non dicimus: *Ite Miſſa eſt*: ſed; *Benedicamus Domino*: in ejuſdem perſeverantes ſignificatione mœſtitiæ: ut interpretatur Auctor Micrologi de Eccleſiaſtic. obſervat. cap. 46. & Cardinalis Bellarminus tom. 3. controverſ. lib. 6. de Miſſa cap. 27. *Videtur enim*, (ait Bellarminus) *neſcio quid lugubre præſeferre, quod non publica denuntiatur dimiſſio, ſed unuſquiſque per ſe diſcedit*. Cardinalis Bona relatus a Merato tom. 1. par. 1. tit. 13. num. 2. fine cenſet, potius olim conſueviſſe, præfatam dimiſſionem omitti, quando fideles omnes adſtantes Miſſarum ſolemniis celebratis, ſeſe in Eccleſia continebant, donec recitatis Canonicis precibus, & Statione ſoluta, abire fas erat.

(Con-

(Confer dicta cap. præcedenti num. *16.* fine .) Deinde vero morem eumdem , omittendi videlicet præfatam populi dimiſſionem extenſum eſſe ad Miſſas minus ſolemnes, & quotidianas. Porro *Benedicamus Domino* dicitur a Celebrante converſo ad Altare. Rubr. gen. Miſſ. tit. 13. num. 1. & de Rit. celebr. tit. 11. num. 1. fine: quia Celebrans hortatur populum , ut ſecum uniatur , ad benedicendum Dominum, qui peculiari modo adeſt ſuper Altare . Biel allegatus a Benedicto XIV. de Miſſ. ſect. 1. cap. 23. tit. 2. init. & cum Micrologo, & Gavanto Meratus tom. 1. par. 2. tit. 11. num. 5.

7 In Quadrageſima in Miſſa de tempore color Paramentorum violaceus. Rubr. gen. Miſſ. tit. 18. num. 5. Niſi aliter notetur. Congruentiam habes hoc tr. 2. lib. 3. par. 1. c. 2. num. 5. & tr. 1. die 2. Febr. num. 18. & die 23. ejuſdem num. 19. Quem etiam violaceum colorem adhibebunt in Dominica infra Octavam privilegiati ad celebrandas Octavas; conformiter ad cit. Rubr. num. 2. & 3. *Cantata Miſſa ſolemni de aliquo Sancto, ut eſt de S. Joſeph in Polonia ob concurſum Populi, & Indulgentias, licet ſolemnitas , & expoſitio SS. Sacramenti adeſſet , color paramentorum in Miſſis privatis , nullo habito reſpectu colori adhibito in quavis Miſſa Votiva ſolemni , ſemper is eſſe debet, qui convenit Officio in illa die occurrenti, etiamſi violaceus.* S. R. C. 1. Decembr. 1742. in una Ordin. Carmelit. Excalceat. Polon. in opere Merati in 2. append. decret. Miſſ. num. 866.

8 In Quadrageſima, ſi occurrat Vigilia, dicatur Miſſa de Feria Quadrageſimali: (niſi fiat de Feſto novem lectionum:) cum commemoratione Vigiliæ. Rubr. gen. Miſſ. tit. 3. num. 5. In Vigiliis, quæ occurrunt in Quadrageſima, non legitur Evangelium Vigiliæ in fine Miſſæ. Rubr. gen. Miſſ. tit. 3. num. 2. Cur autem non legatur in Miſſa Evangelium Vigiliæ in fer. Quadrageſimæ? Vid. lib. 1. c. 3. num. 3.

De feria Quadrageſimali fit commemoratio in Quadrageſima, quando Miſſa dicenda eſt de feſto occurrenti. Rubr. gen. Miſſ. tit. 7. n. 2. cum ejuſdem feriæ Evangelio in fine Miſſæ. Rubr. gen. Miſſ. tit. 13. num. 2. 9

In Eccleſiis autem Cathedralibus, & Collegiatis occurrente feſto Duplici, aut Semiduplici, vel octava in Feriis Privilegiatis, quæ habent Miſſam propriam, videlicet Quadrageſimæ, Quatuor temporum, Rogationum, & Vigiliarum, cantandæ ſunt duæ Miſſæ, quæ nuncupantur Conventuales, una de feſto poſt Tertiam, altera de feria poſt Nonam ſine commemoratione feriæ in Miſſa de feſto, & abſque commemoratione feſti in Miſſa de feria, & in fine conſuetum Evang. S. Joannis. Rubr. gen. Miſſ. tit. 3. num. 1. tit. 7. num. 2. tit. 15. num. 2. Vid. dicta tr. 1. lib. 1. c. 2. num. 13. & die 23. Febr. num. 15. & in Septemb. par. 1. a num. 21. Octavæ nomine intelligitur hic ipſa ſolum dies octava: uti rurſus infra dicetur, non item quælibet dies infra octavam. Vid. dicta 27. Junii art. 2. num. 6. & Septemb. par. 1. num. 21. *Miſſa Conventualis de feria in Quadrageſima, & Adventu nullo modo poteſt omitti, quando in eis ca-* 10

dat

dat feſtum alicujus Sancti, *non obſtante contraria conſuetudine*. S. R. C. 24. Novembr. 1635. in Gallien. apud Meratum ind. decr. Miſſ. num. 278. confer dicta tr. 1. l. 1. c. 2. cit. num. 13. Sed *in Dominicis Adventus*, *& Quadrageſimæ*, *in quibus fit de Duplici primæ Claſſis*, *non ſunt cantandæ duæ Miſſæ* S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.* apud Meratum ind. decr. Miſſ. num. 528. Sed in Cathedralibus, & Collegiatis cantabitur unica Miſſa de feſto 1. cl. cum Commemoratione Domin. 2. claſſ. confer dicta tr. 1. lib. 2. in Dominica num. 50. & Meratum tom. 1. par. 3. tit. 11. decr. 17. Item ſi in Quadrageſima occurrat Vigilia, non ideo in Cathedralibus & Collegiatis erunt cantandæ duæ Miſſæ, ſed in Miſſa de feria Quadrag. fiat commemoratio Vigiliæ. Vide Caval. tom. 2. c. 15. in Decret. 2. num. 20.

11 Diximus cap. præcedenti: in Quadrageſima non celebrari octavas ſine ſpeciali privilegio. Ubi autem adſit, notetur, quod *in diebus infra Octavam occurrentibus in Quadrageſima debent privilegiati dicere Miſſam Conventualem de feria currente cum commemoratione octavæ*, *quamvis recitaverint Officium de die infra Octavam*. S. R. C. 24. Januarii 1682. *in Marſicana*. apud Caval. tom. 2. c. 15. d. 3. Quod eſt conforme Rubricis Miſſalis. Vid. Caval. l. cit. a num. 2. & in decr. 4. num. 1. & dicta 8. Decembr. num. 22. Itaque in dicto caſu in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis cantandæ non erunt duæ Miſſæ, ſed unadumtaxat de feria cum commemoratione Octavæ. Caval. in cit. d. 3. num. 3. Ubi autem Rubrica Miſſalis tit. 3. n. 1., ut ſupra notavimus, edicit: incidente Octava in feriis Majoribus, duas Miſſas in Cathedralibus, & Collegiatis eſſe cantandas, de Octava poſt Tertiam, & de feria poſt Nonam, intellige, ut etiam ſupra animadvertimus, de die Octava, quæ ritus duplicis eſt, & inſtar Feſti ſe habet, non item de die infra Octavam. Vide dicta in Junio, & Septemb. l. l. ſupra cit. Conſonat Decretum S. R. C. 23. Junii 1736. in *Einſidlen.* apud Caval. tom. 2. c. 15. d. 4. in quo id declaratum apparet: Vide Caval. ibi num. 8. & in d. 3. num. 6. In quo caſu in Miſſa Conventuali de Octava non fit commemoratio feriæ, & in Miſſa Conventuali de feria, non fit commemoratio Octavæ, & in Miſſa eadem de feria Orationes, & Præfatio de tempore, non Octavæ, licet eam habeat propriam. Vid. Caval. in d. 4. num. 8. Merat. in Gav. par. 3. tit. 11. n. 4. in d. 14.

In diebus infra octavam occurrentibus in Quadrageſima, qui habent privilegium celebrandi octavam in illa, ſi recitent Officium de die infra octavam, Miſſas omnes dicere debent de feria cum Commemoratione octavæ, & tertia Oratione *Concede*; non vero *A cunctis*; ex decr. S. C. R. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* apud Caval. tom. 2. cap. 15. d. 4. & tom. 5. cap. 14. num. 58. & apud Meratum ind. decret. Miſſ. num. 687. Hæc ſunt conformia Rubricis Brev., & Miſſalis. Vid. Caval. l. cit. num. 1. & 2. Merat. par. 1. tit. 3. num. 4. & tit. 7. num. 3. In hujuſmodi vero Miſſis dicetur Præfatio de Octava, ſi habeat pro-

propriam, ex eodem allegato Decreto; Vid. Caval. ibi num. 3. & tom. 5. c. 14. num. 56. d. 11. & Merat. par. 3. lib. cit. At ſine *Gloria in Excelſis*; & ſine *Credo*. Caval. in cit. diſt. 4. num. 6. & tom. 5. cap. 12. num. 16. (alias per errorem 17.) Merat. cit. par. 1. tit. 3. num. 3. & dicta 8. Decembr. l. cit. *In Miſſa votiva, quæ celebrari aliquando poteſt infra, octavam in Adventu, Quadrageſima, Quatuor temporibus, Vigiliis, & feria ſecunda Rogationum, prima Oratio erit de Miſſa, ſecunda de Octava, tertia de feria, & non recitatur Evangelium Feriæ, ſed Initium S. Joannis*: In Principio &c. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* apud Meratum ind. decret. Miſſ. n. 689. ſermo eſt de Miſſa privata. Pro Miſſis autem votivis ſolemnibus vide decretum recitandum inferius n. 18.

In Quadrageſima non dicitur Miſſa Conventualis pro Defunctis, neque pro eis fit commemoratio. Dicitur tamen Miſſa Defunctorum etiam in Quadrageſima in die Depoſitionis Defuncti, & in Anniverſario pro Defunctis. Rubr. gen. Miſſ. tit. 5. num. 1. & 2. in Quadrageſima vero in feriis ſecundis non dicitur Miſſa Conventualis pro Defunctis, quia feriæ Quadrageſimales habent Miſſas proprias, quas conſequenter opus foret, omittere, vel gravare Clerum ſequenti onere duarum Miſſarum: ut obſervat Caval. tom. 3. cap. 8. in d. 1. num. 16. Quod autem Rubrica dicit: hoc tempore non fieri commemorationem pro Defunctis: intellige pro ſolis Defunctis. Cæterum pro vivis ſimul & Defunctis quotidie uſque ad Dominicam Paſſionis oratur in oratione *Omnipotens Sempiterne Deus*: Unde neceſſe non fuit particularis alia collecta pro ſolis Defunctis: ut idem Cavalerius animadvertit lib. cit. Cur autem etiam prædicta Oratio *Omnipotens*: omittatur tempore Paſſionis? Dicemus in fer. 2. poſt Dom. Paſſ.

Miſſa de tempore in Quadrageſima debet cantari poſt Nonam. Rubr. gen. Miſſ. tit. 15. num. 2. *Quadrageſimæ Adventus, & Vigiliarum temporibus, necnon in diebus Rogationum occurrente aliquo Feſto Duplici, vel Semiduplici, non licet poſt Primam celebrare Miſſam prædictarum feriarum, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ, quæ præſcribunt poſt Nonam*. S. R. C. 22. Januar. 1701. in una Camaldulenſium Montis Coronæ: apud Merat. ind. decr. Miſſ. num. 548., & confirmatum fuit 19 Januar. 1743. in altera eorumdem Camaldul. Mont. Cor. ut in opere Merati in 2. append. decr. Miſſ. num. 868. Si præter Miſſam Conventualem celebretur altera ſolemnis de feſto ſolemni: Vid. dicenda in fer. quarta poſt Dom. Pentec. art. 2. de Miſſa n. 4.

Diaconus, & Subdiaconus in Dominicis, & Feriis Quadrageſimæ, (exceptis Dominica *Lætare*: Et Sabbato Sancto in Benedict. Cerei, & Miſſa:) in Cathedralibus, ac præcipuis Eccleſiis (etiam Regularium: Vide dicta l. 1. par. 1. c. 3. n. 6.) utuntur Planetis plicatis ante pectus: quam Planetam Diaconus dimittit, cum lecturus eſt Evangelium, eamque tunc ſuper ſiniſtrum humerum ſuper ſtolam complicatur: aut ponitur aliud genus ſtolæ latioris in

mo-

modum Planetæ plicatæ ; & facta communione , reſumit Planetam ut prius : Similiter Subdiaconus dimittit eam , cum lecturus eſt Epiſtolam , quam legit in Alba , & ea finita , oſculataque celebrantis manu , Planetam reſumit , ut prius . Rationem Ritus hujuſmodi aſſignavimus lib. 1. l. cit. n. 15. fine . In minoribus autem Eccleſiis (etiam Parochialibus , & Regularium non inſignibus Eccleſiis, ac Monialium: Vide l. 1. cit. num. 6.) prædictis diebus Alba tantum amicti miniſtrant , Subdiaconus cum Manipulo , Diaconus etiam cum Stola ab humero ſiniſtro pendente ſub dexterum . Rubr. gen. Miſſ. tit. 19. num. 6. & 7.

Poteſt Epiſcopus cogere Canonicos , ut a Capellanis in Quadrageſima cantare faciant Miſſam Conventualem feriæ cum Diacono , & Subdiacono : S. R. C. 17. Julii 1627. apud Merat. ind. decr. Miſſ. num. 212. Confer dicta tr. 1. l. 1. cap. 2. qu. 5. num. 12. fine.

25 In Choro in Miſſa ſolemni genuflectitur ab iis, qui non ſunt Prælati, ad Confeſſionem cum ſuo Pſalmo. In Miſſis autem feriarum Quadrageſimæ, (& in quibuſdam aliis ſuis locis notatis, & notandis:) genuflectunt omnes etiam ad Orationes, & dicto per Celebrantem *Sanctus* , uſque ad *Pax Domini;* & ad Orationes *Poſtcommunionem* , & *Superpopulum* . Rubr. gen. Miſſ. tit. 17. n. 5. Merat. tom. 1. par. 4. tit. 6. n. 20. Et in Miſſa etiam feriali, quæ ſubſtituitur Miſſæ de Octava apud Privilegiatos ſupradictos, eſt genuflectendum in Choro ; ex D. S. C. R. 27. Junii 1736. apud Meratum ind. decr. Miſſ. num. 688.

Pro Miſſis Conventualibus præter hactenus notata, videri poſſunt dicta tr. 1. l. 1. c. 2. qu. 5. & ſequentibus interrogat. hic autem ſpecialiter

Qu. I. Utrum ſit obligatio gravis 16
celebrandi præter Miſſam Conventualem de feſto, alteram quoque de feria privilegiata; ita ut, hæc ſi omittatur, peccetur mortaliter?

℞. Affirmat Gavantus in Rubr. Miſſ. par. 3. tit. 11. num. 7. & num. 11. teſtatur, ſic declaraſſe Sacrorum Rituum Congregationem: & ita ſcribit; (in editione qua ego ſum uſus .) *Tanquam de re graviſſima ſtatuit Sacra Congregatio, Miſſam de feria privilegiata in Cathedralibus, & Collegiatis nullatenus omittendam eſſe : ſed omnino adſtantibus Canonicis, & aſſignata diſtributionum portione cantandam eſſe , aut cum Diacono , & Subdiacono; aut ſi eorum copia non ſuppetit, abſque eis, & poſt Nonam : non obſtante quacumque conſuetudine contraria, quam Sacra eadem Congregatio ſubſtulit, & in poſterum admitti vetuit, & addit pœnas contentas in Bulla Pii V. quæ præceptum continet .* Hæc Gavantus. Huc utique faciunt ſequentia Decreta, quæ hic, & alibi dedimus: *Miſſa Conventualis de feria in Cathedralibus, & Collegiatis omnino eſt dicenda ultra Miſſam feſti , & abuſus ſunt reformandi* . S. R. C. 16. Januarii 1627. *in una abuſus reformandi* apud Meratum ind. decret. Miſſ. num. 203. *Miſſa Conventualis in Quadrageſima, & Adventu nullo modo poteſt omitti, quando in eis etiam cadat feſtum alicujus Sancti : non obſtante contraria conſuetudine* . S. R. C. 24. Novembr. 1635. *in Gallien.* apud Cajet. Merat. ind-

ind. decret. Miſſ. num. 278. Item eadem S. R. C. interrogata: an in Cathedrali Conimbricenſi, attentis circumſtantiis toleranda eſſet aſſerta conſuetudo cantandi unicam Miſſam, aliam legendi iis diebus, quibus a Rubrica duæ præcipiuntur Miſſæ? Reſpondit: *Negative: reſervato jure probandi antiquam conſuetudinem; & amplius*. S. R. C. 14. April. 1753. in Conimbricen. ad 1. dub. apud Cavaler. tom. 5. in collect. recentior. decret. Rurſus eodem anno 1753. 22. Decembr. in una Vilnen. interrogata: quando juxta Rubricas Miſſalis in feriis Quadrageſimæ, Quatuor temporum, Rogationum, ac Vigiliarum præſcribuntur duæ Miſſæ cantatæ in Cathedralibus, & Collegiatis, una de feſto poſt tertiam, altera de feria poſt Nonam; utrum in Cathedrali Vilnenſi, propter inſufficientiam temporis, ratione multarum Votivarum cantandarum ex fundatione, poſſet una ex his duabus ſubſtitui lecta pro cantata? Reſpondit: non poſſe omitti alteram ex his duabus Miſſis cantandis. Miſſæ autem votivæ ex fundatione cantandæ poſſe ſubſtitui votivam lectam ex rationabili cauſa ab Ordinario dignoſcenda, & approbanda. Ita in dicta Vilnenſi ad 10. & 11. dub. apud Caval. l. cit. Eamdem obligationem gravem in prædictis Eccleſiis indicat Pelliz. in Manuali tract. 5. cap. 9. ſect. 2. quæſt. 4. Lezan. V. Miſſa num. 49. Buſemb. lib. 6. part. 2. tract. 3. cap. 3. dub. 1. reſol. 2. Bened. XIV. de Miſſa ſect. 2. cap. 1. §. 2. alias lib. 3. cap. 3. num. 4. Pro hujuſmodi obligatione gravi ſtat Cavalerius to. 3. cap. 8. in decr. 11. num. 1. ubi citat pro ea Guyetum, laudatque Gavantum rite cenſentem, Rubricas ſuper Miſſis Conventualibus eſſe præceptivas, & de re graviſſima.

Qu. II. Utrum prædicta gravis 17 obligatio, quæ extat in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, cantandi præter Miſſam de feſto, alteram quoque de feria, quando caſus occurrit: urgeat etiam Eccleſias Regularium Choro addictorum?

℟. Affirmant aliqui apud Franc. De Lugo de Sacram. lib. 5. de Miſ. cap. 5. quæſt. 2 num. 24. eo quod putent Eccleſias Regularium eſſe Collegiatas. Alii vero negant teneri: cum negent, has eſſe Collegiatas, proprie loquendo, aut in odioſis; Ita Pelliz. loc. cit. Diana edit. coord. tom. 2. tract. 1. R. 83. aliique apud eumdem De-Lugo loc. cit. Huic etiam ſententiæ negativæ ſubſcribit Lezana V. Miſſa num. 49. ſi dicatur: præceptum prædictum non urgere omnes Orbis Eccleſias: (quas tamen omnes, ei videtur urgere ex nonnullis declarationibus Sacræ Congregationis:) ſed dicatur: urgere ſolas tantummodo Cathedrales, & Collegiatas; Regularium enim Eccleſiæ non ſunt, inquit, niſi improprie, Collegiatæ, & ſolum quoad favorabilia. Utramque ſententiam eſſe probabilem, docet Tamburinus Meth. celebr. Miſſ. lib. 1. cap. 6. §. 2. nu. 8. Idipſum affirmat Franciſcus de-Lugo loc. cit. fine; qui addit: Videri præſertim attendendam eſſe praxim. Et quidem etiam ſtando in ſententia negante obligationem prædictam, vult nihilominus ipſemet Pelliz. quæſt. 4. ex Peyrino, ſi in Monaſterio degant ſaltem decem Sacerdotes, ibi-

que

que extet conſuetudo dicendi duas Miſſas: eas dici debere: cum talis inquit, conſuetudo ſit laudabilis, utpote conformis Miſſali reformato a Pio V. præcipiente, quod in Eccleſiis Collegiatis duæ Miſſæ dicantur in Quadrageſima, Adventu, & Vigiliis: ſcilicet una de feria, & alia de Sancto tunc occurrente. At vero etiam ſtando in ſententia affirmante obligationem prædictam: ex eodem Peyrino docet Lezana loc. cit. fine: probabile eſſe ſufficere, quod in dictis Eccleſiis Regularium una prædictarum Miſſarum cantetur, altera recitetur: quia, inquit, nec Decreta Sacræ Congregationis aliud petunt; nec ideſt in praxi receptum, videlicet, quod apud Regulares utraque Miſſa cantetur.

Nos tract. 1. lib. 1. cap. 2. quæſt. 5. interrog. 6. num. 19. oſtendimus Doctorum auctoritate, & ratione, præceptum de Miſſis Conventualibus ex jure communi urgere tantummodo Cathedrales, & Collegiatas Eccleſias; quales non ſunt Eccleſiæ Regularium. Animadvertimus tamen ibidem num. 20. poſſe nihilominus obligari ex vi proprii ſtatuti, ſeu Regulæ ad celebrandam quotidie Miſſam Conventualem. Similiter autem hic dicimus: poſſe Regulares eoſdem obligari ex vi ſimilis ſtatuti ſeu Regulæ propriæ, ad celebrandas duas, vel tres Miſſas Conventuales, ſeu de feſto, & feria, quando caſus occurrerit; & ad cantandas ſingulas, quemadmodum Cathedrales, & Collegiatas Eccleſias teneri docuimus l. cit. num. 12.

18 Nota hic: quod cum quæſitum fuerit a S. R. C. *Iis in Eccleſiis Regularium, in quibus non eſt conſuetudo cantandi quotidie Miſſam currentis Officii; utrum in Miſſa ſolemni, quæ ſola canitur pro re gravi, vel ob occurſum feſti ſolemnis, de quo eodem die officium nequit fieri, non cantata Miſſa Officii diei, nempe de Dominica privilegiata, feria majori, vel feſto aliquo, debeat addi collecta illius diei Officii currentis, nempe feſti alicujus, Dominicæ, feriæ majoris?* S. C. reſpondit. *In Miſſis votivis ſolemnibus, quæ pro re gravi, vel ob occurſum feſti ſolemnis in aliam diem transferendi, etſi unica tantum canatur Miſſa, unica tantum Oratio dicenda eſt.* S. R. C. 29. Januar. 1752. in una Ordin. Carmelit. Excalceat. Provinciæ Polon. ad 9. dub. apud Caval. tom. 5. in collect. recentior.

Qu. III. An, quando duæ, vel 19 tres Miſſæ Conventuales dicendæ ſunt, applicandæ ſint ſingulæ pro Benefactoribus in genere? quemadmodum ita applicandam eſſe Miſſam Conventualem quotidie celebrandam in Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis, docuimus tract. 1. lib. 1. cap. 2. qu. 5. interr. 7. n. 21.

℟. Affirmative, ubi id conſuetudo obtinuerit: ſecus negative; ſed ſatis erit applicare primam ad intentionem prædictam: in reliquis tamen commendandi ſaltem ſunt in commemoratione pro Defunctis, Eccleſiæ Benefactores in genere. Ita Bened. XIV. Conſtit. *Cum ſemper* §. 22. tom. 1. Bullar. ſui n. 103.

Qu. IV. Utrum quadrageſimalibus diebus ſit obligatio audiendi Miſ- 20 ſam? Dubium poſſet oriri ex eo; quia C. *Solent* 49. diſt. 1. de conſecr. videtur velle, quod in Quadrageſima nullus jejunare dicatur, niſi

audita Miſſa; vid. dicta cap. præced. num. 16. fine.

℞. Negative. Ad rationem dubitandi dico: allegatum caput vel loquitur de Conſilio, vel ſi loquitur de obligatione præſcripta, abrogatum eſt. Ita Sylveſter in ſum. v. *Miſſa* 2. qu. 1. §. 3. fine. Roſella v. *Miſſa* §. 13. Azor. Inſtit. Moral. part. 1. lib. 7. cap. 4. qu. 2. fine, Navarr. in Manual. cap. 21. num. 2. fine. Addo: Allegatum caput non eſſe Decretum alicujus Pontificis, vel Concilii univerſalis; vid. dicta cap. præced. cit. num. 16 initio: unde non potuit univerſaliter obligare. Recte tamen monet Navarrus: plurimum decere, ut audiat Miſſam quicumque id commode facere poteſt tempore tam ſancto, tamque ſacris Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui in ea realiter offertur, myſteriis dedicato.

21 Nota hic primo: In feriis ſextis Quadrageſimæ non celebrari Miſſam ex ritu Ambroſiano, aut in Eccleſiis Ambroſianis: Bonac. de Sacram. Euchar. diſp. 4. qu. 7. punct. 2. num. 17. In Eccleſia vero Græca omnibus diebus Quadrageſimæ, præter Sabbatum, & Dominicam, & feſtum Annunciationis, non conſecratur Corpus, & Sanguis Chriſti; ſed Sacerdos utitur Præſanctificatis ideſt Hoſtiis antea conſecratis: Quemadmodum fit in Eccleſia Latina feria VI. in Paraſceve: Quæ functio ſacra nuncupari ſolet Miſſa Præſanctificatorum. Vid. Bened. XIV. de feſt. Domin. cap. 7. §. 7. Merat. tom. 1. part. 1. in præliminar. num. 79.

22 Nota ſecundo: quoad Telam, ſeu Velum magnum, quod tempore quadrageſimali ante Altare majus in pluribus Eccleſiis, conſuevit extendi: conſuetudinem hujuſmodi veterem toto Quadrageſimæ tempore extendendi Telam, ſeu Velum magnum, & amplum, cæruleum, vel violaceum ante faciem Altaris majoris, a veteri acceptam lege, docet Honorius Auguſtodunenſis in Gemma lib. 3. de antiquo ritu Miſſæ cap. 46. Profecto Exodi 26. Dixit Dominus Moyſi: *Facies & Velum .... quod appendes ..... intra quod penes arcam teſtimonii, quo & Sanctuarium, & Sanctuarii Sanctuaria dividentur*. Item teſte A Lapide in Matth. 27. 51. tradit Joſephus lib. 6. belli cap. 6. duplex fuiſſe Templi Velum, unum ante Sanctum Sanctorum, alterum ante Sanctum. Sanctum erat, quaſi Navis templi, in quod Sacerdotes quotidie ingrediebantur: Sanctum Sanctorum erat quaſi Chorus, & Sanctiſſima pars Templi, quem locum Pontifex ſemel in anno ingrediebatur. Confer Apoſtolum ad Hebr. cap. 9. cujus quidem Velum fuiſſe, quod Chriſto moriente ſciſſum eſt medium, ut Evangeliſtæ teſtantur, ſuſtinet cum aliis laudatus Interpres. Conſuetudo igitur illa prædictum Ritum legis veteris imitatur. Porro Quadrageſimale tempus ſignificat tempus legis veteris: uti notavimus lib. 3. part. 1. cap. 1. nu. 4. Id autem non eſſe Judaizare: collige ex dictis 2. Febr. num. 5. & 6. Interim varias obſervo ſignificationes, & cauſas aſſignari conſuetudinis hujus Eccleſiaſticæ.

Petrus Bleſenſis ſerm. 11. apud Raynaud tom. 12. diſſert. de ſobr. frequent. mulier cap. 8. §. *Mulieres*

res ſemotæ ab Altar. putat, Velum hoc extendi ante locum Chori, ut Clerici ibi canentes nec videant, nec videantur præſertim a mulieribus exiſtentibus extra Chorum in Eccleſia; idque in majorem caſtitatis commendationem, quæ tempore quadrageſimali debetur. Ait itaque laudatus Auctor, tempore Quadrageſimæ, quo par eſt ſacros homines intimius necti Deo, ad ſeveritatem majorem a carnis illecebris, ſupra jejunium hoc tempore *Specialem introductam eſſe medicinam;* (ſunt ejus verba:) *interponitur enim Velum inter Pſallentes, & populum, alterius quidem ut majoris gratia ſignificationis; ſed ad hoc tamen, ut laſciviam tollat oculorum, & licentiam, per quorum feneſtras mors luxuriæ crebrius ſolet introire. In primis quidem Eccleſiis, & fere uſque ad modernorum tempora ſic pſallebatur in Choro, quod ab humeris ſupra, pſallenter a populo dividebantur; ſicut & in atrio Sacerdotum ante Templum. Sed tempore Quadrageſimæ interpoſitis Auleis mutuus negabatur aſpectus*. Hæc Bleſenſis.

Significatio autem illa major Velli per tempus Quadrageſimæ interpoſiti, quam ille reticuit, explicari poteſt ex iis, quæ habet Honorius loco ſupra cit. ubi ait: quod *hoc Velum eſt Cœlum mira varietate depictum, rutilantibus gemmis diſtinctum; hoc nobis pro velo inter corporea, & ſpiritualia ſuſpenditur, quo Chriſtus, & illa ſuperna patria nunc a nobis celatur. Poſtea Cœlum, ut liber complicabitur, & ut tentorium colligetur; & tunc facies Domini nobis revelabitur; & cœleſtis gloria denudabitur. Ex collocutione etiam Divina facies Moyſi erat ut ſol ſplendida; qui velamen ante ſe ſuſpendit, ut populus in eum intendere poſſet. Facies glorificata eſt ſacra Scriptura. Velamen, quod faciem operuit, eſt carnalis obſervantia, quæ intelligentiam legis velavit. Hoc velamen eſt adhuc ſuper corda Judæorum poſitum, & ideo non valent videre ſplendidam legis ſenſum. Et quia myſterium Scripturæ in hoc tempore a nobis velatur; ideo velum ante oculos noſtros in his diebus extenditur*. Hæc laudatus Honorius. Similia habet Durandus in Ration. Divinor. Offic. lib. 1. cap. 3. num. 34. & 35. ac videri etiam poteſt Joannes Beleth de Divin. Offic. cap. 85. fine. Honorii autem illud de myſterio Scripturæ nobis velato; accipiendum eſt quoad teſtamentum vetus in ſenſu myſtico, & figurato; hoc eſt: quod repræſentemus his diebus quadrageſimalibus antiquæ legis tempus, quo erant hominibus myſteria Scripturæ velata; idque ſignificet Velum hoc ante Altare majus extenſum. Quod autem interpretatur etiam hoc Velum de cæcitate, ſeu infidelitate Judæorum & duritia cordis eorum: conſonat Apoſtolus 2. ad Cor. cap. 3. verſ. 14. & 15. de Judæis dicens: *Sed obtuſi ſunt ſenſus eorum; uſque in hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non revelatum, (quoniam in Chriſto evacuatur.) Sed uſque in hodiernum diem, cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum*.

Denique dici etiam poteſt: hujuſmodi velo cooperiri Altare ad in-

indicandum luctum: quia eſt tempus Paſſionis Domini: unde & coloris eſſe violacei, & aliquod etiam in eo depingi paſſionis Myſterium conſuevit. Vide dicenda in Sab. ante Dom. Paſſionis num. 17. & in Sab. Sancto ſubſ. 4. §. 2. num. 355. fine; ubi explicabimus: quare tunc poſt initium Miſſæ removeatur hujuſmodi Velum?

De ſepimenti autem illius lignei, (ſive etiam linei, ut paſſim vidimus uſurpari:) quod in Eccleſiis adhibetur, dum ſacræ Conciones habentur, origine, & cauſa, breviter agit Meratus. tom. 1. part. 2. tit. 6. num. 38. qui videri poteſt.

CAPUT V.

De Indulgentiis.

1 IN omnibus Dominicis Quadrageſimæ, cæteriſque quadrageſimalibus diebus habentur Indulgentiæ Stationum. De ſtationibus egimus hic cap. 2. art. 1. ſect. 1. ſubſect. 4. §. 2. a num. 101.

Quid notandum pro Indulgentiis, quæ conceſſæ ſint pro ſextis feriis menſis Martii, ſeu Quadrageſimæ? Vide in Martio part. 1. §. 3.

CAPUT VI.

De Reſidentia Epiſcoporum.

TRIDENTINUM ſeſſ. 23. cap. 1. de Reform. indulget Epiſcopis abeſſe ex juſta cauſa a propriis Diœceſibus per Trimeſtre, ſive continue, ſive interrupte intra annum: eoſque ſimul admonet, ne per illius temporis ſpatium Quadrageſimæ &c. diebus ab Eccleſiis ſuis Cathedralibus abſint: niſi forte Epiſcopalia munia in aliis Diœceſum ſuarum locis eos detineant. Vid. dicenda in Appendice ad calcem Diari c. 11. de Reſid. Cleric. 1

CAPUT VII.

De prohibitione Solemnitatis Nuptiarum.

SECUNDUM veteres Canones C. *Non oportet* 10. *diſt.* 4. *de pœnit.* & *C. Capellanus de feriis*. Solemnitas Nuptiarum facienda non eſt a prima Dominica Adventus uſque ad Epiphaniam: nec a Septuageſima, quod eſt tempus triſtitiæ, uſque in Octavam Paſchæ: nec tribus hebdomadis ante feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ ſeu a prima die Rogationum uſque ad octavam diem poſt Pentecoſten incluſive. Idque ſive ob ſolemne jejunium prædictis tribus temporibus celebratum: ut putat Azorius Inſtit. moral. part. 1. lib. 7. cap. 21. quæſt. 3. ſive ob univerſalem communionem SS. Euchariſtiæ iiſdem temporibus tunc fidelibus imperatam: ut alii volunt apud eumdem Azorium. Pro tempore Adventus quamdam aliam ratio- 1

tionem aſſignavimus lib. 1. part. 1. cap. 5. num. 2. Verum ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 10. de reform. Matrim. vetitum eſt celebrare ſolemnitates Nuptiarum ſolum in Adventu Domini uſque in diem Epiphaniæ: ut cit. cap. 5. notavimus; & a fer. IV. Cinerum uſque ad octavam Paſchatis incluſive: ſeu uſque ad mediam noctem incluſive Dominicæ in Albis, incipiente feria ſecunda.

Qu. hic: utrum initium hujus prohibitionis ſumendum ſit a Veſperis diei præcedentis feriam IV. Cinerum?

℞. Negative, ſed a media nocte feriæ IV. Cinerum: ſeu mox poſt mediam noctem feriæ tertiæ poſt Dominicam Quinquageſimæ; Ita La-Croix lib. 6. part. 3. quæſt. 64. §. 10. num. 469. Caval. tom. 4. cap. 14. comment. in decr. 22. num. 2. & tenet communis. De prohibitione ſolemnitatis Nuptiarum alia plura notavimus atque tractavimus lib. 1. cit. cap. 5. quæ videri debent.

CAPUT VIII.

Not. pro Confeſſione annua, & Comm. Paſch.

1 RITUALE Rom. Pauli V. tit. de communione Paſchali ſic Parochos admonet: *Curet autem Parochus, ut in Quadrageſima per ſe, vel per alios Concionatores populo opportune renuncietur Conſtitutio Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III., quæ ſic habet:* Omnis utriuſque ſexus &c. Quæ nimirum Conſtitutio agit de præcepto confitendi ſaltem ſemel in anno, & communicandi in Paſchate, in Parochia propria, ſeu per manus Parochi ſui, vel alterius Sacerdotis ab eo delegati. Parochus itaque in Quadrageſima per ſe, vel per Concionatorem, qui forte concionetur in ejuſdem Eccleſia, Parochianos ſuos commonefaciat, ut meminerint ſatisfacere præceptis hujuſmodi: eique ſe digne pro viribus præparare. De præcepto Communionis Paſchalis diſputabimus hic lib. 5. part. 2. in ejus 1. part. cap. 3. De præcepto autem Confeſſionis annuæ in Appendice ad calcem Diarii c. 13.

CAPUT IX.

De eleemoſyna pro locis Sanctis in Hieruſalem.

BENEDICTUS XIV. Conſtit. incip. *Emanarunt* 20. Auguſti 1743. ut Salvatoris noſtri, & Redemptionis humanæ Monumenta, quæ in Civitate Hieruſalem, & locis circumvicinis ſunt, conſerventur, & omni qua fieri poterit, majori honorificentia recolantur: committit, & mandat Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis, nec non omnibus, & ſingulis quorumvis Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum Regularium Generalibus, *ut ad minus quatuor vicibus quolibet anno, Adventus, & Quadrageſimæ temporibus*, tam per Verbi Dei Prædicatores in ſuis ſacris Concionibus, quam in quibuſvis aliis actionibus, & functionibus publicis neceſſitates Terræ Sanctæ, ſeu prædictorum ſacrorum Monumentorum proponi, & com-

commendari curent, & faciant. Ac inſuper, ut Parochialium Rectores, aliarumque Eccleſiarum Adminiſtratores unum, ſeu plures viros probos ad colligendas eleemoſynas hujuſmodi in eorum Eccleſiis ſtatutis diebus deputent: ac ſtatim has eleemoſynas collectas in eorum manibus conſignari faciant, elapſiſque Adventus, & Quadrageſimæ temporibus, ad proprios Ordinarios pecuniam ſibi conſignatam tranſmittere debeant; dictique Ordinarii eam Syndicis in eorum reſpective Diœceſibus ad hoc deputatis conſignari curent, & faciant.

Finis Tomi Primi Anni Eccleſiaſtici.

ELEN-

E L E N C H U S

Librorum, Partium, Capitum, Articulorum, Sectionum, Subſectionum, Paragraphorum, Quæſtionum.

T O M I P R I M I

T R A C T A T U S S E C U N D I

DIARII LITURGICO-THEOLOGICO-MORALIS.

PRoœmium de partibus, & computatione Anni Eccleſiaſtici. Pag. 3

L I B E R I.

Not. in Adventu.

Pars I. Not. in Adventu in genere. pag. 5

CAP. I. De Inſtitutione, & obſervantia adventus. ibid.

CAP. II. De Horis canonicis. pag. 8

Quæſt. I. Si in adventu recitari non queat Officium Defunctorum in feriis ſecundis, eo quod omnes ſint impeditæ feſto novem lectionum: ut accidit, quando Dominica prima Adventus recurrit die 29. Novembris: an ratione menſis erit ſemel ſaltem recitandum prima die non impedita feſto novem lectionum? pag. 13

Quæſt. II. Quoniam in Adventu recitatur Officium Defunctorum in omnibus ſecundis feriis: quæres: utrum occurrente Vigilia Nativitatis in feria ſecunda hebdomadæ quartæ Adventus, ea die recitandum ſit Officium Defunctorum? pag. 14

Quæſt. III. An ſit obligatio recitandi in prædictis feriis Officium Def.? pag. 15

CAP. III. De Miſſa. pag. 16

CAP. IV. De Jejunio, & abſtinentia Adventus. pag. 25

Cap. V. De prohibitione ſolemnitatis Nuptiarum. pag. 27

CAP. VI. De Reſidentia Epiſcoporum. pag. 30

CAP. VII. De Indulgentiis. ibid.

CAP. VIII. De Eleemoſyna pro Locis Sanctis in Hieruſalem. ibid.

PARS II. LIBRI I. Not. in Adventu ſingulis hebdomadis.

CAP. I. Not. in hebdomada I. Adventus.

Art. I. Not. in Dominica I. Adventus. pag. 31

Sect. I. De Horis canonicis. ibid.

Sect. II. De Miſſa. pag. 32

Sect. III. De Indulgentiis. ibid.

Sect. IV. De celebratione Nuptiarum. ibid.

Sect. V. De Edicto Fidei. ibid.

Art. II. Not. Fer. II poſt Dom. I. Advent.

Sect. Un. De Lectione Decretorum Pontific. pag. 33

Art. III. Not. in Sabbato poſt Dom. I. Advent. ibid.

Sect. Un. De Horis Canonicis. ibid.

CAP. II. Not. in Hebdomada II. Adventus. ibid.

Art. I. Not. in Dominica II. Adventus. pag. 33

Sect. I. De Horis Canonicis. ibid.

Sect. II. De Miſſa. pag. 34

Sect. III. De Indulgentiis. ibid.

Art. II. Not. in Sabbato poſt Dom. II. Advent. ibid.

Sect. Un. De Horis Canonicis. ibid.

CAP. III. Not. in hebdomada III. Adventus. ibid.

Art. I. Not. in Dominica III. Advent.

Sect. I De Horis Canonicis. pag. 34

Sect. II. De Miſſa. 35

Sect. III. De Indulgentiis. pag. 36

Art. II. Not. Feria IV. poſt Dom. III. Advent. quæ eſt Fer. IV. Quat. temp.

Sect. I. De Hor. Canon. ibid.

Sect. II. De Miſſa, & Collatione Ordinum. ibid.

Sect. III. De Indulgentiis. pag. 37

Sect. IV. Not. pro Jejunio Quatuor temporum. ibid.

Art. III. Not. Feria VI. poſt Dom. III. Advent. quæ ex Fer. VI. Quat. temp.

Sect. Un. De Hor. can. & Miſſa. pag. 37

Art. IV. Not. in Sab. poſt. Dom. III. Advent. Quod eſt Sab. Quat. temp.
Sect. I. De Hor. Canon. Miſſ. & Indulgent. ibid.
Sect. II. De Collatione Ordinum. pag. 38
Sect. III. De Jejunio. ibid.
CAP. IV. Not. in Hebd. IV. Advent.
Art. I. Not. in Dominica IV. Advent.
Sect. I. De Horis Canonicis. pag. 39
Sect. II. De Miſſa. ibid.
Sect. III. De Indulgentiis. pag. 40
Art. II. Not. Fer. II. poſt. Dom. IV. Advent.
Sect. Un. De Hor. Canon. & Officio Defunct. ibid.
Art. III. Not. in Sab. poſt Dom. IV. Advent.
CAP. V. Not. in Vigilia Nativitatis Domini. ibid.

L I B E R II.

Not. a Nat. Domini uſque ad Septuageſimam.

CAP. I. Not. in genere a Nat. Dom. uſque ad Octavam Epiph. De Horis Canonicis, & Miſſa. pag. 41
CAP. II. Not. a Nat. Dom. uſque ad Oct. Epiph. ſingulis Diebus. pag. 42
Quæſt. I. An peregrinus, aut vagus dum moratur in Belgio, ſeu locis, ubi conſuetudo vigeat veſcendi carnibus in Sabbatis a Nativitate ad Purificationem, poſſit & ipſe dictis Sabbatis veſci carnibus? pag. 44
Quæſt. II. Si Belga aliquis, aut Gallus veniat alio, ubi non habetur prædicta conſuetudo ſuæ Patriæ, ſi tamquam peregrinus moretur: poteſt ne ibi veſci carnibus prædictis Sabbatis? ibid.
CAP. III. Not. in genere toto tempore poſt Epiphan. uſque ad Septuag.
Art. I. De Hor. Canon. pag. 47
Art. II. De Miſſa. pag. 54
CAP. III. Not. in ſpecie pro Hebd. I. poſt Epiphaniam. pag. 56
Not. in Dom. I. poſt Epiph. remiſſive. ib.
Art. I. Not. in Sabbato poſt Dom. I. Epiphan. De Horis Canonicis. pag. 56
Art. II. De Miſſa. pag. 59
CAP. IV. Not. in Hebd. II. poſt Epiph.
Art. I. Not. in Dom. II. poſt Epiphan.
Sect. I. De Horis Canon. pag. 60
Sect. II. De Miſſa. pag. 65
Art. II. Not. in Feria II. poſt Dom. II. Epiphan.
De Horis Canon. & Miſſa. pag. 66
Art. III. Not. in Sab. poſt Dom. II. Epiphan. De Horis Canonicis, & Miſſa. ibid.
CAP. V. Not. in Hebd. III. poſt Epiph.
Art. I. Not. in Dom. III. poſt Epiph.
De Horis Canon. & Miſſa. pag. 67
Art. II. Not. in feria II. poſt Dominica III. Epiphan.
De Horis Canon. & Miſſa. ibid.
Art. III. Not. in Sab. poſt Dominica III. Epiphan.
De Horis Canon. & Miſſa. ibid.
CAP. VI. Not. in Hebd. IV. poſt Epiph.
Art. I. Not. in Dom. IV. poſt Epiphan.
De Horis Canon. & Miſſa. ibid.
Art. II. Not. in Fer. II. poſt Dominica IV. Epiph.
De Horis Canon. & Miſſa. pag. 68
Art. III. Not. in Sab. poſt Dom. IV. Epiphan.
De Horis Canon. & Miſſa. ibid.
CAP. VII. in Hebd. V. poſt. Epiphan.
Art. I. Not. in Dom. V. poſt Epiphan.
De Horis Canon. & Miſſa. ibid.
Art. II. In Feria II. poſt Dom. V. Epiph.
De Horis Canonic. & Miſſa. ibid.
Art. III. Not. in Sab. poſt Dom. V. Epiph.
De Horis Canon. & Miſſa. pag. 69
CAP. VIII. Not. in Hebd. VI. poſt Epiph.
Art. I. Not. in Dom. VI. poſt Epiph.
De Horis Canon. & Miſſa. ibid.
Art. II. Not. in Sab. poſt Dom. VI. Epiphan. ſeu in Sab. quod immediate præcedit Dominicam Septuageſimæ.
De Horis Canon. ibid.

L I B E R III.

Notanda a Septuageſima ad Fer. IV. Cinerum.

CAP. I. Not. in genere.
De Horis Canonicis. pag. 71
CAP. II. De Miſſa. pag. 76
CAP. III. De expoſitione Euchariſtiæ ad coercendos Ludos bacchanales, & de Indulg. plen. conceſſa viſitantibus illam. pag. 77

CAP.

CAP. IV. Not. in Hebd. Septuageſimæ.
Art. Un. Not. in Dom. Septuageſimæ.
Sect. I. De Horis Canonicis. pag. 79
Sect. II. De Miſſa. ibid.
Sect. III. De Indulgentiis. pag. 80
Sect. IV. Not. pro Bulla Cruciatæ. ib.
CAP. V. Not. in Hebd. Sexageſimæ.
Art. I. Not. in Dominic. Sexageſimæ.
Sect. I. De Horis Canonicis, & Miſſa. ibid.
Sect. II. De Indulgentiis. pag. 81
Art. II. Not. Fer. V. poſt Dominicam Sexageſimæ.
Sect. I. De Horis Canonicis. pag. 82
Sect. II. De Indulgentiis. ibid.
Sect. III. Not. pro Jejunio Vigiliæ S. Matthiæ Apoſtoli. ibid.
Art. III. Not. Fer. VI. poſt Dom. Sexageſ. in Anno biſſextili.
De Horis Canonicis. ibid.
Art. IV. Not. in Sab. poſt Dom. Sexageſ.
Pro Jejunio Vigiliæ S. Matthiæ, & Horis Canonic. pag. 83
CAP. III. Not. in Hebd. Quinquageſ.
Sect. I. De Horis Canonic. ibid.
Sect. II. De Miſſa, & Expoſitione quam dicunt Quadraginta Horarum. pag. 84
Sect. III. De Indulgentiis. ibid.
Sect. IV. Solvuntur nonnullæ quæſtiones ad bacchannales ludos pertinentes. pag. 85
Qu. I. An Clerici Sæculares, & Regulares peccent mortaliter, ſi in diebus bacchannalibus incedant per Civitatem perſonati, vulgo *maſcherati*? ibid.
Qu. II. Qui percuteret aliqnem Clericum perſonatum in bacchannalibus, ignorans eſſe Clericum, an incurreret excommunicationem latam in jure adverſus percuſſores Clericorum? ibid.
Qu. III. Inter cæteros bacchannales ludos frequens eſt ille, quo viri ornant ſe veſte muliebri, & fœmineo geſtu demutati virilem vultum effęminant. Mulieres autem induunt virilem habitum; quæritur: an hoc ſit peccatum? ibid.
Qu. IV. Diebus præſertim bacchanalibus repræſentantur alicubi Comędiæ turpes; quæritur: an peccent mortaliter, qui eas componunt, permittunt, repræſentant? pag. 87.
Art. II. Not. Feria II. poſt Dominicam Quinquageſimæ.
Pro Jejunio Vigiliæ S. Matthiæ. pag. 87
Art. III. Not. Feria III. poſt Dominicam Quinquageſimæ.
Sect. I. De Horis Canonicis. ibid.
Sect. II. Not. pro Jejunio Vigiliæ S. Matthiæ Ap. & pro initio abſtinentiæ Quadrageſimalis. ibid.
Sect. III. De Solemnit. Nuptiarum. ib.

L I B E R IV.

Not. tempore Quadrageſimali. Seu a feria IV. Cinerum uſque ad Sabbatum Sanctum.

Pars I. Not. tempore Quadrageſimali in genere.
CAP. I. De Jejunio, & obſervantia Quadrageſimali. pag. 91
Art. I. Quid ſit Quadrageſima. pag. 92
Art. II. Quis Quadrageſimam inſtituerit? Ubi plura ad ejus diſpenſationem pertinentia. pag. 93
Qu. I. Utrum etiam tempus, quo celebranda eſt Quadregeſima, ex inſtitutione ſit Apoſtolorum? pag. 95
Qu. II. An ipſa obſervantia Quadrageſimalis variari, diſpenſari, aut etiam abrogari poſſit ab Eccleſia? pag. 96
Qu. III. An Epiſcopus poſſit diſpenſare in obſervantia quadrageſimali cum integra Civitate, vel cum tota etiam ſimul Diœceſi ſua? ibid.
Qu. IV. Utrum Epiſcopus in neceſſitatibus paſſim occurrentibus particularibus nonnullis hominibus, poſſit cum ipſis diſpenſare, abſque eo quod opus ſit, recurrere ad Romanum Pontificem? pag. 99.
Qu. V. Utrum abſente Epiſcopo, idem poſſit Parochus? pag. 100
Qu. VI. An hoc ipſum poſſit Parochus, Epiſcopo etiam præſente? ibid.
Qu. VII. An Epiſcopus poſſit diſpenſare in hac re cum Advenis, Peregrinis, & vagis, qui per ſuam Diœceſim tranſeunt, aut in ea ad tempus commorantur: ſicuti poteſt cum ſuis Diœceſanis? Et item quæritur de Parocho: an ſcilicet & ipſe poſſit cum prædictis diſpenſare tranſeuntibus, ſeu ad tempus commorantibus in ejus Parochia? pag. 101
Qu. VIII. An Superiores Regulares poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in jejunio,

nio, & obſervantia Quadrageſimali? ibid.

Qu. IX. An Superiores Regulares poſſint in hac re diſperare cum ſuis famulis, ſeu illis, qui Monaſterio Domuique inſerviunt Regulari? pag. 102

Qu. X. Utrum Medicus, & proprius Confeſſarius poſſint in hac re diſpenſare? ibid.

Qu. XI. An prædicti, qui poſſunt diſpenſare cum aliis, poſſint etiam ſecum ipſis in hac re diſpenſare? pag. 103

Qu. XII. An prædicti poſſint aliis committere facultatem diſpenſandi? ibid.

Qu. XIII. Utrum ad diſpenſandum in hac re, juſta cauſa requiratur? ibid.

Qu. XIV. Qualis, & quanta debeat reputari juſta cauſa, ad diſpenſandum cum aliquo in obſervantia Quadrageſimali? pag. 104

Qu. XV. An debeat injungi, & imponi aliquod aliud opus illi, cui ab Epiſcopo, aut alio ſimili Superiore diſpenſatur obſervantia quadrageſimalis vel in totum, vel in partem, vel in univerſum, vel per aliquos dies? pag. 108

Qu. XVI. An qui obtinuit diſpenſationem in obſervantia quadrageſimali, & antequam abſolvatur Quadrageſima, moriatur Superior, qui cum eo diſpenſavit, poſſit nihilominus proſequi diſpenſatione gaudere? Quod eſt quærere: an diſpenſatio prædicta expiret morte concedentis. pag. 109

Qu. XVII. Utrum, ſi quis initio Quadrageſimæ obtineat diſpenſationem a jejunio ob morbum, a quo poſt dies octo e. g. integre ſanetur; maneat diſpenſatus pro reliqua parte Quadrageſimæ? ibid.

Qu. XVIII. Qui habet experientiam antiquam, ſibi eſſe nocivum, carnibus, aut lacticiniis non uti in Quadrageſima: utrum teneatur in futuris Quadrageſimis abſtinere a carnibus, & lacticiniis, ad experiendum, an nocumentum exoriatur? aut ſaltem poſſit ratione prædictæ experientiæ diſpenſari? pag. 110

Qu. XIX. An diſpenſatus ad carnes teneatur jejunare? & an poſſit comedere ſimul piſces? ibid.

Art. III. De multiplici ratione inſtitutionis Quadrageſimæ. ibid.

Art. IV. An prædicti Jejunii numerus quadragenarius aliquid in ſe contineat myſterii? pag. 112

Art. V. Quodnam jejunium; & qualis abſtinentia ſit in Quadrageſima ſervanda? pag. 113

Qu. I. Quare Eccleſia occidentalis non abſtinuerit in jejuniis a vino, quemadmodum Eccleſia orientalis? pag. 115

Qu. II. Ubi exſtet hæc lex quæ præcipiat jejunium dicto modo ſervandum? Scilicet primo cum unica refectione, certa hora ſumenda. Secundo cum abſtinentia a carne. Item ubi lex præcipiens in Quadrageſima ovorum, & lacticiniorum abſtinentiam? ibid.

Art. VI. Quando incipiat, & abſolvatur Quadrageſima? pag. 116

Qu. I. In illo caſu, quo vetus Calendarium habet principium obſervantiæ quadrageſimalis octo diebus ſerius, quam novum, ſi quis ex loco novi Calendarii proponat ſibi, proficiſci poſt octo dies, & pergere in locum veteris Calendarii, tenetur ne jejunare in loco novi Calendarii, ubi nunc eſt, & incipere obſervantiam quadrageſimalem: vel poteſt differre, ut incipiat poſt octo dies in illo alio loco, quo eſt in uſu vetus Calendarium? pag. 119

Qu. II. In illo eodem caſu, quo vetus Calendarium habet principium obſervantiæ quadrageſimalis octo diebus e. g. ſerius quam novum: ſi quis ſubditus loci veteris Calendarii veniat per aliquos dies in locum novi Calendarii: tenetur ne incipere Quadrageſimam in loco novi Calendarii: an poterit incipere in Patria ſua poſt octo dies, quando illuc redibit? p. 120

Qu. III. In illo eodem caſu, quo vetus Calendarium habet principium obſervantiæ quadrageſimalis ſerius quam novum: ſi quis ex loco novi Calendarii poſt incœptam ibi Quadrageſimam veniat in illum locum, in quo nondum incœpit: poteſt ne veſci carnibus, & interrumpere obſervantiam quadrageſimalem in illo priori loco incœptam, & a ſe obſervatam? ibid.

Qu. IV. Si quis incœperit Quadrageſimam in loco novi Calendarii, & poſt octo dies pergat ad locum, in quo eſt in uſu vetus Calendarium; ibique moretur; tenetur ne proſequi obſervantiam quadrageſimalem ex uſu veteris Calendarii, adhuc octo alios dies jejunando poſtquam ex

novo

novo Calendario celebratum eſt Paſcha? pag. 121
Qu. V. In illo eodem caſu, quo vetus Calendarium habeat Paſcha ſerius quam novum: ſi quis ex loco veteris Calendarii veniat in locum novi, ubi ſit expleta Quadrageſima, tenetur ne ibi complere numerum dierum qui deſiderantur reſpectu ipſius ad complendam integram Quadrageſimam? ibid.
Qu. VI. Si quis ex loco novi Calendarii, abſoluto ibi quadrageſimali tempore, veniat in locum, quo eſt in uſu vetus Calendarium: ſi in loco novi Calendarii per aliquam hebdomadam non jejunaverit, tenetur ne complere, & compenſare in loco veteris Calendarii, ſi hic Quadrageſima nondum præterierit? pag. 123
Qu. VII. Utrum peregrinus, & vagus veniens Mediolanum, teneatur jejunare primis quatuor diebus Quadrageſimæ? Poſito quod ibi Quadrageſima incipiat a prima Dominica Quadrageſimæ? pag. 123
Qu. VIII. Si Mediolanenſis veniat in locum, ubi non eſt privilegium illud ſuæ Patriæ: poteſt ne frui illo? ibid.
Qu. IX. Utrum Religioſus, qui Mediolani exiſtens, tenetur per ſe jejunare primis quatuor diebus Quadrageſimæ: eximatur a jejunio, ſi moretur in domibus ſæcularium? ibid.
Art. VII. Quod jejunium perfectum quadrageſimale non eſt continuum. pag. 124
Art. VIII. De obligatione gravi ſervandi Quadrageſimam. pag. 125
Qu. I. Utrum, qui poſt incœptum tempus jejunii quadrageſimalis complet ætatis ſuæ 21. annum, teneatur jejunare in reliquis diebus Quadrageſimæ, qui ſuperſunt? pag. 126
Qu. II. Utrum, qui poteſt comedere carnes, teneatur ad jejunium, ſeu ad unicam refectionem? ibid.
Qu. III. Utrum Concionatores teneantur jejunare in Quadrageſima? Et idem quæritur de habentibus publicam lectionem, ut ſunt Magiſtri, Doctores, ſeu Lectores in ſcholis? ibid. & ſeq.
Qu. IV. An pauperes, qui ordinarie non habent quantum ipſis ſufficiat ad plenam refectionem, teneantur jejunare in Quadrageſima illo die, quo forte habeant? pag. 127.
Qu. V. An teneantur jejunare quotidie in Quadrageſima, qui non habent niſi ſolum panem: uti ſunt multi pauperum? pag. 128.
Qu. VI. Cum Eccleſia per jejunii legem non intendat prohibere in meridie plenam refectionem: quænam pro tali cenſenda ſit? pag. 128
Qu. VII. An multipliciter peccet, qui non jejunet, aut carnes comedat die, quo concurrunt diverſæ obligationes jejunandi, & abſtinendi a carnibus ex eodem præcepto Eccleſiæ: puta ratione Quadrageſimæ, Vigiliæ, Quatuortemporum. ibid.
Qu. VIII. An edens carnes in diebus Quadrageſimæ, quibus tenetur ad jejunium, prima vice peccet non ſolum contra præceptum de non edendis carnibus; ſed etiam contra preceptum jejunii: ita ut duplex peccatum committat? ibid.
Qu. IX. An, qui poteſt comedere carnes in die vetito, poſſit eas ſæpius in die comedere? pag. 129
Qu. X. An diſpenſatus propter valetudinem ad carnes, poſſit quaslibet edere? ibid.
Qu. XI. An, qui poteſt comedere carnes, poſſit ſimul comedere piſces? ibid.
Interrog. 1. An diſpenſati ad carnes, ſi velint in Dominicis Quadrageſimæ uti piſcibus in ſerotina refectione, hoc illis liceat, quamvis in prandio comederint carnes? ibid.
Interrog. 2. Num epularum permixtio interdicta ſit iis diſpenſatis ad carnes, qui non tenentur jejunare? pag. 130.
Interrog. 3. Num epularum permixtio ſit interdicta iis, qui carnes comedunt non ex vera diſpenſatione aliqua, ſed ex ſimplici neceſſitate naturali per ſe excuſante, puta ob gravem morbum? ibid.
Interrog. 4. Utrum in diebus abſtinentiæ a carne extra Quadrageſimam, ſi non occurrat ſimul jejunium: puta in ſimplici feria ſexta interdicta ſit epularum permixtio iis, qui ex aliqua diſpenſatione carnes comedunt? ibid.
Interrog. 5. An, qui eſt diſpenſatus ad carnes, quia cibi quadrageſimales ſunt nocivi, poſſit ſimul edere piſces, ſi propter inappetentiam nequeat aliter de carnibus ſumere, quantum ſufficiat ad plenam refectionem? ibid.

Qu.

Qu. XII. An, qui poteſt comedere ova, poſſit comedere carnes? pag. 130

Qu. XIII. An, habens in Quadrageſima ſolum panem, & carnes, poſſit comedere carnes? ibid.

Qu. XIV. An, qui in Quadrageſima non habeat aliquo die præter panem niſi lacticinia, poſſit illa comedere? ibid.

Qu. XV. An Mercatores Belgæ, qui in Quadrageſima ad nundinas Francofurtenſes proficiſcuntur, carnibus libere cum aliis veſci poſſint, nimirum cum hæreticis? ibid.

Qu. XVI. An committat unicum peccatum, qui totam Quadrageſimam non ſervet? Vel initio Quadrageſimæ ſimpliciter ſibi proponat, atque deliberet, illam non ſervare? pag. 132

Art. IX. Speciatim aſſeritur de ovis, & lacticiniis, quod illorum abſtinentia obliget ſub gravi in Quadrageſima; & ſolvuntur variæ quæſtiones ad eamdem abſtinentiam ſpectantes. pag. 133

Qu. I. An in Dominicis Quadrageſimæ liceat veſci ovis, & lacticiniis abſque Bulla Cruciatæ? pag. 135

Qu. II. An ova, & lacticinia in Dominicis Quadrageſimæ abſque Bulla edi poſſint in iis ſaltem locis, in quibus eſt conſuetudo veſcendi illis? ibid.

Qu. III. Qui habet experientiam antiquam, ſibi eſſe nocivum, piſcibus, ſimilibuſque cibis quadrageſimalibus veſci: utrum poſſit edere ova, & lacticinia etiam ab initio Quadrageſimæ; adeoque non teneatur novam experientiam facere de nocumento? ibid.

Qu. IV. Utrum, qui in ſua Patria comedit ova, & lacticinia ob privilegium Bullæ Cruciatæ, & poſtea venit in locum, ubi non eſt conceſſa prædicta Bulla, poſſit in illo loco comedere ova, & lacticinia? ibid.

Qu. V. An Presbyteri Cantores, cauſa vocis conſervandæ, poſſint veſci ovis? pag. 136

Qu. VI. An diſpenſatus ad carnes poſſit comedere ova, & lacticinia? ibid.

Qu. VII. An diſpenſatus ad ova poſſit comedere piſces? ibid.

Qu. VIII. An diſpenſatus ad ova poſſit comedere lacticinia; & contra? ibid.

Qu. IX. An, qui vovit abſtinentiam a lacticiniis, poſſit comedere ova; & contra, qui vovit abſtinentiam ab ovis, poſſit comedere lacticinia? pag. 137

Qu. X. An laridum, axungia, ſagimen, ſanguis item animalis carnei, jus ex carne, & ova, quæ intra Gallinas inveniuntur poſſint inter lacticinia computari, ſeu inter ea, quæ ſementinam ex carne trahunt originem, ſed non ſunt ſimpliciter caro? ibid.

Qu. XI. An Cruſtum, ſeu panis ille dulcis, quem ſicule dicimus *Biſcottu*, italice *Biſcottino*: poſſit comedi ab iis, qui non poſſunt veſci ovis, nec ſagimine? Dubium oritur ex eo, quia prædictus panis non ſolum ſaccharo miſcetur, ſed etiam modico ſagimine; & a nonnullis miſcetur etiam ovis in modica ſimiliter quantitate reſpective tamen ad totam maſſam farinæ. ibid.

Interrog. Quota ſit quantitas ovi, & ſagiminis a mortali excuſans? ſeu quænam ſit parva quantitas ovi, & ſagiminis? pag. 139.

Qu. XII. An diſpenſatus ad ova, & lacticinia, poſſit ea pluries in die comedere, præſcindendo a jejunio? pag. 140

Qu. XIII. Si quis aliquo die Quadrageſimæ teneatur jejunare ex voto: ſi comedat ova, & lacticinia abſque Bulla, vel ſimili privilegio, aut ſine alia cauſa excuſante, peccat ne contra votum jejunii edendo illa? An ſolum contra præceptum de non edendis ovis, & lacticiniis prædicto tempore? pag. 141

Qu. XIV. An Religioſus, qui ex quarto voto ſuæ Religionis teneatur abſtinere ab ovis, & lacticiniis: illa edendo in Quadrageſima, duplex peccatum committat: unum contra obligationem voti ſui: alterum contra præceptum Eccleſiæ? ibid.

Qu. XV. Utrum, qui in Quadrageſima comedat ſine juſta cauſa excuſante carnes, & ſimul ova, committat duo peccata diſtincta? ibid.

Qu. XVI. An, qui comedit ova, & lacticinia, recte ſe accuſet in Confeſſione, ſi dicat: ſe comediſſe lacticinia? pag. 142

Qu. XVII. An diſpenſatus ad lacticinia, & ova, teneatur jejunare in Quadrageſima, ſi per ſe obligetur, puta quia ætatem ſufficientem habeat? ibid.

Qu.

Qu. XVIII. An in refectiuncula ſerotina ſumere poſſit lacticinia proprie talia, puta caſeum, qui poteſt lacticiniis veſci? ibid.

Art. X. De hora comedendi, ſeu ſolvendi jejunium in Quadrageſima. pag. 144

Art. XI. Conſtitutiones Pontificiæ ad obſervantiam quadrageſimalem pertinentes. pag. 144 & ſeqq.

CAP. II. De Bulla Cruciatæ. pag. 161

Art. I. De Bulla Cruciatæ vivorum, ſeu communi. pag. 162

Sect. I. De privilegiis Bullæ communis. ibid.

Subſect. I. De privilegio comedendi ova, & lacticinia. pag. 163

Qu. I. Utrum, qui tenetur jejunare ex voto, vel ex Jubilæo, vel ex pœnitentia ſacramentali poſſit comedere ova, & lacticinia, ſi habeat Bullam? pag. 164

Qu. II. Ex Bulla Cruciatæ vivorum a privilegio comedendi ova, & lactinia in jejuniis quadrageſimalibus excluduntur Regulares: quæres: horum nomine quinam veniant? ibid.

Qu. III. In eadem Bulla communi excipiuntur a dicto privilegio Epiſcopi: quæres: an excludatur primo Epiſcopus ſolum electus, ſed non confirmatus a Pontifice; ſecundo electus, & confirmatus a Pontifice, ſed non conſecratus; tertio conſecratus, qui deinde renunciavit; quarto electus, & confirmatus, ſed non conſecratus, qui Epiſcopatum recuſavit, & cujus admiſſa fuit renunciatio? pag. 164

Qu. IV. Quinam veniant nomine ſuperiorum, vel inferiorum Prælatorum ab Epiſcopis, & Archiepiſcopis, qui etiam a dicto privilegio excluduntur? pag. 165

Qu. V. Utrum Prælati prædicti Epiſcopis inferiores adhuc excludantur ſi Prælaturam renuncient, vel ab ea amoveantur? ibid.

Qu. VI. An Cardinales excludantur a prædicto privilegio? ibid.

Interrog. Quid? ſi Cardinalis ſit Sacerdos, aut Regularis, aut aliquam habeat veram Prælaturam? ibid.

Qu. VII. An Clerici ſæculares in minoribus; Subdiaconi item, ac Diaconi a prædicto privilegio excludantur? ibid.

Qu. VIII. Si Clericus aſcendat ad Sacerdotium in illo anno Bullæ a ſe ſumptæ, utrum poſſit deinceps uti privilegio veſcendi lacticiniis? pag. 165

Qu. IX. Cum expreſſe concedatur in Bulla, poſſe hoc privilegio frui Regulares Ordinum Militarium: utrum nomine Regularium Militarium veniant omnes Regulares Ordinum Militarium, ſive viri, ſive fœminæ? An vero tantum Equites Ordinum prædictorum? ibid.

Interrog. I. An Sacerdotes Regulares Religionum Militarium poſſint, quatenus Militares ſunt, frui privilegio hujuſmodi? pag. 166

Interrog. 2. An Sacerdos Ordinis Militaris factus Epiſcopus e. gr. poſſit eo frui privilegio? ibid.

Qu. X. An is, cui ex Bulla communi eſt interdictus uſus privilegii circa ova, & lacticinia, etiamſi illam accipiat: poſſit tamen adhuc poſtquam Bullam acceperit, edere ova, & lacticinia, ſi id eidem liceba‌t ex alio aliquo privilegio? ibid.

Qu. XI. Utrum is, qui ex vi ſollus Bullæ communis non poteſt per ſe gaudere privilegio lacticiniorum, poſſit tamen ex vi ejuſdem Bullæ illa comedere, ſi ſimul interveniat conſilium Medici, & Confeſſarii in caſu neceſſitatis dubiæ? ibid.

Qu. XII. Utrum Sacerdotes, & Regulares, ec. qui ex Bulla excluduntur a privilegio comedendi ova, & lacticinia in jejuniis quadrageſimalibus, poſſint illa comedere in Dominicis ejuſdem quadrageſimæ? ibid.

Qu. XIII. Ex Summario vulgari Bullæ communis Regularibus, Sæcularibus Presbyteris, aliiſque in Bulla latina excluſis a privilegio lacticiniorum in jejuniis Quadrageſimæ, permittitur poſſe dicto privilegio uti, ſi fuerint ſexagenarii: quæres: an id valeant ad libitum; ita ut etiamſi nulla ratione indigeant veſci lacticiniis, poſſint tamen, ſi fuerint ſexagenarii, & habeant Bullam communem? pag. 167

Interrog. Utrum prædicti, ut præfata utantur permiſſione, opus ſit, quod expleverint annum ſexageſimum: & non ſufficiat, quod incœperint? ibid.

Qu. XIV. Utrum Regulares nondum ſexagenarii poſſint in Quadrageſima veſci

ſci ovis, & lacticiniis cum facultate Superioris, ſi habeant Bullam? pag. 167

Qu. XV. An Sacerdotes, aliique excluſi a privilegio lacticiniorum, poſſint eo uti in jejuniis extra Quadrageſimam, ubi ſit conſuetudo iis abſtinendi in prædictis quoque jejuniis? ibid.

Subſect. II. De privilegio comedendi carnes in caſu dubiæ neceſſitatis. pag. 167

Qu. I. Quinam ſint duo Medici quorum conſilio accedente, carnes poſſunt comedi virtute Bullæ? ibid.

Interrog. 1. An opus ſit conſulere Medicum Doctoratus laurea inſignitum in arte medendi? pag. 168

Interrog. 2. Quinam dicatur hic Medicus animæ: ſeu Medicus ſpiritualis? ibid.

Qu. II. Quodnam ſit conſilium hoc, quod exigi debet a Medico corporali, & ſpirituali? ibid.

Qu. III. An ſufficiat alterius Medici conſilium, hoc eſt, ſolius Medici corporalis, vel ſolius Medici ſpiritualis? pag. 169

Qu. IV. Utrum præter conſilium Medici ſpiritualis requiratur adhuc ejuſdem approbatio, & licentia, ad comedendas carnes. ibid.

Qu. V. Utrum prædictum privilegium valeat non ſolum pro diebus, in quibus perfecte jejunatur, ſed etiam in quibus imperfecte: videlicet, in quibus ſola ab Eccleſia a carnibus præcipitur abſtinentia: nimirum pro feriis ſextis, & Sabbatis per annum? pag. 170

Qu. VI. An hujuſmodi privilegio frui poſſint Regulares; item Sacerdotes ſæculares, aliique excluſi a privilegio veſcendi lacticiniis per ſolam Bullam communem? ibid.

Qu. VII. Utrum excuſetur a jejunio is, qui ex conſilio utriuſque Medici, virtute Bullæ comedit carnes in diebus jejuniorum Eccleſiæ? ibid.

Qu. VIII. Utrum Bulla Cruciatæ eximat a prohibitione permiſcendi carnes, & piſces *in Quadrageſima, vel extra Quadrageſimam in diebus jejuniorum*? ibid.

Subſect. III. De privilegio abſolutionis ab omnibus cenſuris, & peccatis reſervatis. pag. 170

§. I. De privilegio abſolutionis ab omnibus Cenſuris reſervatis obtinendæ a quolibet Sacerdote approbato ab Ordinario. pag. 171

Qu. I. Quænam approbatio requiratur in Sacerdote eligendo ad abſolvendum a reſervatis; & a quonam Ordinario debeat approbari? ibid.

Qu. II. Utrum Regulares accipientes Bullam, poſſint frui hoc privilegio abſolutionis a reſervatis? pag. 172

Qu. III. An virtute Bullæ poſſit abſolvi excommunicatus ex percuſſione Clerici? pag. 137

Qu. IV. An per Bullam Cruciatæ poſſit quis abſolvi ab excommunicatione incurſa per duellum. ibid.

Qu. V. An per Bullam Cruciatæ abſolvi poſſit pœnitens ab excommunicatione, in quam incidit ob denunciationem omiſſam culpabiliter tempore præfixo, & nondum impletam, ſeu factam Tribunali Sanctæ Inquiſitionis adverſus hæreticam pravitatem? pag. 173

Qu. VI. An ex privilegio Bullæ abſolvi poſſit ceſſatio a Divinis. Item Interdictum, ſive generale, ſive ſpeciale locale, aut perſonale generale. Item Irregularitates illæ, quæ non ſunt Cenſuræ, aut illæ, quæ ſunt inductæ ob indecentiam, qua quis laborans repellitur ab adminiſtrando Altari: qualis eſt irregularitas ex Bigamia? ibid.

Qu. VII. An ex privilegio Bullæ poſſit abſolvi Irregularitas, quæ incurritur in pœnam alicujus delicti: e. g. ob malam adminiſtrationem Sacramentorum cum violatione Cenſuræ contractæ; ob hæreſim; ob apoſtaſiam a fide; ob Clerici percuſſionem? pag. 174

Qu. VIII. An per Bullam Cruciatæ abſolvi poſſit ſuſpenſio contracta per indebitam ſacrorum Ordinum ſuſceptionem? ib.

Interrog. An per Bullam auferri valeat ſuſpenſio, quæ ſit pura pœna? ibid.

Qu. IX. An per Bullam abſolvi poſſit nominatim excommunicatus, aut ſuſpenſus, vel interdictus? ibid.

Qu. X. An abſolutio a Cenſuris reſervatis valeat pro foro externo, & judiciali? ibid.

Qu. XI. An caſu jam deducto ad forum externum, ſeu judiciale, poſſit cenſura reſervata innodatus abſolvi in foro interno conſcientiæ? pag. 175

Qu.

Qu. XII. Si quis duabus cenſuris innodatus petat a Confeſſario abſolutionem unius, cujus tantummodo meminit, & non alterius oblitæ: an evadat abſolutus ab utraque? ibid.

Qu. XIII. An poſſit abſolvi is, qui Cenſuram incurrere non eſt veritus ex confidentia Bullæ? ibid.

Qu. XIV. An abſolutio a Cenſuris per vim aut metum gravem, & injuſte incuſſum ſit valida? ibid.

Qu. XV. An abſolutio a Cenſuris per dolum, & fraudem obtenta ſit valida? ibid.

Qu. XVI. Utrum ad validam abſolutionem a Cenſuris ex privilegio Bullæ Cruciatæ conferendam, neceſſarium ſit, audire pœnitentem in Confeſſione ſacramentali, ut in ea a Cenſuris prædictis abſolvatur? ibid.

Qu. XVII. An poſſit abſens abſolvi a Cenſuris reſervatis ex privilegio Bullæ? ibid.

Qu. XVIII. An Confeſſarius abſolvens ex privilegio Bullæ in foro conſcientiæ a Cenſura reſervata, debeat exigere juramentum de ſtando mandatis Eccleſiæ, ſaltem in delictis graviſſimis? ibid.

Qu. XIX. An Confeſſarius abſolvens virtute Bullæ a caſibus, & cenſuris reſervatis, ea debeat uti abſolutionis formula, quæ proponitur in Summario Bullæ? pag. 176

Qu. XX. Utrum, qui abſolvitur ex privilegio Bullæ, ut valeat abſolutio, habere debeat intentionem, fundendi deinde preces pro victoria &c. ibid.

§. II. De privilegio abſolutionis ab omnibus peccatis reſervatis obtinendæ a quolibet Sacerdote approbato ab Ordinario. ib.

Qu. I. Utrum Regulares, accipientes Bullam, poſſint frui hoc privilegio abſolutionis a peccatis reſervatis? pag. 177

Interrog. 1. An Regulares poſſint virtute Bullæ eligere ſib. Confeſſarium, quem voluerint, ut ab eo abſolvantur a peccatis mortalibus ſaltem non reſervatis? ibid.

Interrog. 2. An Religioſi Ordinis Militaris excludantur ab hoc privilegio? ibid.

Qu. II. An per Bullam poſſint abſolvi caſus reſervati Inquiſitoribus contra hæreticam pravitatem? ibid.

Qu. III. An per Bullam poſſit abſolvi a caſibus reſervatis Epiſcopis: & abſolvi toties, quoties? ibid.

§. III. De hæreſis exceptione. p. 178

Qu. I. An virtute Bullæ poſſit abſolvi hæreſis interna ſimul & externa quidem, ſed occulta? pag. 179

Qu. II. An ſicuti delictum hæreſis excluditur a privilegio Cruciatæ, ita etiam excludantur omnia alia crimina, quæ continentur in primo Canone Bullæ Cœnæ Domini, quatenus ſunt ipſi hæreſi affinia, puta, fautores, receptatores hæreticorum, legentes libros hæreticos, retinentes &c. ita ut per Bullam Cruciatæ non poſſint abſolvi? ibid.

§. IV. De exceptione abſolutionis complicis in materia ſexti præcepti Decalogi. ibid.

§. V. De alia limitatione appoſita privilegio abſol. a caſib. Pontificiis. quæ eſt: *ſemel in vita, & ſemel in morte*. p. 180

Qu. I. An hujuſmodi limitatio afficiat caſus Pontificios tantum publicos, non item occultos; atque adeo Pontificii caſus occulti abſolvi poſſint ex bulla Cruciatæ toties, quoties pœnitens indigebit, quemadmodum poſſunt caſus Epiſcopales? ibid.

Qu. II. An caſus reſervati Inquiſitoribus fidei poſſint abſolvi toties, quoties, per Bullam Cruciatæ? pag. 181

Qu. III. An per unicam abſolutionem poſſit quis virtute Bullæ abſolvi in vita, intra annum, quo durat Bulla, a pluribus, diverſiſque cenſuris, & peccatis Pontificiis? ibid.

Qu. IV. Dum in Bulla conceditur abſolutio ab omnibus reſervatis Sedi Apoſtolicæ ſemel in vita, & ſemel in morte: an concedatur abſolutio a ſingulis in diverſis abſolutionibus obtinenda; ita ut, qui hodie ex privilegio Bullæ abſolvitur a cenſura, & peccato aliquo Pontifici reſervato, ſi cras committat aliud ſpecie diverſum peccatum Pontifici reſervatum, poſſit ex vi ejuſdem unius Bullæ abſolvi ab illo altero; & ſic, ſi deinde committat tertium, quartum &c. aliud adhuc ſpecie diverſum? ibid.

Qu. V. Qui ſemel uſus eſt privilegio Bullæ quo ad caſus Pontifici reſervatos, ſi intra eumdem annum committat ite-

rum ſimile reſervatum, an poſſit accipere ſecundam Bullam, & ex vi illius abſolvi ab hoc alio reſervato; & ſimiliter tertiam, ſi tertio in reſervatum hujuſmodi incidat; & deinde quartam &c.? p. 182

Qu. VI. Utrum quando quis virtute Bullæ a reſervatis fuit abſolutus, ſed Confeſſionem fecit invalidam, ceſſet reſervatio? ibid.

Qu. VII. Quodnam ſpeciale afferat emolumentum Bulla Cruciatæ, concedens abſolutionem in articulo mortis a reſervatis Papæ? In articulo enim mortis ceſſat aliunde reſervatio. ibid.

Qu. VIII. An poſſit ex privilegio Bullæ a reſervatis abſolvi in morali periculo mortis? pag. 183

Qu. IX. Utrum, qui evaſit periculum mortis prædictum, ſi deinde intra eumdem annum, quo durat Bulla, incidat in novum periculum mortis, poſſit abſolvi iterum a reſervatis Pontifici ex vi unius, & ejuſdem Bullæ? ibid.

§. VI. De alia limitatione appoſita privilegio abſol. a reſervatis, quæ eſt: *dummodo ſatisfiat parti, ſi qua læſa fuerit.* ibid.

Qu. I. Quænam hic intelligatur pars læſa? pag. 184

Qu. II. Quænam ſatisfactio fieri debeat parti læſæ? ibid.

Qu. III. Utrum licita ſit abſolutio non ſatisfacta prius parte? ibid.

Qu. IV. Utrum valida ſit abſolutio non ſatisfacta prius parte, ſi fieri poſſit? ibid.

Qu. V. An licite, & valide abſolvatur antequam fiat ſatisfactio partis, ſi re bene examinata, non ſatis conſtet, utrum in crimine intervenerit læſio partis? ibid.

Qu. VI. An poſſit abſolvi parte non ſatisfacta, ſi hæc immerito non ſit contenta ſatisfactione oblata? ibid.

Qu. VII. An poſſit abſolvi, qui non poteſt ſatisfacere? ibid.

Qu. VIII. Abſolutus ex privilegio Bullæ non ſatisfacta parte, ſed ſola juris data cautione, ſi deinde cum potuerit, non ſatisfaciat, utrum reincidat in excommunicationem? pag. 185

Qu. IX. An ex privilegio Bullæ abſolutus a Confeſſario ſatisfacta parte, abſolutio valeat pro foro etiam externo? ibid.

Subſect. IV. De privilegio, ſeu conceſſione Indulgentiarum, & participatione bonorum operum. ibid.

§. I. De Indulgentia 15. an. & 15. quadragen. & participat. bonorum operum. pag. 187.

Qu. I. An hæc Indulgentia, & participatio valeat obtineri per jejunium debitum ex pœnitentia impoſita a Confeſſario? ibid.

Qu. II. Utrum commutatio jejunii in eo, qui juxta leges theologiæ moralis excuſantes a j junio, legitime judicetur, jejunare non poſſe, poſſit fieri auctoritate propria, vel alterius docti, ſeu prudentis viri arbitrio? pag. 188

Qu. III. An Parochus, ſeu Confeſſarius, cujus arbitrio remittitur commutatio hujus jejunii, poſſit commutare in aliud quodcumque opus etiam minimum, & nullam habens cum jejunio proportionem? ibid.

Qu. IV. An poſſit commutari in orationem? ibid.

Qu. V. Utrum oratio, quæ fieri debet pro unione, & victoria, debeat eſſe omnino vocalis, vel poſſit eſſe mentalis? pag. 189

Qu. VI. Utrum vi harum Indulgentiarum relaxentur pœnæ pro aliquo debito a Judice Eccleſiaſtico impoſitæ? Ratio dubitandi eſſe poterit, quia a Pontifice hic univerſaliter conceditur remiſſio de pœnitentiis *quomodolibet* debitis. ibid.

Qu. VII. De participatione bonorum operum, quæ hic conceditur præter Indulgentiam: an Pontifex per hoc privilegium concedat aliquid ultra jus commune *Communionis Sanctorum*; & quodnam illud ſit? ibid.

§. II. De Indulgentiis Stationum. ibid.

Qu. Quid in præſenti veniant nomine Stationum? ibid.

Qu. II. Utrum hujuſmodi Indulgentiæ Stationum poſſint obtineri quotidie? pag. 190

Qu. III. Quinam ſint igitur dies, quibus acquiri poſſint Indulgentiæ Stationum? pag. 192

Qu. IV. An in diebus Stationum concedatur Indulgentia plenaria? ibid.

Qu. V. An Indulgentia Stationum acquiri poſſit toties, quoties in die Stationum

rum

num repetantur opera injuncta? pag. 193

Qu. VI. An ſemel præſtando hæc opera injuncta, puta ſemel viſitando Eccleſiam, & ſemel orando, poſſint Indulgentiæ Stationum acquiri tam pro ſe, tam pro Animabus Purgatorii? ibid.

Qu. VII. Quid faciendum ut Indulgentiæ Stationum proſint Defunctis? p. 194

Qu. VIII. An determinato aliquo tempore, ſeu certa hora diei facienda ſit viſitatio Eccleſiarum? ibid.

Qu. IX. An, ubi ſint quinque Eccleſiæ, ſufficiat viſitare quinque Altaria? ib.

Qu. X. An, qui vult viſitare quinque Altaria, poſſit duo, vel tria viſitare unius Eccleſiæ, reliqua vero alterius, quamvis facile poſſit viſitare quinque unius & ejuſdem Eccleſiæ? ibid.

Qu. XI. An exiſtentibus quinque Altaribus, ſufficiat viſitare unicum quinquies? ibid.

Qu. XII. An, ubi ſit unica Eccleſia, in qua ſint ſolum duo, vel tria Altaria, viſitanda ſint omnia: & per repetitam viſitationem Altarium ſupplendæ, quæ deſunt viſitationes uſque ad numerum quinarium? pag. 195

Qu. XIII. Cum in defectu quinque Altarium poſſit unicum quinquies viſitari: utrum hujuſmodi defectus debeat eſſe in uno eodemque Oppido: an vero ſufficiat eſſe in ea Eccleſia, quæ ut viſitanda ſeligitur? ibid.

Qu. XIV. An ſaltem Moniales clauſtrales, quæ in propria Eccleſia non habeant quinque Altaria; aliique ſimiliter legitime impediti viſitare quinque Eccleſias, vel quinque Altaria, ſatisfaciant viſitando quinquies unicum Altare? ibid.

Qu. XV. An ſatisfiat viſitando Altare Oratorii privati, ac domeſtici? ibid.

Qu. XVI. Si in Eccleſiam non poſſit ingredi præ multitudine populi illam implentis, an valeat pro viſitatione Eccleſiæ, ſi quis oret extra illam, illi multitudini junctus? pag. 196

Qu. XVII. An in prædicto caſu prædictæ multitudini junctus quis, & foris ſtans poſſit valide viſitare quinque Altaria unius, & ejuſdem Eccleſiæ? ibid.

Qu. XVIII. Si Eccleſia ſit clauſa, an poſſit quis viſitare Altaria ſtans foris? ib.

Qu. XIX. Si Eccleſia ſit clauſa, & quis oret ante illius oſtium, an ſatisfaciat ſaltem uni viſitationi Eccleſiæ? ibid.

Qu. XX. An ſatisfaciat viſitationi Altaris, qui illud non videt ob aliquod impedimentum minime accidentale, puta, quia intermediet paries? ibid.

Qu. XXI. An ſatisfaciat viſitationi Altaris, qui notabiliter diſtans ab illo, oret in ipſa Eccleſia? ibid.

Qu. XXII. An, qui viſitat quinque Altaria in una, & eadem Eccleſia, debeat ſe movere de loco ad locum, ſeu de uno Altari ſe conferendo ad aliud: ſaltem ſe illi convertere? ibid.

Qu. XXIII. Qui viſitat quinquies unicum Altare, quomodo diſtinguere debet viſitationes? pag. 197

Qu. XXIV. Præter viſitationem Eccleſiarum, ſeu Altarium imponitur oratio; quid orandum? ibid.

Qu. XXV. An hæc oratio debeat eſſe omnino vocalis, vel poſſit eſſe mentalis? ibid.

Qu. XXVI. Quanto tempore debeat orari in qualibet viſitatione Eccleſiæ, ſive Altaris? ibid.

§. III. De Indulgentia plen. ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis. p. 199

Qu. I. An hæc Indulgentia applicanda ſit a Sacerdote in ipſa Confeſſione Sacramentali? ibid.

Qu. II. An opus ſit, quod Pœnitens expreſſe petat, ſibi applicari hanc Indulgentiam? ibid.

Qu. III Utrum Indulgentiæ hujus privilegio careat conſtitutus in articulo mortis, qui confiteri nequeat præſente Confeſſario, puta, quia eſt ſenſibus destitutus? pag. 200

Qu. IV. Utrum hæc Indulgentia applicari poſſit abſenti? ibid.

Qu. V. Quinam ſit articulus mortis, in quo applicanda ſit a Confeſſario hæc Indulgentia? ibid.

Qu. VI. An hæc Indulgentia poſſit applicari in proximo morali periculo mortis? pag. 201

Qu. VII. An, qui ex articulo mortis evaſit, atque convaluit, ſi eodem anno pubblicationis Bullæ incidat denuo in articulum mortis, poſſit denuo, eamdem Indulgentiam conſequi? ibid.

Qu. VIII. An hæc Indulgentia poſſit

cum conditione applicari ſic: ſi morieris ex infirmitate hac? ibid.
Qu. IX. An utendum aliqua formula in applicanda Indulgentia plenaria hac pœnitenti? ibid.
Qu. X. Et deinceps de alia ſimili Indulgentia plenaria, quæ nullius indiget applicatione, præterquam ipſius Summi Pontificis, qui illam applicat in articulo mortis, repentina morte, aut in Confeſſoris abſentia decedentibus cum contritione: quæres utrum hujuſmodi moribundus, ſi non habeat conſcientiam peccati mortalis, nondum rite confeſſi, & abſoluti, nihilominus teneatur, elicere actum contritionis perfectæ, ſi velit lucrari hanc Indulgentiam plenariam? ibid.
Qu. XI. Pontifex hujus Indulgentiæ denegat beneficium iis, qui hujus conceſſionis fiducia negligentiores fuerint: quæres. de qua negligentia loquatur? p. 202
Qu. XII. An moribundus hanc Indulgentiam ab ipſomet Pontifice applicatam in articulo mortis, conſequatur in præſumpto, an ſolum in vero mortis articulo? pag. 203
Qu. XIII. An opus ſit, ut hujuſmodi moribundus in præſenti caſu expreſſe, & actualiter intendat, Indulgentiam hanc conſequi? ibid.
§. III. De ſuſpenſione Indulgentiarum.
Qu. I. An durante anno publicationis Bullæ ſuſpendantur Indulgentiæ conceſſæ ab Epiſcopis jure ordinario? ibid.
Qu. II. An per Bullam ſuſpendantur Indulgentiæ a Pontifice Summo conceſſæ granis benedictis, calculis, Imaginibus &c.? ibid.
Qu. III. An Indulgentiæ Mendicantium Religionibus pro ipſis tantum Religioſis conceſſæ ſuſpendantur? pag. 204
Qu. IV. An prædicto privilegio gaudeant etiam Moniales Ordinis Mendicantium? ibid.
Qu. V. An ſimiliter Novitii? ibid.
Qu. VI. An ſuſpendantur Indulgentiæ, a Pontifice conceſſæ particularibus Religioſis Mendicantibus? ibid.
Qu. VII. An Oblati, & alii, qui ferunt habitum Religioſorum Mendicantium, ſed non ſunt proprie Religioſi, gaudeant prædicto privilegio Religionis Mendicantium? ibid.
Qu. VIII. An gaudeant prædicto privilegio Religioſi, qui, licet non ſint Mendicantes, habeant tamen communicationem privilegiorum Religionum Mendicantium? ibid.
Qu. IX. An ſuſpendantur Indulgentiæ conceſſæ Religioſis Mendicantibus pro Sæcularibus? e. g. Indulgentia plenaria conceſſa Fidelibus viſitantibus tali die talem Eccleſiam Regularium. ibid.
Qu. X. An per Bullam ſuſpendatur Indulgentia plenaria pro Defunctis, in Altari, quod vocant privilegiatum, conceſſa? pag. 205
Interrog. In ſententia, quæ affirmat, ſuſpendi: atque adeo exigit haberi Bullam vivorum ad lucrandam hujuſmodi Indulgentiam pro Defuncto: a quonam haberi debeat? Utrum ab ipſo Celebrante, vel ab eo, qui celebrare facit, ſi eſt alter a Celebrante; vel ab utroque? ibi.
Qu. XI. An per Bullam ſuſpendantur Indulgentiæ conceſſæ immediate pro vivis quidem, ſed applicabiles Defunctis; ita ut abſque Bulla in locis, ubi ea promulgatur, nequeant obtineri hujusmodi etiam Indulgentiæ? ibid.
Qu. XII. An abſque Bulla Cruciatæ in locis, ubi ea promulgatur, poſſint, Indulgentias extra ipſam Bullam conceſſas lucrari, illi, qui præ nimia paupertate non poſſunt erogare ſtipendium requiſitum ad accipiendam Bullam? ibid.
Qu. XIII. An Indulgentiæ plenariæ, quæ conceduntur in Bulla, ſuſpendantur in Jubilæo anni Sancti? Porro in hujuſmodi Jubilæo ſuſpenduntur omnes Indulgentiæ plenarię. pag. 206
Subſect. V. De privilegio commutationis Votorum. ibid.
§. I. De Votis, quæ poſſunt commutari ex Bulla Cruciatæ. ibid.
Qu. I. Quid ſit commutare Votum? ib.
Qu. II. A quonam Confeſſario commutari poſſint vota ex privilegio Bullæ? ibid.
Qu. III. An commutatio facienda ſit in Sacramento pœnitentiæ, ſeu facta, & audita Confeſſione? pag. 207
Qu. IV. An Confeſſarius ex Bulla poſſit diſpenſare, ſeu omnino eximere ab obligatione voti? ibid.
Qu. V. An Confeſſarius teneatur commuta-

mutare vota habentis Bullam, & commutationem petentis? ibid.

Qu. VI. An poſſint commutari vota emiſſa, ſive ante, ſive poſt promulgatam, & ſumptam Bullam? ibid.

Qu. VII An vota commutari poſſint toties, quoties pœnitens petit commutationem? ibid.

Qu. VIII. An commutatio facienda ſit intra annum, quo durat Bulla? ibid.

Qu. IX. Utrum ex privilegio Bullæ commutari poſſint juramenta? ibid.

Qu. X. Utrum ex privilegio Bullæ commutari poſſit materia voti ſimul & juramenti: ut ſi quis voviſſet, ſingulis Sabbatis jejunare, & deinde juraverit ſingulis Sabbatis jejunare? ibid.

Qu. XI. Utrum ex privilegio Bullæ commutari poſſint vota juramento firmata? pag. 208

Qu. XII. Utrum ex privilegio Bullæ commutari poſſint juramenta in favorem tertii emiſſa? ibid.

Qu. XIII. Utrum ex privilegio Bullæ commutari poſſint vota, quæ cedunt in favorem tertiæ perſonæ, aut alicujus loci: puta, ſi quis vovit Calicem dare alicui Eccleſiæ? ibid.

Qu. XIV. An vota Communitatum poſſint commutari virtute Bullæ? ibid.

Qu. XV. Utrum Vota virtute Bullæ commutanda, debeant commutari in aliud æquale? ibid.

Qu. XVI. Utrum ad commutanda Vota virtute Bullæ, requiratur cauſa: & quænam? ibid.

Qu. XVII. Quodnam ſit hoc aliquod ſubſidium ſpeciale erogandum: temporale ne, an ſpirituale: vel mixtum ex utroque? ibid.

Qu. XVIII. Quota eleemoſyna elargienda ſit pro quolibet voto commutando? pag. 209

Qu. XIX. Cuinam tradenda ſit prædicta pecunia? pag. 210

Qu. XX. An Votorum commutatio facta ex privilegio Bullæ proſit pro foro externo? ibid.

§. II. De tribus votis excluſis a privilegio Bullæ. ibid.

Qu. I. An illa tria vota Caſtitatis, Religionis, & Peregrinationis ultramarinæ, a beneficio commutationis excluſa, poſſint nihilominus commutari, ſi ſint pœnalia? ibid.

Qu. II. An ſimiliter, ſi ſint pure conditionalia? ibid.

Qu. III. An Juramenta, quæ cadant ſuper materiam horum trium Votorum, ſint reſervata? ibid.

Qu. IV. An prædicta Juramenta in caſu, quo exiſtimentur reſervata, ſicut vota, poſſint nihilominus commutari, ſi ſint pœnalia, vel conditionalia? ibid.

Qu. V. An hæc tria vota poſſint commutari, ſi emiſſa fuerint ex metu levi? ibid.

Qu. VI. An in caſibus, quibus Epiſcopus poteſt diſpenſare in his votis, poſſit Confeſſarius ea commutare virtute Bullæ? pag. 211

Qu. VII. An hæc vota poſſint commutari, ſi emiſſa fuerint a perſona alterius poteſtati, ſeu voluntati ſubjecta: cujuſmodi ſunt uxor, filii impuberes, & Servi? ibid.

Qu. VIII. An votum disjunctivum, continens unam partem non reſervatam, reſervatam alteram: puta, ſi quis dicat: voveo aut jejunare in ſingulis ſextis feriis, aut perpetuam caſtitatem: poſſit commutari quoad partem etiam reſervatam? ibid.

Interrog. 1. An id (*hoc eſt: reſponſio affirmativa*) procedat, etiamſi pars non reſervata evaſerit impoſſibilis? ibid.

Interrog. 2. An id etiam procedat, ſi electa fuerit deinde pars reſervata? ibid.

Qu. IX. An votum disjunctivum, continens omnes partes reſervatas, poſſit commutari? ibid.

Qu. X. An virtute Bullæ poſſit votum reſervatum commutari ſolum quo ad circumſtantias adjunctas? e. g. ſi quis vovit Religionem ſtrictiorem: commutari poſſit in laxiorem. Si peregrinationem nudis pedibus: ut poſſit facere calceatus. ibid.

Qu. XI. An hæc vota poſſint commutari, ſi quis, ad ea ſe, intenderit, obligare ſub veniali tantum? ibid.

Qu. XII. An hæc vota poſſint virtute Bullæ a Confeſſario commutari in aliud opus evidenter melius, & Deo gratius? ibid.

Qu. XIII. An per Bullam valide commutetur materia, in quam Pontifex commuta-

muta-

mutavit votum reſervatum? ibid.

Qu. XIV. An hæc tria vota reſervata in caſu, quo commutari poſſint, & commutentur virtute Bullæ, commutari debeant in aliquod ſubſidium ſpirituale, ac temporale Belli ſancti? pag. 212

De voto Caſtitatis.

Qu. XV. Quale votum Caſtitatis ſit excluſum a beneficio commutationis ex vi Bullæ Cruciatæ? ibid.

Qu. XVI. An votum perfectæ, ac perpetuæ Caſtitatis emiſſum a Conjuge ſit reſervatum, ac proinde per Bullam non commutabile? p. 213

De Voto Religionis.

Qu. XVII. Quale Votum Religionis ſit reſervatum? ibid.

Qu. XVIII. An poſſit commutari Votum Religionis Ordinis Militaris S. Joannis Hieroſolymitani, vulgo Equitum Melitenſium? ibid.

Qu. XIX. An ſaltem aliorum Ordinum Militarium, puta S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, &c.? ibid.

De Voto ultramarino.

Qu. XX. Quid veniat nomine Voti ultramarini in Bulla excluſi a beneficio commutationis? pag. 214

Qu. XXI. An hoc Votum ſit reſervatum, ſi non fiat in ſubſidium Terræ ſanctæ, ſed ſolius devotionis cauſa: nempe ad viſitanda illa loca ſancta? ibid.

Qu. XXII. Si quis voveat peregrinationem hanc, non ob finem viſendi loca ſancta, ſed ob alium finem honeſtum, & pium: e. g. ad viſitandam aliquam Eccleſiam, aut Imaginem: an ſit Votum reſervatum? ibid.

Subſect. VI. De privilegio Miſſam, & alia Divina Officia celebrandi, iiſque aſſiſtendi etiam tempore Interdicti in Eccleſiis, Oratoriiſque privatis. pag. 215

Qu. I. Quid hic veniat nomine Oratorii privati? ibid.

Qu. II. An hic Summus Pontifex concedat accipienti Bullam privilegium habendi Oratorium privatum? ibid.

Qu. III. De quo Interdicto hic ſermo ſit? ib.

Qu. IV. An hoc privilegio uti liceat tempore ceſſationis a Divinis, ſaltem generalis? ibid.

Qu. V. Cujuſnam Ordinarii viſitationem, & deſignationem, opus ſit, habere Oratorium privatum, ut in eo poſſit hoc privilegium exerceri? ibid.

Qu. VI. Utrum tempore Interdicti, qui ex privilegio Bullæ celebrant, & aſſiſtunt Miſſæ Sacrificio, aliiſque Divinis Officiis in Oratoriis, & Eccleſiis, debeant id privatim facere? pag. 216

Qu. VII. Quinam veniant hic nomine familiarium? ibid.

Interrog. 1. Utrum prædictus Dominus poſſit ſecum deducere ad Eccleſiam omnes ſimul ſuos famulos, ut ſecum Miſſam audiant, etſi non ab omnibus ſimul comitari conſueverit. ibid.

Interrog. 2. Si unus, vel alter ex familiaribus moriatur, aut ægrotet, aut fiat abſens, poteritne privilegiatus ex Bulla totidem alios aſſumere familiares loco eorum, qui defecerunt, eoſque ad Eccleſiam adducere, ut Sacrificio Miſſæ, aliiſque Officiis Divinis ſecum aſſiſtant? ibid.

Interrog. 3. An mulieres quædam, quæ ſolent comitari aliquam aliam mulierem nobilem, ſeu honeſtam, famulas, ſeu famulam non habentem, dum ſe confert ad Eccleſiam, poſſint una cum illa, ſi habeat Bullam, Miſſæ Sacrificio aſſiſtere in Templo, quamvis per ſe illius famulæ non ſint, nec in ejuſdem habitent domo? ibid.

Interrog. 4. An Pœdagogus, non habens Bullam, poſſit audire Miſſam in Eccleſia, ad quam comitatur diſcipulum ſuum habentem Bullam? ibid.

Interrog. 5. An Magiſtri habentes Bullam, poſſint ſecum ducere diſcipulos ad Eccleſiam, ut Miſſam audiant, quando eos ſine periculo relinquere nequeant? pag. 217

Interrog. 6. Si Dominus privilegiatus audiat Miſſam Domi ſuæ in Oratorio privato, an poſſit convocare omnes omnino famulos ſuos, ſeu famulas, licet plures ſint, ut & ipſi audiant Miſſam? ibid.

Interrog. 7. An, ſi famulus ſoleat abeſſe, aut etiam non habitet in domo Domini ſui, ſed e. g. ruri; etiam ipſe poſſit aſſiſtere Miſſæ in Oratorio privato Domini ſui habentis Bullam? ibid.

Interrog. 8. Utrum Cappellanus Domini, qui in propria domo vivit, & non in domo dicti Domini, ſed ſolum habet ſalarium, ſeu eleemoſynam ad celebrandum

dum pro ipſo Miſſas: ſit de familia prædicti Domini, atque adeo poſſit & ipſe Miſſam audire in Oratorio illius privato? ibid.

Interrog. 9. An mulieres illæ pediſſequæ, quibus interrogatione 3. conceſſimus, poſſe in Eccleſia audire Miſſam Interdicti tempore una cum Domina, quam comitentur: idem poſſint in Oratorio privato? ibid.

Interrog. 10. An Sacerdos habens famulum, poſſit coram illo celebrare, etiamſi famulus non habeat Bullam; & an iſte poſſit Celebranti inſervire? p. 218

Interrog. 11. An Sacerdos, ſi inveniat Miniſtrum habentem privilegium aſſiſtendi Divinis, poſſit, illo relicto privilegiato, aſſumere ſibi laicum non famulum, vel familiarem, ſeu conſanguineum, nec alias privilegiatum? ibid.

Qu. VIII. Quinam veniant nomine Domeſticorum? ibid.

Qu. IX. Quinam hic veniant nomine Conſanguineorum? pag. 219

Interrog. 1. An Uxor poſſit participare de hoc privilegio Viri ſui? ibid.

Interrog. 2. An privilegium, de quo loquimur, faveat Affinibus: atque adeo ex vi illius poſſit privilegiatus principalis, ſecum illos adducere, ut in Eccleſia, vel Oratorio Miſſam audiant, aliiſque Divinis Officiis aſſiſtant? ibid.

Interrog. 3. An opus ſit, Conſanguineos privilegiati morari in eadem domo cum ipſo, ad hoc, ut privilegium iſtud participent? ſeu, quod idem eſt, an ſit neceſſe, ut ſimul ſint domeſtici, aut de illius familia? ibid.

Qu. X. An Conſanguinei, & Domeſtici, ac familiares non habentes Bullam poſſint tempore Interdicti ſacrum audire, ſi eidem non aſſiſtat ſimul Dominus, ſeu principalis habens Bullam? ibid.

Qu. XI. An privilegium Bullæ de audienda Miſſa in Oratorio privato proſit etiam extra tempus Interdicti; ita ut, qui habet Bullam, adhuc ſi extra tempus Interdicti audiat Miſſam in Oratorio privato, etiam alieno, ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ in diebus feſtivis de præcepto? pag. 220

Qu. XII. An tempore Interdicti, qui ex Bulla Cruciatæ habet privilegium, audiendi Miſſam, ſive in Eccleſia, ſive in Oratorio privato, teneatur ſub gravi, diebus feſtis de præcepto illam audire, ſive in Eccleſia, ſive in Oratorio privato? Idem quæritur pro diebus feſtivis de præcepto extra tempus Interdicti de eo, qui ex privilegio Bullæ poteſt Miſſam audire in Oratorio privato: an ſcilicet & ipſe teneatur ſub gravi in Oratorio privato diebus prædictis Miſſam audire, ſi non poſſit pergere ad Eccleſiam, puta; quia ſit infirmus? ibid.

Interrog. An hæc (*quæ de præfatis privilegiatis dicta ſunt*,) procedant etiam quo ad eos, qui poſſunt audire Miſſam ob ſimplicem participationem privilegii habentis Bullam, ut ſunt Conſanguinei, familiares, & domeſtici ejus? pag. 221

Qu. XIII. Cum in conceſſione Oratorii privati ſoleant excipi nonnulli dies ex ſolemnioribus, in quibus celebrare in hujuſmodi Oratorio minime liceat: quæritur: utrum nihilominus per Bullam Cruciatæ hujuſmodi diebus excipi ſolitis liceat adhuc celebrare in Oratorio privato, ibique Miſſam audire; ita ut præcepto Eccleſiaſtico ſatisfiat, de audienda Miſſa, ab habentibus Bullam Cruciatæ, aut ab ejuſdem privilegium participantibus ſecundum dicta a qu. 7.? ibid.

Qu. XIV. Cum conceſſio Oratorii privati ſoleat reſtringi ad unicam Miſſam quotidie celebrandam: quæritur: an per Bullam Cruciatæ liceat plures in eo, & quot libuerit, celebrari, & audire quotidie? pag. 222

Interrog. Utrum in Natali Domini poſſint celebrari Miſſæ tres ab uno, eodemque Sacerdote in uno, & eodem Oratorio privato ex privilegio Bullæ Cruciatæ? ibid.

Qu. XV. Utrum tempore Interdicti ſint permiſſæ benedictiones nuptiales ex vi hujus privilegii Bullæ permittentis Divina officia ſive in Eccleſia, ſive in Oratorio privato? ibid.

Qu. XVI. An oratio pro unione, & victoria, quæ eſt facienda, quoties ſit uſus hujus privilegii, debeat eſſe omnino vocalis. pag. 223

Qu. XVII. Quanto tempore orandum: num longiori? ibid.

Qu. XVIII. Utrum orario requiſita facienda

cienda ſit ſolum a principali privilegiato, vel etiam a cæteris participantibus privilegium ejus: puta, a familiaribus, domeſticis, & conſanguineis? ibid.

Qu. XIX. An teneantur, requiſitas hic a Pontifice preces fundere, qui vi hujus privilegii Bullæ celebrant, aut Miſſam audiunt in Eccleſiis, aut Oratoriis minime privatis tempore Interdicti? ibid.

Qu. XX. Utrum oratio, quæ imponitur, ſit conditio, ſine qua non liceat celebrare, aut Miſſam audire in Oratorio privato? ibid.

Qu. XXI. Utrum nihilominus orationis omiſſio ſit mortalis? ibid.

Subſect. VII. De privilegio celebrandi Miſſam, eamque audiendi una hora ante Auroram, & poſt Meridiem. ibid.

Qu. I. Quos Nobiles hoc privilegium reſpiciat? ibid.

Qu. II. Quænam Perſonæ exiſtimandæ ſint qualificatæ, quibus hoc privilegium a Commiſſario Generali Cruciatæ communicari etiam poſſit? pag. 224

Subſect. VIII. De privilegio recipiendi Euchariſtiam, & reliqua Sacramenta in Eccleſiis, Oratoriiſque privatis, etiam tempore Interdicti. ibid.

Qu. I. Utrum, qui habet Bullam Cruciatæ, poſſit tempore Interdicti, quantum eſt ex vi hujus privilegii, recipere omnia Sacramenta? ibid.

Qu. II. An præter Euchariſtiam prohibeantur & alia Sacramenta in die Paſchatis? ibid.

Qu. III. An extra tempus Interdicti liceat ſumere Euchariſtiam in Oratorio privato habentibus Bullam Cruciatæ? ibid.

Qu. IV. Utrum habentibus Bullam Cruciatæ liceat in die Paſchatis communicare ex devotione, aut ex alia obligatione, quam ſatisfaciendi præcepto Paſchali, in Oratoriis privatis? pag. 225

Qu. V. Utrum, qui habet privilegium Bullæ, ſi in die Paſchæ, & toto tempore deſignato ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali, non poſſit adire Parochiam, teneatur prædicto tempore communicare extra Parochiam in alia Eccleſia, ſive etim in Oratorio privato? ibid.

Qu. VI. Utrum ex privilegio Bullæ liceat ſumere Euchariſtiam a quolibet Sacerdote extra obligationem præcepti Paſchalis? ibid.

Qu. VII. An Euchariſtia, & alia Sacramenta, non obſtante privilegio Bullæ, miniſtranda, ac recipienda ſint tempore Interdicti januis clauſis, & privatim? pag. 226

Qu. VIII. An iis, qui ex privilegio Bullæ accipiunt Euchariſtiam in Oratorio privato, imponatur, atque adeo teneantur, fundere preces pro unione, & concordia Chriſtianorum Principum contra Infideles: & pro Victoria eorumdem contra eoſdem Infideles: quemadmodum ſubſ. 6. vidimus, ipſis imponi, dictas preces fundere: atque adeo obligari ad eas, licet ſub veniali, ut docuimus ibi qu. 21. quoties in Oratorio privato Miſſas celebrant, aut audiunt? ibid.

Subſect. IX. De privilegio Sepulturæ Eccleſiaſticæ tempore Interdicti. p. 227

Qu. I. Utrum tempore Interdicti localis generalis, (de quo Interdicto hic ſermo eſt) poſſit Bulla Vivorum ſumi pro Defuncto, ut ejus Cadaver poſſit ſepeliri in loco ſacro? ibid.

Qu. II. An, ſi ſumatur Bulla pro vivente puero, carente uſu rationis: ſi forte moriatur intra tempus Interdicti, poſſit ei prodeſſe ad hoc, ut ſepeliatur in loco ſacro? ibid.

Qu. III. An privilegiati virtute Bullæ poſſint ſepeliri in Eccleſia ſpecialiter interdicta? ibid.

Qu. IV. Quænam ſit ea moderata pompa funeris Eccleſiaſtica ex privilegio Bullæ conceſſa? ibid.

Qu. V. An funerale poſſit fieri januis Eccleſiæ apertis, ex hujus privilegii? pag. 228

Qu. VI. Utrum pro uſu hujus privilegii imponatur, atque adeo facienda ſit oratio pro unione Chriſtianorum Principum contra Infideles, & victoria &c. ib.

Qu. VII. Poſitis tot, ac tam magnis privilegiis in Bulla Cruciatæ conceſſis: an ſit obligatio ſumendi illam in locis, ubi promulgatur? Præſertim cum, ſine Bulla in iiſdem locis non poſſint obtineri Pontificiæ Indulgentiæ: (ſecundum ea vero quæ dicta, & explicata ſunt ſubſ. 4. §. 4.) quarum quidem Indulgentiarum ingens eſt theſaurus: ut notum eſt. Et

dubium

dubium augetur pro tempore Interdicti localis generalis, in quo non poteſt ſine Bulla aſſiſti Sacrificio Miſſæ, in diebus etiam feſtivis, quibuſdam exceptis. ibid.

Sect. II. De requiſitis ſpecialibus neceſſariis ad fruendum privilegiis ex Bulla Cruciatæ conceſſis. pag. 229

Subſect. I. De locis, in quibus frui poteſt privilegiis Bullæ Cruciatæ. pag. 230

Qu. I. Quænam ſint Regna Catholico Hyſpaniarum Regi ſubjecta, in quibus publicatur Bulla Cruciatæ? ut cognoſcatur, in quibus locis accipi poſſit Bulla prædicta, ad fruendum privilegiis ejus. ibid.

Qu. II. Dum conceditur Bulla e. g. in Regno Siciliæ an ideo exiſtimari poſſit conceſſa Inſulis adjacentibus? ibid.

Qu. III. Si Rex Catholicus a ſuo dominio immediato, & mediato abdicaret aliquod Regnum, illud donando, & in donatarium transferendo dominium: utrum utiliter Bulla promulgaretur in Regno illo: atque adeo exiſtentes in eo Regno poſſent poſt dominii translationem privilegiis hujus Bullæ adhuc gaudere? ibid.

Qu. IV. Si ipſum Regnum non vi donationis factæ a Rege, ſed ſe eximeret ab obedientia Regis Hyſpaniarum, vel rebellando, vel alio modo: an adhuc gauderet beneficio Bullæ; ita ut in illo promulgari adhuc poſſet? pag. 231

Interrog. Si tempore quidem promulgationis Bullæ Regnum eſſet ſub dominio Regis Catholici, eique ſubjiceretur; at durante anno publicationis illius, ſeu pro quo Bulla durat, Regnum ſe eximeret ab imperio Regis, vel rebellaret: utrum poſſent, Bullæ privilegiis frui adhuc poſt exemptionem prædictam, ſeu rebellionem, ii, qui tempore habili ſumpſerant Bullam, donec elaberetur promulgationis Bullæ annus? ibid.

Qu. V. Si in Regno, ubi promulgatur Bulla adſint aliqua Græcorum Oppida, quorum Incolæ ritu græco viventes, tempore Quadrageſimæ non ſolum abſtineant a lacticiniis; ſed etiam ex ſuo ipſorum ritu, a piſcibus ſanguinem habentibus; jamvero quæres: utrum hujuſmodi Græci Bullam utiliter ſumere poſſint, ad effectum fruendi omnibus privilegiis ejus, etiam quo ad cibos vetitos; ita ut prædicti, Bullam habentes, poſſint etiam lacticiniis, & piſcibus quibuslibet veſci?

Qu. VI. Utrum exteri, ſeu ii, qui domicilium, vel quaſi domicilium non habent in Regionis illis, in quibus Bulla Cruciatæ promulgatur, ſed per aliquod breve tempus in prædictis locis reperiuntur, vel recreationis cauſa, vel expeditionis alicujus negotii ec. utiliter ſumant Bullam, etiamſi reperiantur ibi per unicum diem, aut etiam per horam: qua abſoluta, ſtatim debeant recedere ad proprias Nationes, in quibus nullo pacto adſit uſus hujus Bullæ? pag. 232

Interrog. 1. Utrum declinantibus in Regnum Luſitaniæ concedatur ſimiliter Bulla Cruciatæ? ibid.

Interrog. 2. An, ſi exterus in Regnum privilegiatum declinaret ſolo animo ſumendi Bullam ſtatim inde receſſurus, ejus privilegiis frui valeret? pag. 233

Qu. VII. An exterus accedens ad Portum alicujus Regni, in quo viget uſus Bullæ Cruciatæ, poſſit in ipſo Portu manens, Bullam accipere ejuſque privilegiis frui; ita ut ibi veſci etiam ovis, & lacticiniis valeat in Quadrageſima? ibid.

Interrog. 1. Quid ſi non ſit in portu proprie dicto, ſed in ſinu aliquo ſimili Portui. ibid.

Interrog. 2. Quid? ſi nec in Portu ſit, nec quidem in Sinu, ſed in maris parte vicina littori. ibid.

Qu. VIII. An valide ſecundum ſupradicta accipientes Bullam in locis privilegiatis, poſſint ea uti extra talia loca, in locis videlicet, quibus Bulla Cruciatæ conceſſa non ſit? pag. 234

Interrog. 1. An extra loca, in quibus viget uſus Bullæ, poſſint, habentes valide Bullam, uti etiam privilegio de cibis vetitis, ſi abſit ſcandalum? ibid.

Interrog. 2. Utrum Presbyteri &c. Bullam Cruciatæ in Luſitania accipientes, ſi conferant ſe ad alia loca, ubi uſus Bullæ Cruciatæ vigeat quidem, ſed per ſolam Bullam communem non conferatur Presbyteris &c. privilegium edendi ova, & lacticinia: poſſint nihilominus prædicti adhuc frui privilegio prædicto in illis aliis locis? pag. 235

Qu. IV. An poſſit omnibus, & ſingulis Bullæ privilegiis frui, qui invenitur quidem

quidem ubi illius vigeat uſus, at illam non acceperit in eadem Civitate, ſeu loco, quo nunc invenitur, ſed in alia Civitate, aut etiam Regno? ibid.

Qu. X. An exteri exiſtentes, ſeu quilibet domicilium, vel quaſi domicilium habentes in Regnis, in quibus non promulgatur Bulla, poſſint illius privilegiis frui, ſi Bullam accipiant media aliqua perſona exiſtente in Regnis privilegiatis, ſeu habentibus uſum Bullæ? e. g. Titius in Gallia manens ſcribat, & mittat epiſtolam ad Fulanum, qui in Hyſpania reſideat, ut ſumat Bullam nomine ipſius Titii, & ad ipſum in Galliam tranſmittat; quæritur; an Titio liceat tali Bulla in Gallia frui? ibid.

Interrog. Quid? Si Titius prædictus poſt acceptionem, & applicationem Bullæ per Procuratorem ſibi factam, declinet in locum, in quo Bulla eſt promulgata? p. 236

Qu. XI. An utiliter ſumeret Bullam, qui tantum civiliter in privilegiato Regno conſiſtit: ſeu in quo domicilium, vel quaſi domicilium retinet, ſed ab eo receſſit, & abeſt ad breve tamen tempus? ibid.

Interrog. 1. In caſu propoſito quæſtione præſenti, ſtando in ſententia affirmativa, quinam dicendus ſit, a ſuo domicilio, vel quaſi domicilio abeſſe ad breve tempus? pag. 237

Interrog. 2. Utrum, qui a loco privilegiato, in quo domicilium habeat, recedat cum intentione regrediendi intra paucos dies, ſed poſtea quibuſdam negotiis occurrentibus ſucceſſive unum poſt alium, moretur in loco non privilegiato per ſpatium temporis notabilis, e. g. ſex, aut octo menſes: utrum poſſit ita commorans ſumere Bullam per alium, & ejus privilegiis uti; an vero ſtatim ac tempus moræ incipit eſſe notabile, nequeat Bullam per alium ſumere? ibid.

Interrog. 3. An id, quod in prædictis conceditur commoranti civiliter in Regno privilegiato, concedatur etiam ad illud civiliter, ſeu ficte tantum declinantibus? pag. 238

Subſect. II. De iis, qui in Regnis, ubi publicatur Bulla Cruciatæ, poſſint, vel non, illam accipere, ejuſque privilegiis uti. ibid.

Qu. I. Utrum Religioſi, & Moniales poſſint Cruciatæ Bullam accipere; ita ut & ipſis liceat, ejus privilegiis uti? ibid.

Interrog. 1. An Regulares teneantur petere facultatem Superioris, ad accipiendam Bullam? ibid.

Interrog. 2. Si Regularis petat facultatem a Superiore, accipiendi Bullam, qui tamen ei deneget eam; an poſſit nihilominus Bullam ſibi accipere? pag. 239

Interrog. 3. An Regulares indigeant facultate ſui Superioris, ad fruendum privilegiis Bullæ, poſtquam illam acceperint? pag. 240

Interrog. 4. Utrum Superior poſſit ſuis ſubditis ſaltem limitare uſum privilegiorum Bullæ: ne ſcilicet utantur hoc, vel illo privilegio Bullæ? ibid.

Interrog. 5. Utrum Novitii indigeant prædictis facultatibus? ibid.

Qu. II. Utrum ſumi poſſit Bulla pro amentibus, phreneticis? ibid.

Qu. III. Utrum ſumi poſſit Bulla pro Infantibus rationis uſu carentibus? ibid.

Qu. IV. Utrum Bulla Vivorum poſſit ſumi pro Defunctis? pag. 241

Qu. V. Utrum, qui accipit Bullam, debeat carere conſcientia peccati mortalis: ſeu debeat eſſe in gratia, dum accipit Bullam, ut deinde frui valeat privilegiis ejus? ibid.

Qu. VI. Utrum, qui frui velit privilegiis Bullæ, opus ſit, quod careat conſcientia peccati mortalis: ſeu debeat eſſe in gratia eodem tempore, quo velit frui; ita ut, qui ſit in ſtatu peccati mortalis, non poſſit, dum habet talem conſcientiam, frui privilegio de comedendis e. g. lacticiniis: ſed debeat confiteri, aut ſaltem conteri? ibid.

Qu. VII. An poſſit frui privilegio abſolutionis a reſervatis, qui peccavit in confidentiam Bullæ? ibid.

Qu. VIII. An lucrentur Indulgentiam plenarjam ex Bulla conceſſam in articulo mortis ii, qui ſtatuto tempore confeſſi minime fuerint: hoc eſt, confeſſionem annuam neglexerint, cum conſcii ſibi fuerint peccati mortalis; aut ex fiducia hujus Indulgentiæ neglexerint ſatisfactiones conſuetas, ſeu pœnitentiam facere pro pœnis debitis peccatis ſuis? ibid.

Qu. IX. Utrum Catechumeni, ſive Fideles

deles nondum baptizati poſſint Bullam accipere, ejuſque privilegiis uti? pag. 242

Qu. X. An excommunicatus, vel aliis cenſuris, ſeu pœnis Eccleſiaſticis affectus, Bulla uti valeat? ibid.

Qu. XI. An poſſit Bullam ſumere, & ejus privilegiis uti merus ſchiſmaticus pertinax; merus, inquam, ſeu qui non ſit ſimul Hæreticus? ibid.

Qu. XII. Utrum Hæretici poſſint Bullam ſumere, & ejus privilegiis uti? ibid.

Interrog. 1. Quid de Hæretico formali tantum interno? ibid.

Interrog. 2. An Hæreticus ſuum abjurans errorem, ſi fide habituali careat, ſit ſufficienter diſpoſitus ad uſum Bullæ per fidem actualem? ibid.

Subſect. 3. De eleemoſyna largienda pro Bulla communi Vivorum. pag. 243

Qu. I. De quantitate eleemoſynæ largiendæ: utrum hæc relinquatur ad libitum accipientis Bullam? ibid.

Interrog. 1. Quam pecuniæ ſummam conſtituerit Commiſſarius? ibid.

Interrog. 2. An Principes teneantur erogare pro prædicta Bulla octo Realia? ibid.

Interrog. 3. Si Rex aliquis exterus ad Regnum, ubi Bulla promulgatur, accederet, velletque Bullam accipere, utrum teneretur & ipſe elargiri quantitatem hujuſmodi eleemoſynæ pecuniariæ? p. 244

Interrog. 4. An Vicecomites, Barones, Prætores Urbium, Senatoreſque Civitatum, ſi non ſint Domini Vaſſallorum; ut etiam Fiſcalis in Tribunali Inquiſitionis; ut itidem Filii Ducum, ſimileſque, ſi nullo Titulo, vel Dominio gaudeant, obligentur dare realia octo? ibid.

Interrog. 5. An Duces, Marchiones &c. ſi Vaſſallis careant, præſtare adhuc debeant octo realia? ibid.

Interrog. 6. Utrum Barones, qui ſint inveſtiti aliquo feudo, in quo juriſdictionem exerceant, careant vero Vaſſallis, teneantur erogare pro Bulla octo realia? pag. 245

Interrog. 7. Utrum teneatur octo realia tribuere Epiſcopus, qui Epiſcopatum renunciavit? ibid.

Interrog. 8. Utrum, qui ſimul eſt Dux, & Marchio, & Comes, gaudens multis Titulis, multiſque Dominiis, debeat pro unoquoque Titulo erogare octo realia: & ſic ſexdecim, ſi gaudeat duobus; viginti quatuor, ſi tribus Titulis? pag. 246

Interrog. 9. An duo habentes Dominium ejuſdem Caſtri, ita ut una pars ſit unius; altera vero ſit alterius; vel indiviſum ſimul idem Caſtrum poſſideant: debeant ſinguli eleemoſynam octo realium erogare pro Bulla accipienda? ibid.

Interrog. 10. Quid? ſi Senatus Panormitanus ſit e. g. Dux alicujus Oppidi, num ſinguli Senatores debent octo præbere realia? ibid.

Interrog. 11. Si quis privatus accipiat Bullam initio anni datis duobus realibus, & deinde in decurſu anni evadet Dux, vel Marchio, &c. aut Epiſcopus, vel Cardinalis, &c. utrum indigeat a puncto novi gradus altera Bulla cum pinguiori eleemoſyna octo realium, vel ſaltem ſupplementum ad octo realia conferre, ut deinceps Bullæ privilegiis perfruatur? ib.

Interrog. 12. Utrum Mulieres, quæ fuerunt Uxores eorum Sæcularium, qui cum viverent, ſolvebant realia octo pro Bulla, unde & ipſæ tunc obligabantur, totidem præſtare: teneantur adhuc poſt mortem ſuorum Virorum realia octo ſolvere, ſi velint Bullam accipere? ibid.

Interrog. 13. An id (*quod ſcilicet non teneantur*) verum ſit, etiamſi prædictæ Viduæ maneant Dominæ Vaſſallorum, aut uſufructuariæ, aut Titulo aliquo vere, & proprie ex ſe gaudeant? ibid.

Interrog. 14. Utrum Filii prædictarum Viduarum, quæ manſerunt uſufructuariæ, unde ipſæ tenenrur erogare octo realia, tenentur & ipſi prædicti Filii, totidem erogare, ſi velint Bullam accipere? pag. 247

Interrog. 15. Si Mulier ratione ſuæ dotis ſit Domina Vaſſallorum, & Matrimonium contrahat, quo contracto, adminiſtratio ſuorum bonorum tota ſit penes Maritum: an in tali caſu teneatur pro Bulla contribuere octo realia? ibid.

Interrog. 16. An Mulieres, quæ verum Titulum, aut Vaſſallos habent, ut Marchioniſſæ, Comites, &c. ſi Matrimonio non ſint conjunctæ, teneantur, ſumentes Bullam octo realia ſolvere? ibid.

Interrog. 17. Si aliquis ex illis, qui

tenentur, erogare octo realia, velit intra eumdem annum alteram ſumere Bullam communem, ſeu vivorum, an teneatur, iterum erogare octo realia? ibid.

Qu. II. An Bulla poſſit accipi credito, hoc eſt, promittendo eleemoſynam debitam dare poſt tale determinatum tempus? ibid.

Interrog. 1. Quid? Si quis initio dum Bullam credito accipit, habeat animum, non tradendi eleemoſynam, ſed poſt ſex menſes e. g. concipiat animum, ſeu incipiat habere voluntatem dandi debitam, ac promiſſam eleemoſynam. ibid.

Interrog. 2. Quid? ſi contra fiat, videlicet, ſi quis initio dum Bullam credito accipit, habeat quidem animum, ſeu voluntatem tradendi deinde eleemoſynam: at vero poſtea mutans voluntatem, proponat, non contribuere. ibid.

Qu. III. Utrum largitio eleemoſinæ ita ſit requiſita, ut non poſſit Bulla concedi gratis a Commiſſario? pag. 248

Qu. IV. Si quis furetur plures Bullas, eaſque det aliis ignorantibus furtum, accipiendo ab illis ſtipem conſuetam: an ſumentes Bullam, ejus privilegiis fruantur? ibid.

Qu. V. An utiliter ſumas Bullam, ſi eleemoſinam largiatur alter pro te de pecuniis ſuis? ibid.

Interrog. An hoc etiam verificetur de Religioſis; ita ut etiam Religioſus utiliter ſumat Bullam, ſi alter det pro eo eleemoſynam? ibid.

Qu. VI. An utiliter ſumat Bullam, qui pro eleemoſyna præbet pecuniam furto ſublatam? pag. 249

Interrog. 1. Si noveris aliquem furatum abs te fuiſſe duo, vel octo realia, eaque dediſſe pro eleemoſyna ad Bullam accipiendam, cum non poſſideret tantum pecuniæ requiſitæ ad prædictum finem: an tu poſſes ab eo ſubripere, ſeu etiam ei vi abripere Bullam, tibique applicare, ejuſque privilegiis uti? ibid.

Interrog. 2. An, ſi prædicto furi remitteres obligationem, reſtituendi pecuniam tuam, quod beneficium ille acceptaret, poſſet Bulla uti a puncto factæ remiſſionis? ibid.

Interrog. 3. An, ſi prædictus fur reſtituat Domino totam pecuniam ei furto ſublatam, poſſit a puncto factæ reſtitutionis uti Bulla intra annum? pag. 250

Qu. VII. An Bulla utiliter ſumatur, ſi præbeatur pecunia ex turpi lucro, e. g. meretricio, vel ex delicto acquiſita? ibid.

Qu. VIII. Utrum ad lucranda privilegia Bullæ, oporteat, illam capiendo, erogare eleemoſynam ex affectu interno, ſeu ex vera voluntate adimplendi conditionem requiſitam? ibid.

Subſect. IV. De receptione Bullæ. ibid.

Qu. I. An hujuſmodi Summarium (*Bullæ*) eſſe debeat typis excuſum, & non ſufficiat, eſſe manuſcriptum? ibid.

Qu. II. An Summarium Bullæ debeat actu, & phyſice recipi? pag. 251

Interrog. Utrum intentio accipiendi Bullam, abſque eo quod actu, & phyſice accipiatur ſummarium prædictum, ſufficiat ſaltem in caſu, quo ipſe Depoſitarius Bullarum conſignet alicui petenti Bullam, & eleemoſynam pro ea largienti, aliam ſcripturam ſimilem, vel Bullam veterem: ſive hoc ex errore, ſive ex malitia ipſius Depoſitarii eveniat: inſcio tamen eo, qui hujuſmodi Scripturam, vel Bullam accipiat veterem? ibid.

Qu. III. An ſit neceſſe, accipere Bullam per ſeipſum; ita ut non ſufficiat, per alium, ſeu media alia perſona. p. 252

Qu. IV. An poſſit quis in loco, in quo promulgatur Bulla, uti privilegiis Bullæ, antequam per litteras, vel per nuncium certior fiat, quod accepta pro ſe fuerit Bulla, quam ſibi accipiendam commiſerat alteri fideli amico, vel ſervo; aut experientiam habeat, quod Pater ejus, vel amicus accipere pro ſe conſueverit ſingulis annis? ibid.

Qu. V. Utrum poſſint cogi fideles accipere Bullam? ibid.

Qu. VI. Utrum ita ſit neceſſaria acceptatio Bullæ, ut ſecus non poſſit quis frui ejus privilegiis? Et ſic e. g. non poſſit tempore Interdicti ſepeliri in loco ſacro is, pro quo Bulla accepta fuit, cum viveret, qui tamen illam noluit acceptare. ibid.

Qu. VII. Utrum, qui Bullam, ſive per ſe, ſive per alium accepit, eamdemque ſibi applicavit, poſſit deinde eamdem alteri dare, ita ut ille alter valeat, ſibi illam applicare? pag. 253

Inter-

Interrog. Quid? ſi Bulla pro te accepta quidem fuerit per alium, ſed non acceptata a temetipſo: poterit ſaltem in hoc caſu ab eo, qui accepit, vel ſaltem a teipſo illam tradi alteri tertio, a quo utiliter acceptetur? ibid.

Qu. VIII. Utrum ad fruendum Bullæ privilegiis opus omnino ſit quod ſcribatur in illa nomen accipientis, ſeu acceptantis? pag. 254

Subſect. V. De retentione, ſeu conſervatione Bullæ Cruciatæ. pag. 255

Qu. I. Utrum Summarium prædictum, debeat quiſque, ſecum deferre, quocumque pergat? ibid.

Interrog. Utrum relinqui poſſit, ſeu retineri etiam apud Theſaurarium, ſeu diſtributorem Bullarum? ibid.

Qu. II. Utrum, ſi folium in quo eſt impreſſum Summarium Bullæ amittatur, comburatur, vel laceretur, &c. poſſit deinceps uti Bullæ privilegiis? ibid.

Interrog. An quælibet negligentia etiam levis ſufficiens ſit ad extinctionem privilegiorum hujus Bullæ, ſi folium prædictum ob illam negligentiam amittatur? pag. 256

Subſect. VI. De tempore, quo incipit, durat, & expirat uſus privilegiorum Bullæ. ibid.

Qu. I. Utrum annus, per quem conceditur uſus privilegiorum Bullæ, ſit naturalis, & civilis, hoc eſt, duodecim menſium, ſeu trecentorum ſexagintaquinque dierum; vel ſit ſimpliciter Eccleſiaſticus, puta in hac re, a promulgatione Bullæ ad ſimilem novam ejuſdem Bullæ promulgationem? ibid.

Interrog. 1. Per quem actum intelligenda ſit, abſolute promulgari Bulla Cruciatæ; ita ut poſt talem actum liceat uti privilegiis ejus? pag. 257

Interrog. 2. An ſufficiat promulgatio facta in templo maximo, quamvis nondum facta ſit in aliis Parochiis? pag. 258

Qu. II. Utrum poſt diem promulgationis novæ Bullæ, ſeu poſt diem, quo completur annus naturalis a promulgatione Bullæ: poſſit quis privilegiis veteris Bullæ uti adhuc per aliquot alios dies, puta, per tres, aut octo, uſque dum accipiat novam; ſaltem ex aliqua difficultate, & vero impedimento accipiendi eam eo ipſo die promulgationis ejus; vel ſi Diſtributor negligat, aut non valeat diſtribuere Bullas omnibus, & ſingulis petentibus una, & eadem die prædicta? ibid.

Qu. III. An qui aliquibus privilegiis Bullæ non eſt uſus intra annum, poſſit extra? Poterat e. g. quis intra annum promulgationis Bullæ petere virtute Bullæ commutationem voti, quod habet, & habebat, ſed non petiit commutationem hujuſmodi: an poſſit extra? Similiter poterat quis intra annum prædictum petere virtute Bullæ abſolutionem a reſervatis, quibus ligatur, & ligabatur, ſed non petiit: an poſſit extra? ibid.

Interrog. 1. An extra annum poſſint commutari vota, quorum commutatio petita fuit intra annum promulgationis Bullæ, ſed non fuit impetrata? Titius e. g. pœnitens plura habens vota, & cupiens, ut ſibi virtute Bullæ Cruciatæ a Confeſſario commutentur, id eidem Confeſſario manifeſtat, petens ab eodem commutationem: & Confeſſarius id admittat: ſed pro tunc non commutet, proponat tamen commutare: verum antequam hoc faciat, expiret Bulla præcedens ob publicationem novæ, vel quia expletus ſit annus naturalis a publicatione Bullæ incœptus: quæritur: num Titius vi antiquæ Bullæ poſſit prædictam commutationem a Confeſſario obtinere? ibid.

Interrog. 2. Si Confeſſarius petenti commutationem alicujus voti intra annum publicationis Bullæ dicat: ſe votum nunc quidem commutare: ſed cum nequeat, nunc ſe determinare de materia ſubroganda, nec conſulere valeat prudentes: ideo materiam ſubrogandam loco prioris non ſignet, ſed differat determinandam etiam poſt elapſum annum Bullæ, ſi tale tempus exiſtimet neceſſarium ad prudentem determinationem circa qualitatem materiæ, & modum commutationis; Sic e. g. Titius petat virtute Bullæ commutationem voti jejunii; Confeſſarius dicat: *ego commuto tibi ex nunc votum tuum iſtud in aliud opus, quod poſt aliquot dies ego, vel quidam doctus deſignabit*. Interim vero elabatur annus promulgationis Bullæ: quæritur: an ſaltem in hoc caſu votum ſit valide commuta-

tum intra annum, & extra annum legitime ſubrogatur materia loco prioris? ib.

Interrog. 3. Si quis habens reſervata, Confeſſionem ſacramentalem incipiat prope finem anni promulgationis Bullæ, & quia Confeſſionem perficere non poteſt intra annum, ſive ob prolixitatem Confeſſionis, ſive ob aliquod rationabile impedimentum cogatur eam proſequi ultra annum durationis Bullæ, quam ſumpſerat: interrogabis: num abſolvi poſſit virtute illius Bullæ intra annum? pag. 259

Interrog. 4. An dici poſſit Confeſſio ſacramentaliter cœpta, ſi quis genuflexus ad pedes Confeſſarii, volentis Confeſſionem ejus audire, confeſſionis formulam, puta *Confiteor* recitaverit, pectus ſuum percuſſerit, ſimiliaque pœnitentiæ ſigna dederit, nullum tamen peccatum expreſſerit? ibid.

Interrog. 5. An dici poſſit Confeſſio ſacramentaliter cœpta, ſi quis intra annum promulgationis Bullæ ſimpliciter dixerit alicui Confeſſario, ſe velle ei confiteri? ibid.

Interrog. 4. Si quis incipiat valide confeſſionem in fine anni promulgationis Bullæ, ſed antequam illam perficiat, novo ſe obſtringat crimine reſervato poſt elapſum annum prædictum: interrogabis: an virtute præcedentis Bullæ poſſit amplius in hoc caſu a reſervatis abſolvi? ibid.

Interrog. 7. An, ſi Confeſſarius, cum quo cœpta eſt Confeſſio intra annum, deficiat, poſſit extra compleri cum altero: ſeu cum altero Confeſſario denuo confeſſio incipi extra annum, & abſolvi a reſervatis virtute Bullæ præteritæ? ibid.

Interrog. 8. Utrum ſi quis aliqua confiteatur peccata reſervata: abſolutio vi Bullæ collata tollat reſervationem etiam ab oblitis; ut extra annum promulgationis Bullæ non indigeat nova Bulla, ut abſolvatur ab illis, poſtquam meminerit? ibid.

Interrog. 9. Si quis habens reſervata, intra annum promulgationis Bullæ confeſſus, non meminerit de illis, petierit autem a Confeſſario abſolutionem generalem vi Bullæ ab omnibus Cenſuris, & caſibus reſervatis, fueritque ſic abſolutus: an per talem abſolutionem ſublata fuerit omnis reſervatio a prædictis oblitis? ibid.

Interrog. 10. Quid? ſi quis habens plura reſervata, quorum tamen omnium oblitus, nullum in confeſſione aperuerit, neque a Confeſſario petierit, neque hic conferre, intenderit, abſolutionem generalem prædictam: ſi talis confeſſus fuerit intra annum publicationis Bullæ, num & per illam confeſſionem ſublata omnis reſervatio fuit? pag. 260

Qu. IV. An intra annum promulgationis Bullæ expirent ejus privilegia, ſi moriatur Pontifex, aut Comiſſarius Generalis? ibid.

Qu. V. Utrum privilegia Bullæ Cruciatæ per Jubilæum revocentur? ibid.

Qu. VI. Utrum Bulla Cruciatæ cenſeatur expirare quoad facultatem abſolvendi a caſibus in Bulla Cœnæ per ejuſdem Bullæ Cœnæ promulgationem? ibid.

Appendix ad Bullam Cruciatæ communem, ſeu vivorum. De iterata Bullæ acceptione. ibid.

Art. II. De Bulla Cruciatæ Defunctorum. pag. 261

Qu. I. An hæc Bulla ſumi valeat pro eo, qui Defunctus eſt in Regno, in quo non promulgatur Bulla Cruciatæ? ibid.

Qu. II. An Bulla Defunctorum ſumi poſſit pro defuncto Catechumeno? p. 262

Qu. III. Utrum unica Bulla applicari poſſit Defunctis pluribus, applicando ſingulis aliquam ſaltem partem unius, & ejuſdem indulgentiæ plenariæ in Bulla Defunctorum conceſſæ? ibid.

Qu. IV. An poſſit Bulla Defunctorum bis ſumi pro uno, & eodem Defuncto: quemadmodum Bulla vivorum pro vivis? ibid.

Qu. V. Quænam quantitas eleemoſynæ largienda ſit pro Bulla Defunctorum? ibid.

Interrog. An perſonæ qualificatæ, accipiendo Bullam Defunctorum, debeant erogare majorem eleemoſynæ quantitatem præ perſonis communibus: quemadmodum pro Bulla vivorum? pag. 263

Qu. VI. An Bulla Defunctorum, ſeu illud folium, in quo deſcriptum eſt præſens beneficium pro Defuncto, accipiendum ſit ab eo, qui dat eleemoſynam ad hujuſmodi intentionem? Item acceptan-

dum, retinendum, ſeu aſſervandum? quemadmodum de Bulla vivorum docuimus? ibid.

Qu. VII. Utrum etiam in hac Bulla ſcribendum ſit nomen? ibid.

Interrog. An id ſit omnino neceſſarium? ibid.

Qu. VIII. An, qui Bullam accipit pro Defuncto, debeat eſſe in gratia, ut Bulla utiliter ſumatur? ibid.

Qu. IX. Utrum, qui Bullam accipit Defunctorum, opus ſit, ut illam accipiat, & pro ea eleemoſynam tribuat ex expreſſa intentione lucrandi Indulgentiam ejus pro mortuis: ad hoc, ut cum effectu fructus Indulgentiæ transmittatur ad Defunctos? ibid.

Interrog. 1. An, qui tribuit eleemoſynam pro hac Bulla, poſſit commendare, ſeu committere alteri deſignationem determinati Defuncti in cujus ſumatur utilitatem? pag. 264

Interrog. 2. An poſſit deſignari indeterminate Animam, quam determinabit Deus? ibid.

Interrog. 3. Quandonam Anima hanc Indulgentiam conſequatur? num in puncto acceptionis Bullæ: an vero in puncto applicationis ejuſdem? ibid.

Qu. X. An ſemel rite applicata Bulla uni Defuncto, poſſit deinde mutata voluntate applicari alteri? ibid.

Art. III. De Bulla Compoſitionis. p. 265

Sect. I. De requiſitis neceſſariis ad fruendum privilegio Bullæ Compoſitionis. ibid.

Subſect. I. De requiſitis propriis Bullæ Compoſitionis. ibid.

§. I. De qualitate debitorum in quibus admittitur Compoſitio. ibid.

§. II. De quantitate debitorum ſuper qua Compoſitionis Bulla conceditur. pag. 266

Qu. I. Utrum, qui velit ſe componere ſuper quantitate debitorum excedente ſummam centum millium marapetinorum, hoc eſt, unciarum centum viginti octo, ac tarenorum viginti; nimirum ſcutorum trecentorum viginti unius, ac tarenorum octo monetæ ſiculæ: poſſit ſe componere per Bullas uſque ad hanc quantitatem, ſuper qua conceditur compoſitio per Bullas; ſuper reliqua vero quantitate excedente prædictam ſummam, poſſit, ſe componere per recurſum immediatum ad Commiſſarium Generalem? An vero teneatur pro tota ſumma integra recurrere ad Commiſſarium? pag. 267

Qu. II. Debeat quis quantitatem excedentem centum mille marapetinos, ſed id ignorans, ac putans, ſe non debere niſi tantum centum mille marapetinos, volens ſe componere per Bullas, ſumat tot Bullas, quot ſufficiunt ad extinctionem prædicti debiti. Hic autem facta compoſitione, advertat, & videat, ſe adhuc remanere debitorem in alia quantitate, atque adeo ſe non fuiſſe debitorem in ea ſolum quantitate, ſuper qua ſe compoſuit, ſed in majori; quæres: utrum hic poſſit iterum hoc eodem anno ſe componere per alias Bullas ſuper illa quantitate excedente ſummam centum millium marapetinorum, ſuper qua ſumma jam ſe compoſuit? ibid.

Qu. III. Non debeat quis, niſi ſolum centum mille marapetinos, volenſque ſe componere, ſumat tot Bullas, quot requiruntur ad extinctionem prædicti debiti. Deinde vero in decurſu ejuſdem anni promulgationis Bullæ contrahat novum debitum, puta aliorum centum millium marapetinorum; utrum poſſit, hoc alterum debitum componere per alias Bullas? ibid.

Qu. IV. An Bulla Compoſitionis valeat pro debitis contractis poſt ejus acceptionem? Debeat e. g. quis ſcuta tria, volenſque ſe componere, Bullam accipiat, atque adeo extinguat prædictum debitum. Deinde vero contrahat novum debitum eodem anno promulgationis Bullæ, aliorum trium Scutorum: utrum indigeat altera Bulla, ut ſe componat ſuper his aliis tribus ſcutis; vel poſſit hoc novum debitum extinguere, applicando ſibi eamdem illam Bullam acceptam? Porro per unicam Bullam conceditur compoſitio ſuper ſcutis ſex, & amplius. pag. 268

§. III. De ignorantia Dominorum, quibus reſtitutio, ſive ſolutio debeatur. ibid.

Qu. I. An poſſit, ſe componere, is, cui ſola quantitas debiti ſit incerta, non autem Dominus? pag. 270

Qu. II. An creditor abſens haberi poſſit tam-

tamquam incertus, atque adeo ſit locus reſtitutioni, ſi debitor non teneatur, illi mittere debitum, aut illius hæredibus; neque moraliter appareat ſpes, illud umquam mittendi, ſeu reſtituendi? pag. 271

Qu. III. Si poſt diligentiam ad inveniendum verum Dominum, conſtet eſſe unum ex duobus, vel tribus; maneat tamen ignorantia certi, ac determinati Domini: an dici poſſit Creditor eſſe ignotus: atque adeo fieri valeat compoſitio? pag. 272

Qu. IV. Quanta debeat eſſe diligentia in inquirendo vero Domino? ibid.

Qu. V. An requiſita diligentia prædicta acceptioni Bullæ ſit præmittenda, vel ſuffi iat, ſi ſubſequatur? ibid.

Qu. VII. Si Dominus de ignoto notus evadat, an ſit obligatio reſtituendi integrum debitum, aut ſaltem id, in quo factus eſt ditior is, qui rite ſe compoſuerat? ibid.

Interrog. An id (*quod videlicet non teneatur reſtituere:*) procedat ſolum pro foro interno? pag. 273

§. IV. De confidentia prava a Compoſitionis beneficio removente. ibid.

Qu. I. Quid ſit aliena bona ſibi uſurpare ex *confidentia* compoſitionis hujuſmodi? pag. 274

Qu. II. An ſit confidentia prava antecedens, & poſitiva, ſi quis quid furetur ab aliquo, ſperans fore, ut illum, quem nunc cognoſcit, ſit fluxu temporis ignoraturus; atque adeo ubi hujuſmodi tempus advenerit, fore ut poſſit, ſe componere ſuper hoc furto, tamquam ſuper debito ignoti Domini: quæ ignorantia in primis exigitur, ad fruendum beneficio compoſitionis hujuſmodi? pag. 275

Qu. III. Utrum alienorum bonorum retentio, ſeu reſtitutionis longa dilatio ex prava confidentia compoſitionis hujuſmodi, etiam compoſitionis beneficio privet, quemadmodum uſurpatio? ibid.

Qu. IV. Aliena bona uſurpata in confidentiam Compoſitionis hujuſmodi reſtituenda ſunt non quidem pauperibus, vel locis piis, ut per ſe deberent ex jure communi &c. ſed ex ſpeciali præcepto Pontificii Delegati, ſeu Commiſſarii Generalis Cruciatæ, reſtituenda ſunt in totum, & integra ſunt applicanda in ipſiuſmet beneficium Cruciatæ. Jamvero quæres: utrum invalida ſit reſtitutio in hoc caſu facta pauperibus; aut ſaltem peccetur graviter contra præceptum, ac diſpoſitionem prædictam Commiſſarii Generalis? ibid.

Subſect. II. De requiſitis communibus Bullæ Compoſitionis. pag. 276

§. I. De locis in quibus frui poteſt privilegio Bullæ Compoſitionis. ibid.

Qu. Utrum, ſi quis Bulla Compoſitionis accepta in Sicilia e. g. poſtea recedat ex Sicilia ad alia Regna, e. g. in Italiam, ubi non eſt hæc Bulla, & facta diligentia morali, tempore, quo durat Bulla, ubi eam accepit; poſſit compoſitionem facere de debitis incertis? ibid.

§. II. De iis, qui poſſunt, Compoſitionis Bullam accipere, ejuſque privilegio frui. pag. 278

Qu. I. An etiam Religioſi poſſint utiliter Compoſitionis Bullam accipere? pag. 279

Qu. II. Utrum Catechumeni, ſeu fideles nondum baptizati poſſint frui beneficio compoſitionis per Bullam? ibid.

Qu. III. An Catechumeni poſſint ſe componere per recurſum immediatum ad Commiſſarium Generalem? ibid.

Qu. IV. An Bulla Compoſitionis proſit fidelibus defunctis; ita ut, ſi aliquis Defunctus debita incerta reliquit: poſſit pro hujuſmodi illius debitis Bulla Compoſitionis accipi ipſius Defuncti nomine ab aliquo vivente, ejuſdem conjuncto, vel amico? ibid.

Qu. V. An poſſit ſe componere hæres ſuper illis bonis Defuncti, quæ cum hæreditate ei advenerunt: quæque ipſi conſtat eſſe aliena, dominumque inveniri non poſſe? ibid.

§. III. De eleemoſyna largienda pro compoſitione facienda ex Beneficio Cruciatæ. pag. 280

Qu. I. Quantum decrevit erogandum Commiſſarius pro ſingulis Bullis Compoſitionis? ibid.

Interrog. An perſonæ qualificatæ, ſeu in dignitate conſtitutæ debeant erogare pro Bulla Compoſitionis majorem quantitatem eleemoſynæ, quemadmodum debent pro Bulla Communi? ibid.

Qu. II. Quænam eleemoſynæ quantitas

tas ſit eroganda; ſi compoſitio fiat per recurſum immediatum ad Commiſſarium Generalem? ibid.

§. IV. De receptione Sumarii Bullæ Compoſitionis. pag. 281

Sect. II. De Caſibus particularibus, in quibus conceditur Compoſitio. (*Explicantur Caſus XIX. totidem ſubſectionibus.*) pag. 283

Art. IV. De Bulla parva ſeu lacticiniorum, & ovorum. pag. 303

Sect. I. De iis, quibus hæc Bulla conceditur. pag. 304

Qu. I. Quinam hic veniant nomine inferiorum Prælatorum, quibus hæc Bulla conceditur? Dicit enim Pontifex illam concedere Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis inferioribus Prælatis. ibid.

Qu. II. Utrum indigeant Bulla lacticiniorum Cardinales non Presbyteri? p. 305

Interrog. Quid? ſi Cardinalis ſit Sacerdos, aut aliquam habeat veram Prælaturam? ibid.

Qu. III. An ſimplices Clerici ſæculares non Sacerdotes indigeant hac Bulla? ibid.

Qu. IV. An Regulares promoti ad aliquam Dignitatem ex ſuperius enumeratis, & admiſſis ad fruendum beneficio hujus Bullæ, poſſint eo uti? ibid.

Interrog. 1. An id (*reſponſum affirmativum*) procedat etiam pro Regularibus aſſumptis ad Epiſcopatum ex Ordine, in quo eſt proprium inſtitutum, abſtinere ex voto a carnibus, & lacticiniis? ut ſunt Religioſi Minimi S. Franciſci de Paula. pag. 306.

Interrog. 2. An id procedat pro Epiſcopo Regulari etiam non habente Subditos, quando eſt ſolum Titularis? ibid.

Interrog. 3. An id etiam valeat pro Epiſcopo Regulari, qui Epiſcopatum renunciavit? ibid.

Interrog. 4. An id etiam valeat pro Epiſcopo Regulari, qui renunciavit juriſdictionem Epiſcopalem, & dignitatem? ibid.

Interrog. 5. Quid de Regulari Epiſcopo degradato? ibid.

Interrog. 6. An Regularis factus Cardinalis poſſit uti hac Bulla? ibid.

Qu. V. Utrum laici ſæculares, vel Clerici ſæculares non Presbyteri poſſint ovis, & lacticiniis diebus vetitis veſci per ſolam Bullam hanc parvam lacticiniorum? ibid.

Sect. II. De Eleemoſyna largienda pro Bulla lacticiniorum. pag. 307

Qu. I. De quantitate eleemoſynæ largiendæ pro Bulla lacticiniorum. ibid.

Qu. II. quorum bonorum redditus intelligitur hic, ubi eleemoſyna taxatur juxta redditum bonorum annuorum? ut eſt in tertia, & quarta taxa? ibid.

Qu. III. Si Epiſcopi, ſi Abbates, &c. pro quibus non ſit mentio quantitatis bonorum Eccleſiaſticorum, pauca habeant, hoc eſt, habeant bona Eccleſiaſtica non pertingentia ad annuum redditum Scutorum trecentorum: an obligentur, taxam illam viginti quatuor Realium contribuere pro hac Bulla? Idem quæritur de Dignitatibus Canonicalibus, pro quibus etiam nulla ſit mentio quantitatis bonorum eccleſiaſticorum; an igitur, ſi eorumdem bona eccleſiaſtica non pertingant ad annuum redditum Scutorum ducentorum, obligentur ad taxam ipſis præfixam, octo Realium? ibid.

Qu. IV. An Coadjutor v. g. Canonici; vel cujuſcumque Beneficiarii veniat nomine Canonici, vel Beneficiarii; ita ut debeat dare eleemoſynam conſtitutam pro illis quorum eſt Coadjutor? pag. 308

Qu. V. Ubi determinatur eleemoſyna quatuor Realium habentibus Cappellaniam: de qua Cappellania ſermo ſit? ib.

Sect. III. De tempore, pro quo lacticiniorum Bulla conceditur. ibid.

Qu. Utrum prædicti Prælati, & Presbyteri ſæculares poſſint in jejuniis extra Quadrageſimam veſci ovis, & lacticiniis per ſolam Bullam hanc parvam lacticiniorum in locis, ubi eſt conſuetudo ab illis abſtinendi? ibid.

Sect. IV. De locis, ubi hac Bulla uti liceat. pag. 309

Sect. V. De aliis requiſitis Bullæ lacticiniorum. ibid.

Qu. Utrum oporteat ſimul cum hac Bulla parva accipere magnam, ſeu Bullam communem, ut rite valeant ovis, & lacticiniis veſci ii, quibus hæc Bulla parva conceditur? ibid.

CAP. III. De Horis Canonicis. pag. 310

Qu. I. Quoniam quolibet menſe, prima

ma die non impedita feſto novem lectionum, recitatur Officium Defunctorum ex Rubr. Brev. quæres: ſi in Quadrageſima recitari nequeat hujuſmodi Officium in feriis ſecundis, eo quod omnes ſint impeditæ feſto novem lectionum: quemadmodum accidit, quando fer. IV. Cinerum occurrit die 28. Februarii: utrum ratione menſis erit ſemel ſaltem recitandum prima die non impedita feſto novem lectionum? pag. 313

Qu. II. An ſit obligatio recitandi diebus prædictis Quadrageſimæ Officium Defunctorum, Pſalmos Graduales, & Pœnitentiales, ac Litanias? pag. 314

Qu. III. Cur in diebus Quadrageſimalium jejuniorum Veſperæ recitentur mane ante refectionem, ſeu ante meridiem? Cur non item in Dominicis quadrageſimalibus? Sed & ipſi primi tres dies jejunii Quadrageſimalis, nimirum feria IV. V. & VI. poſt Dominicam Quinquageſimæ cur excludantur a ritu prædicto, ſed ſervari incipiat a Sabbato ante Dominicam I. Quadrag.? pag. 315

Interrog. An his non obſtantibus, poſſint in Quadrageſima Veſperæ recitari poſt prandium? pag. 317

Qu. IV. Utrum in Quadrageſima recitare liceat Matutinum ſequentis diei mox poſt meridiem? pag. 312

Qu. V. Utrum Concionantes quotidie per totam fere Quadrageſimam, excuſentur a recitatione Divini Officii: ſicuti a jejunio excuſari ſolent ex aliquorum ſententia? pag. 322

CAP. IV. De Miſſa. ibid.

Qu. I. Utrum ſit obligatio gravis celebrandi præter Miſſam Conventualem de feſto, alteram quoque de feria privilegiata: ita ut, hæc ſi omittatur, peccetur mortaliter? pag. 329

Qu. II. Utrum prædicta gravis obligatio, quæ extat in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, cantandi præter Miſſam de feſto alteram quoque de feria, quando caſus occurrit, urgeat etiam Eccleſias Regularium Choro addictorum? pag. 330

Qu. III. An, quando duæ, vel tres Miſſæ Conventuales dicendæ ſunt, applicandæ ſint ſingulæ pro Benefactoribus in genere? pag. 331

Qu. IV. Utrum quadrageſimalibus diebus ſit obligatio, audiendi Miſſam? ibid.

CAP. V. De Indulgentiis. pag. 334

CAP. VI. De Reſidentia Epiſcoporum. ibid.

CAP. VII. De prohibitione ſolemnitatis Nuptiarum. ibid.

Qu. Utrum initium hujus prohibitionis ſumendum ſit a Veſperis diei præcedentis feriam IV. Cinerum? pag. 335

CAP. VIII. Not. pro Confeſſione annua, & Communione Paſchali. ibid.

CAP. IX. De Eleemoſyna pro locis Sanctis in Hieruſalem. ibid.